BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 D
7

14-9. H. 45

50
93
50

50
e
3.

Google

Digitized by Google

R. P.

ANTONII RVVIO RODENSIS,

DOCTORIS THEOLOGI Societatis IESV, Sacræ Theologiæ Profeſſoris,

COMMENTARII IN LIBROS *Ariſtotelis Stagiritæ de Cælo, & Mundo: vnà cum dubijs, & quæſtionibus in Schola agitari ſolitis:*

NVNC PRIMVM IN GALLIA EDITI.

Coll. Rom. Societ. Jesu.

LVGDVNI,

SVMPTIBVS IOANNIS PILLEHOTTE, ſub ſigno Nominis IESV.

M. DC. XVI.

CVM PRIVILEGIO.

Digitized by Google

[illegible] [illegible]

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO D. D. LVDOVICO DE VELASCO, Sancti Iacobi equiti, Salinarum Marchioni, & Regij Indiarum Senatus Præſidi digniſſimo.

SApientes illi quibus olim è Lycæo in ſuperûm domos ſcandere cura & ſtudium fuit, cum viderent cæleſtes orbes ipſa magnitudine pene immenſos, certis ſemper, & perpetuis itineribus circumuehi, hominem finxere, qui cum in cælorum medio ſupinus decumberet, caputque in Polo Antartico, pedes in Arctico haberet, dextera tamen vniuerſam illam machinam rata & iugi vertigine circumuolueret. En illuſtriſſime Princeps, ſi anteactæ vitæ tuæ res præclarè geſtas, ſi magiſtratus eximios, ſi maiorum nobilitatem nulli ſecundam expendamus, germanum plane & verum tui ipſius ſymbolum: eum enim genus regium ab illuſtriſſima Comitum ſtabuli, apud noſtrates familia de-

Digitized by Google

ducas, ſupra terræ filios non modicum in cælum aſſurgis, proauitamque nobilitatem ipſis aſtris vix terminas: hanc per tot rerum diſcrimina, per caſus varios excelſiorem efficis, dum Salmanticenſem Academiam ſtudiis tuis illuſtras, dum Germaniam, Angliam, Belgium, & Italiam, primis tuæ militiæ rudimentis nobilitas, dum clariſſima apud magnum Hetruriæ ducem legatione fungeris, dum Mexicanas prouincias victricibus armis in pacem redigis: ſed poſt tanta virtutum tuarum præludia dignum erat, vt reipublicæ molem, & vagos terreni huius cæli orbes in communem vtilitatem moueres. Hinc factum vt prudentiſſimus Hiſpaniarum Rex Philippus Secundus te vtrique polo præfecerit, dum modo nouæ Hiſpaniæ Proregem, modo Perüanæ Prouinciæ conſtituit: ſic polos Arcticum, & Antarcticum complexus, in morem illius peripatetici hominis vtrumque polum gladio rexiſti, prudentia moderatus es: ſic ipſe immotus, & pene decumbens vaſtas illas regiones æquali, & iuſtiſſimo motu ad nutum Regis tui, ad populorum ſalutem mouiſti.

mouiſti. Nec his tantis terminis virtus tua circumſcripta eſt; ſed tertio maximus Rex noſter Philippus Tertius te eiuſdem nouæ Hiſpaniæ Proregem creauit, quod tibi iure veluti hæreditario debebatur: præfuit enim eidem nouæ Hiſpaniæ genitor tuus, nullis non ſapientiæ bellique laudibus inſignis D. Aloyſius de Velaſco, & rebus eam præclariſſimis domi bellique geſtis illuſtrauit, cuius merita cum tu nouo quodam auctario compleres quodammodo, & perficeres, ne tantæ virtuti deeſſet; te munificus Rex; Salinarum Marchionatus titulum multis tuarum virtutum titulis adiunxit, & Regio Indiarum Conſilio Præſidem deſignauit, vt quas pedibus regiones obieras, & armis defenderas, nunc conſilij tui æquamine, directione, imperio tuearis; ſic vtrumque polum mouens, ſic omnibus ſalutem recto cæleſtis prudentiæ motu inuehens; veri illius peripatetici, ſed ficti hominis effigiem nobis expreſſiſti.

Sed quorſum hæc ad noſtri Philoſophici libri dedicationem? planè nulli aliena videri debent, ſi librum hunc, poſthumam Patris An-

tonij Rubij prolem eſſe conſideret:ille enim à primo tui Mexicani regiminis exordio, tibi ſemper à conſilio, ſemper in deliciis: nec annorum progreſſu mutuus iſte inter vtrumque amor conſenuit, ſed vegetiori ætate adoleuit indies, dum tantum virum Indicis rebus gerundis Prorex admiſces, dum ſacris eius concionibus frueris, dum mira ſacram Theologiam docentis eruditione paſceris, & magni Pompeij æmulus noſtri Philoſophi Aulam præſes ingrederis, ſic cum florentiſſima illa Mexicana Academia emerito patri poſt diuturnos in re literaria expēſos labores, poſt ſuſceptam fœlicibus auſpiciis innumeram & ſapientiſſimam ſobolem rudem donare, & Doctoris gradum gratis impertiri voluit. Tu coram, nouo præſentiæ tuæ honore eius honores cumulaſti, tu ſolitos amici in Theologica palæſtra congreſſus præſidio tuo fouiſti, ſuſpexiſti, veneratus es (haud ignota loquor, ſed quæ ipſiſmet oculis vidi, ſuſpexi & miratus ſum.) Quem vero tunc Mexicana illa Academia patrem agnouit, nunc Complutenſis, quæ illum genuit, aluitque feliciter, in iuniorum fra-

trum

ſtrum magiſtrum adſciſcit, & quam nutrix prouida tenero alumno doctrinam infuderat, ad poſterum vtilitatem à ſene nouo fœnore auctam vendicat, & totius Philoſophiæ præceptorem alumnis ſuis proponit. Quodque magis mirere; cum ex præſcripto ſupremi Senatus primũ interpretata eſſet huius auctoris librum, poſteriores ſua ſponte tum ob perceptum emolumentum, tum ſpe maioris vſuræ, exultans ſuſcepit, hauſit, arripuit; vt ſic ſaniori veræ Philoſophiæ lacte adoleſcentes, ſenſim ſolidam doctrinam imbibant, & ad ſacratiora Theologiæ adyta aptiores ſe præparent. Amici igitur demortui rediuiuam ſobolem vix ab ipſius funeribus raptam, debito humanitatis tuæ præſidio foue, & vix ſpiranti animum, ſuccum, ſanguinem infunde; ſic enim fiet, vt & iuuentuti Complutenſi Magiſtrum, & Philoſophis Doctorem, & tuo Antonio Rubio honorem ſolitum reſtituas, nouiſque Societatem noſtram, imo tot titulis tuam, beneficiis deuincias, cui ſemper in confeſſo erit, licet à te poſſit nouis affici muneribus, non tamen

nouum inde ad gratitudinem cumulum ac-ceſſurum, celſitudini enim tuæ, & maxima debet & innumera, quæ nulla temporum iniuria, nulla poſteritas, à præſentis, à futuræ Societatis memoria delebit.

Franciſcus de Figueroa.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TRACTATVVM & quæſtionum, quæ in his libris Ariſtotelis de Cælo & Mundo continentur.

Quæſtiones proœmialis & primi libri.

QVod nam ſit huius operis ſubiectum, pagina. 2
Totius operis diuiſio, & primi libri. 6
Cap. 1. Quæſtio vnica: An mundus perfectus ſit. 9
Quæſt. 1. An diuiſio motus in rectum, circularem & mixtum, ab Ariſtotele tradita, ſit adæquata. 17
Quæſt. 2. An motus circularis quo mouetur cælum ſit naturalis, vel præter naturam. 20
Appendix dubium: An quies cælorum poſt diem iudicij futura ſit naturalis, aut violenta. 26
Quæſt. 3. An cæleſte corpus à ſua ſede extratum, vel pars eius ab eo diuiſa moueretur naturaliter ad illam, vel naturaliter quieſceret. 30
Quæſt. 4. An cælum ſit diuerſæ naturæ à corporibus ſublunaribus. 37
Quæſt. 5. An cęlum ſit compoſitum ex mate-

† 5

ria & forma. 41
Quæſt. 6. An materia cælorum ſit eiuſdem ſpeciei, cum materia ſublunarium corporum, vel diuerſa. 48
Quæſt. 7. An materia cæleſtis ſit perfectior ſublunari. 53
Quæſt. 8. An materiæ cælorum ſint diuerſæ ſpeciei inter ſe, vel ſolo numero diſtinguantur. 59
Quæſt. 9. An quantitas cęlorum & corporum ſublunarium ſint eiſdem, vel diuerſæ ſpeciei. 63
Cap. 3. Quæſt. 1. An cæleſtia corpora ſint ex propria natura ingenerabilia & incorruptibilia. 68
Quæſt. 2. An aliquando noua aliqua ſtella, vel mutatio, alia in cælo apparuerit, & quomodo id contigerit. 76
Quæſt. 3. An inſint cælo vera raritas, & denſitas eiuſdem rationis cum ſublunaribus. 83
Appendix dubium. An cælum poſſit ſua natura alterari. 88
Cap. 4. Quæſt. vnica. An probauerit Ariſtoteles efficaciter, quod motui circulari nihil ſit contrarium. 91
Tractatus de mundo ſeu vniuerſo, & his quæ ad ipſum pertinent. 103
Quęſt. 1. An ſit vnus mundus, vel plures, ibid.
Quæſt.

Quæſt. 2. An per potentiam Dei abſolutam poſſibiles ſint plures mundi ſpecie,aut numero diſtincti. 108
Quæſt.3.An Deus poſſit efficere alios atque alios mundos in infinitũ perfectiores. 113
Quæſt.4.An ſit Deo poſſibile hunc mundum perfectiorem reddere. 119
Cap 5. Quæſt. vnica. An mundus ſolo generali concurſu Dei perpetuo durare poſſit. An maiori indigeat ad perpetuitatem. 131
Tractatus de terminis potentiarum & qualitatum. 137
Quæſt. 1. An potentiæ actiuæ terminis magnitudinis & paruitatis definiantur quo ad intenſionem ſuorum effectuum. ibid.
Dubium. An neceſſe ſit corpus naturale ad ſuum centrum naturaliter motum velocius ſemper moueri, quo magis ad ipſum appropinquat. 143
Quæſt. 2. An potentiis actiuis concedendus ſit terminus intrinſecus quoad extenſionem ſuorum effectuum. 151
Quæſt.3.An potentiæ actiuæ,quoad reſiſtentiam terminentur,& quibusnã modis. 161
Quæſt. 4. An potentiæ paſſiuæ poſtulent terminos magnitudinis, & paruitatis quantum ad intenſionem ſuorum effectuum. 168
Dubium. An potentia paſſiua, obedientialis
aliquid

aliquid addat ſupra naturalem. 176
Quæſt. 5. An qualitates ſecundum propriam rationem poſtulent terminos intenſionis, & extenſionis. 180
Dubium. An potentia obedientialis animæ ad recipiendam gratiam & dona ſupernaturalia ſit infinita. 200

Quæſtiones ſecundi libri.

Cap. 1. Quæſt. 1. An cæleſtia corpora ſint animata. 209
Quæſt. 2. An cæleſtia corpora dignitate præſtent cunctis rebus ſublunaribus. 223
Cap. 2. Quæſt. vnica. An ſex poſitionum differentię conueniant cælo ab intrinſeco, an ſolum per ordinem ad animalia. 235
Cap. 3. De cęleſtium corporum influxu, in inferiorem mundum. 247
Quæſt. 1. An cæleſtia corpora verum, & realem influxum habeant circa effectus in inferiori mundo editos. 248
Quæſt. 2. An cæleſtia corpora influant in inferiorem mundum per ſolam lucem, vel etiam per aliam virtutem. 252
Quæſt. 3. An motus circularis cæli ſit ratio agendi in inferiorem mundum, vel ſolum conditio. 258
Quæſt. 4. An ceſſante motu cæleſti, ceſſare debeant motus omnes, actioneſque infe-

riorum

riorum corporum. 263
Tractatus 2. de effectibus cæleſtis influxus. 276
Qu.1. An cæleſtia corpora ſuo influxu producant metalla,& cætera corpora vitæ expertia,quæ non habent aliam cauſam particularem ac ſufficientem. 277
Quæſt.2. An cælum ſit cauſa imperfectorum animalium,quę generantur ex putri materia. 288
Quæſt. 3. An animalia ex putri materia ſint eiuſdem ſpeciei cum animalibus eiuſdem nominis,ex ſemine productis. 298
Quæſt.4. An cæleſtia corpora aliquem influxum habeant circa futuros euentus caſuales ; ex concurſu naturalium cauſarum euenientes. 306
Quæſt. 5. An, & quonam modo cæleſtia corpora in intellectum, & voluntatem noſtram influant. 315
Quæſt.6. Poſſint-ne Aſtrologi ex ſyderum obſeruatione futura certo præcognoſcere, ac prænunciare. 320
Tractatus de figura,numero, ordine & motibus corporum cæleſtium. 339
Quæſt.1. An cæleſte corpus ſphærica ſeu rotunda figura præditum ſit. ibid.
Quæſt. 2. De numero cæleſtium ſphærarum 346.

Quæſt.

Quæſt. 3. Quidnam ſit de cælo Empyreo ſentiendùm. 359
Quæſt. 4. An quo ſitu eleuatiora ſunt corpora cæleſtia eo ſint natura perfectiora. 271
Quæſt. 5. An quodlibet cæleſte corpus ſub primo mobili contentum duplici motu moueatur. 380
Quæſt. 6. An Planetæ ſeu errantes ſtellæ ſint partes continuæ componentes orbes quibus inſident, & ad motum eorum moueantur. 388
Quæſt. 7. An omnes cæleſtes orbes ſint inter ſe contigui, nullo alio corpore interiacente. 400
Quæſt. 8. An cæleſtia corpora moueantur à propria forma ſubſtantiali, vel ab intelligentia. 412
Quæſt. 9. An quilibet orbis cæleſtis à propria intelligentia moueatur. 420
Quæſt. 10. Qua facultate cæleſtes orbes ab intelligentiis moueantur. 432
Quæſt. 11. Quomodo ſphæræ cæleſtes ab intelligentiis rotentur. 444
Cap. 7. Quæſt. 1. An aſtrorum naturæ ſint eiuſdem rationis cum ſuis orbibus, & inter ſe. 455
Queſt. 2. Vtrum calor à lùce, vel motu ortum ducat. 462
Cap. 8. Quæſt. 1. An ſint elementa, quot, & qua

qualia. 500
Quæſt. 2. An terra in medio mundi ſita ſit, habeatque idem centrum magnitudinis, & grauitatis cum ipſo. 511
Quæſt. 3. An terra ſit altior mari depreſſiórve. 518
Quæſt. 4. Vtrum terra in medio mundi quieſcat, vel aliquo modo moueatur. 531

Ex libro 4.

Quæſt. 1. De natura grauitatis, & leuitatis ſimplicium corporum. 313
Quæſt. 2. Quomodo elementis facultas motrix conueniat, & an in naturalibus ſedibus grauitent, vel leuitent. 316

FINIS.

APPROBATIO.

PErlegi hos ſapientiſſimi Patris ac Doctoris Antonij Rubio e Societate IESV, *Commentarios in lib. Ariſt. de Cælo, & Mundo*, ex ſupremi Senatus præſcripto : in quibus nihil offendi orthodoxæ fidei, aut bonis moribus aduerſum: quin opus eſſe putaui dignum tanto viro, & incepto labori apprime germanum in diſcurrendi ſubtilitate, inueniendi fœlicitate, vrgendi viuacitate, & ſtyli tandem maieſtate: opus ſane non Philoſophis tantum, ſed Theologis etiam in doctrina D. Thomæ verſatis per quam vtile. Et vt aliis hucuſque operibus Complutenſis Academiæ, quin, & vbique gentium iuuentutem enutrit bono lacte doctrinæ, hoc demum labore vegetam reddet ad vlteriores quaſque diſciplinas, quocirca præſentes Commentarios iudico typis, & cedro digniſſimos. Dat. Compluti 6. Idus Aprilis, anno Domini 1615.

Doctor Tribaldos.

Permiſſio P. V. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunenſi.*

MIchaël Coyſſardus, Vice-Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, permittit ad ſex annos proximos Ioanni Pillehotte typis mandare, ac vendere P. Antonij Ruuij Rodenſis, eiuſdem Societatis, *Commentarium in libros Ariſtotelis de Cælo, & Mundo*, idque iuxta Priuilegium Regum Chriſtianiſſimorum Henrici III. die 10. Maij 1583 nec non Magni Henrici IIII. 20. Decemb. 1606. atque etiam Ludouici XIII. iam regnantis, 14. Februarij 1611. eidem Societati conceſſum, quo Typographis, & Bibliopolis omnibus prohibetur, ne quis libros ab eiuſdem Societ. Hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimat, vel imprimi curet. Lugd. 17. Calend. Februarij, Anni 1616.

M. Coyſſardus.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE COELO.

PROOEMIVM.

Opvs hoc Ariſtotelicum de cœlo & mundo, quod noſtris commentationibus illuſtrandum ſuſcipimus; partem quandam eſſe totius naturalis Philoſophiæ, perſpicuum eſt, & in reliquis noſtris Philoſophiæ libris oſtenſum. Etenim cum naturalis eadem Philoſophia in explicanda natura entis mobilis vniuerſaliſſimi verſetur, & libri iſti partem eiuſdem entis mobilis explicandam ſibi aſſumant, iure optimo partem eiuſdem ſcientiæ appellantur; non quidem primam, quia prima conſideratio entis mobilis ea eſſe debuit, quæ circa primum, quod de eo occurrit conſiderandum verſatur, & id quidem certum eſt, non eſſe peculiare aliquod ens mobile, ſed vniuerſalem rationem principiorum, ex quibus conflatur, & cuius notitiam tradidere phyſicorum libri, & propterea primam Philoſophiæ partem, vocari debuerunt; ſed poſt illam primam opus hoc ſecundum tenet locum, vt ex proprij ſubiecti, propriæve materiæ (circa quam verſatur) expoſitione conſtabit.

Digitized by Google

Quodnam ſit huius operis ſubiectum.

QVæſtio intelligitur de ſubiecto adæquato comprehendente omnia, quæ tractantur in ſcientia, à quo certum eſt ſpeciem ſumere; non de principali, quod ſemper eſt præcipua pars eius, vt conſtat in omnibus ſciẽtiis: maximam vero rationem dubitandi præbuit multitudo, atque diuerſitas rerum, de quibus diſſeretur in his libris: nam in primo mundus, ſeu vniuerſum, & proprietates eius conſiderantur: in ſecundo ſolum cæleſte corpus; in tertio, & quarto elementa. Hæc igitur diuerſitas rerum in diuerſas quoque ſententias abire coegit antiquos Ariſtotelis interpretes. Nam Iamblicus, & Syrianus cum eo; quorum meminit diuus Thomas in proœmio huius operis, tenent, corpus cæleſte eſſe ſubiectum eius. Quod probant ex inſcriptione: nam apud Græcos inſcribitur de cælo: ſed inſcriptio continet materiam totius operis; ergo corpus cæleſte habet rationem completæ, ſeu adæquatæ materiæ, & ſubiecti totius operis. Secundo, quia ſubiectum: ſcientiæ illud dumtaxat eſſe poteſt, quod per ſe conſideratur. Sed in his libris ſolum conſideratur per ſe corpus cæleſte, de cæteris vero corporibus quaſi per accidens agitur, nempe vt ſub eo contentis, vel ad cognitionem illius conducentibus, ſeu influxum eius participantibus: ergo ſolum cæleſte corpus erit ſubiectum huius operis.

Hæc tamen ſententia improbabilis viſa eſt D. Thomæ, & meritò, quia non conſueuit Ariſtoteles, nec vllus ſcientiæ auctor maiorem partem ſcientiæ aſſignare rebus, non per ſe, ſed per accidens ſolum ab eo conſideratis. Sed conſtat Ariſtotelem partem ſecundi libri, atque etiam tertium, & quartum integros ſolis elementis aſſignaſſe: ergo abſurdum eſt dicere, quod

quod non per ſe, ſed per accidens ab eo conſiderentur,& ſolum cæleſte corpus per ſe,præterea ab omnibus recentioribus reiicitur.

Secunda ſententia eſt,quæ aſſerit,non ſolum cæleſte corpus, ſed elementa conſiderari per ſe: & cum hæc omnia ſint ſimplicia corpora,diſtincta à corporibus mixtis, ſubiectum adæquatum huius operis eſſe corpus ſimplex, ſub quo comprehenduntur quatuor elementa, & cælum. Itaque ſubiectum huius operis iuxta hanc opinionem,eſt corpus ſimplex, vt mobile ad vbi. Hæc eſt opinio Simplicij in proœmio huius operis,quam ſequuntur ibidem Conimb. & alij. Probant ex progreſſu huius operis:nam in 1.& 2.lib.eius agit Ariſtoteles de cælo, & in 3. & 4. de elementis: mixta vero ſub ratione non ſeorſim conſiderari oportuit, ſed ad eandem conſiderationem ſimpliciorum reducere, quia ad eoſdem ſitus elementorum pertinent,&.iuxta naturam elementi in eis prædominantis mouentur;vt quæ terreſtria ſunt, ad ſitum terræ, quæ aerea,ad ſitum aeris.Vnde ſequitur ſola ſimplicia corpora, in quantum ad proprios ſitus mobilia ſunt, per ſe conſiderari.Deinde ratione 1.quia euidens eſt,conſiderationem corporis ſimplicis, in quantum mobile eſt ad vbi, per ſe pertinere ad naturalem philoſophiam, & non eſt minus euidens quod in nulla alia parte,præter iſtam,hoc modo conſideretur:ergo euidens erit ad hanc per ſe pertinere, & ex conſequenti eſſe ſubiectum adæquatum eius. Secundo, quia ſi totum vniuerſum,dicatur eſſe ſubiectum,vt plures opinantur, (ait Simplicius) ſequeretur in his libris agere debere Ariſtotelem de omnibus partibus vniuerſi,vſque ad animantia,& plantas, alioqui non poterit naturam eiuſdem vniuerſi explicare:cum completa cognitio totius dependeat ex cognitione omnium par-

Digitized by Google

Quodnam ſit huius operis ſubiectum.

QVæſtio intelligitur de ſubiecto adæquato comprehendente omnia, quæ tractantur in ſcientia, à quo certum eſt ſpeciem ſumere; non de principali, quod ſemper eſt præcipua pars eius, vt conſtat in omnibus ſciẽtiis: maximam vero rationem dubitandi præbuit multitudo, atque diuerſitas rerum, de quibus diſſeretur in his libris: nam in primo mundus, ſeu vniuerſum, & proprietates eius conſiderantur: in ſecundo ſolum cæleſte corpus; in tertio, & quarto elementa. Hæc igitur diuerſitas rerum in diuerſas quoque ſententias abire coegit antiquos Ariſtotelis interpretes. Nam Iamblicus, & Syrianus cum eo, quorum meminit diuus Thomas in proœmio huius operis, tenent, corpus cæleſte eſſe ſubiectum eius. Quod probant ex inſcriptione: nam apud Græcos inſcribitur de cælo: ſed inſcriptio continet materiam totius operis; ergo corpus cæleſte habet rationem completæ, ſeu adæquatæ materiæ, & ſubiecti totius operis. Secundo, quia ſubiectum: ſcientiæ illud dumtaxat eſſe poteſt, quod per ſe conſideratur. Sed in his libris ſolum conſideratur per ſe corpus cæleſte, de cæteris vero corporibus quaſi per accidens agitur, nempe vt ſub eo contentis, vel ad cognitionem illius conducentibus, ſeu influxum eius participantibus: ergo ſolum cæleſte corpus erit ſubiectum huius operis.

Hæc tamen ſententia improbabilis viſa eſt D. Thomæ, & meritò, quia non conſueuit Ariſtoteles, nec vllus ſcientiæ auctor maiorem partem ſcientiæ aſſignare rebus, non per ſe, ſed per accidens ſolum ab eo conſideratis. Sed conſtat Ariſtotelem partem ſecundi libri, atque etiam tertium, & quartum integros ſolis elementis aſſignaſſe: ergo abſurdum eſt dicere, quod

quod non per ſe, ſed per accidens ab eo conſiderentur,& ſolum cæleſte corpus per ſe,præterea ab omnibus recentioribus reiicitur.

Secunda ſententia eſt,quæ aſſerit,non ſolum cæleſte corpus, ſed elementa conſiderari per ſe: & cùm hæc omnia ſint ſimplicia corpora,diſtincta à corporibus mixtis, ſubiectum adæquatum huius operis eſſe corpus ſimplex, ſub quo comprehenduntur quatuor elementa, & cælum. Itaque ſubiectum huius operis iuxta hanc opinionem,eſt corpus ſimplex, vt mobile ad vbi. Hæc eſt opinio Simplicij in proœmio huius operis,quam ſequuntur ibidem Conimb. & alij. Probant ex progreſſu huius operis:nam in 1.& 2.lib.eius agit Ariſtoteles de cælo, & in 3. & 4. de elementis: mixta vero ſub ratione non ſeorſim conſiderari oportuit, ſed ad eandem conſiderationem ſimpliciorum reducere, quia ad eoſdem ſitus elementorum pertinent,&,iuxta naturam elementi in eis prædominantis mouentur;vt quæ terreſtria ſunt, ad ſitum terræ; quæ aerea,ad ſitum aeris.Vnde ſequitur ſola ſimplicia corpora, in quantum ad proprios ſitus mobilia ſunt, per ſe conſiderari.Deinde ratione 1.quia euidens eſt,conſiderationem corporis ſimplicis, in quantum mobile eſt ad vbi, per ſe pertinere ad naturalem philoſophiam, & non eſt minus euidens quod in nulla alia parte,præter iſtam,hoc modo conſideretur:ergo euidens erit ad hanc per ſe pertinere, & ex conſequenti eſſe ſubiectum adæquatum eius. Secundo, quia ſi totum vniuerſum,dicatur eſſe ſubiectum,vt plures opinantur, (ait Simplicius) ſequeretur,in his libris agere debere Ariſtotelem de omnibus partibus vniuerſi,vſque ad animantia,& plantas, alioqui non poterit naturam eiuſdem vniuerſi explicare:cum completa cognitio totius dependeat ex cognitione omnium par-

tium. Sed conſtat, non de omnibus partibus vniuerſi agere, ſed ſolum de quinque corporibus ſimplicibus, videlicet, elementis, & cælo, ergo non vniuerſum, ſed corpus ſimplex ſubiectum erit.

Tertia opinio eſt Alex. quem ſequitur D. Thom. in proœmio huius operis, aſſerentis, mundum ſeu vniuerſum vt eſt compoſitum quoddam ex quinque corporibus ſimplicibus, tanquam ex partibus, videlicet cælo, & elemẽtis eſſe ſubiectum huius operis adæquatum, ipſa vero elementa conſiderari præciſe, vt partes: & videtur nobis probabilior, & magis ad mentem Ariſtot. Probatur vtrumque quia ſubiectum eſt, cuius proprietates conſiderantur in ſcientia: ſed in hoc opere conſiderat Ariſt. proprietates mundi; ſeu vniuerſi: ergo hoc erit ſubiectum. Probatur minor ex text. 4. huius libri, vbi promittit ſe acturum de natura vniuerſi, & diſputaturum, an ſit finitum, vel infinitum, & ex text. 77. vbi oſtendit eſſe vnum, & eodem text. 4. eſſe perfectum, & in fine eiuſdem primi libri, atque etiam in 2. probat eſſe ingenerabile, incorruptibile, atque æternum, & tandem cap. 2. text. 5. eiuſdem 1. libri aſſerit, ſe acturum de corporibus ſimplicibus, in quantum partes ſunt, ex quibus vniuerſum componitur: ergo hoc per ſe primo conſiderat, tanquam primarium, & adæquatum obiectum, corpora vero ſimplicia præciſſe, vt ſunt partes eius.

Argumentum primæ opinionis difficultate caret, nam maior plane falſa eſt, quod inſcriptio operis, vel ſcientiæ, continere debeat omne illud, quod per ſe conſideratur ab ea, vel quod à tota materia accipiatur: ſed ſæpe ab vna aliqua parte principaliori accipi ſolet: & ita accipitur inſcriptio huius operis à cœlo, tanquam à principaliori parte vniuerſi per ſe primo, & adæquate conſiderati. Ad 2. neganda eſt minor, quod

de

de ſolo cæleſti corpore diſſeratur, per ſe in his libris, de reliquis vero corporibus per accidens: nam primaria, ac præcipua conſideratio circa totum vniuerſum verſatur, & per ſe etiam conſiderantur elementa tanquam partes eius.

Ad primum vero opinionis ſecundæ reſpondeo, ex progreſſu Ariſtot. in his libris ſolum haberi poſſe quod conſideret per ſe corpora ſimplicia, non tamen propter ſe, ſed propter vniuerſum, ad quod conſtituendum per ſe ordinantur: hoc eſt ergo per ſe, primo, & adæquate conſideratum, corpora verò ſimplicia, tanquam partes eius: partium autem rationem habent, ratione ſitus, quem in vniuerſo eis natura tribuit, & ad quem mouentur; quare idem eſt conſiderari, vt mobilia ad proprium vbi, vel locum: ac conſiderari: tanquam partes vniuerſi, quod ſub eadem ratione conſtituere patet.

Secundum vero argumentum ſolùm probat, quod ſimplicia corpora in quantum mobilia ad vbi per ſe conſiderentur in hoc opere, quia hoc modo ſumpta, partes ſunt vniuerſi, primo, & adæquate conſiderati, ex quo non habetur, quod obiectum eius ſint, ſed ſolum quod ſint obiecti partes. Ad 2. neganda eſt conſequentia, quod agere debeat Ariſt. in hoc opere de omnibus corporibus mixtis vſque ad partes: quia ſola ſimplicia corpora ſunt partes per ſe primo conſtituentes vniuerſum, in quantum ordinantur ſecundum ſitum in eo, mixta vero, quaſi ſecundariæ partes cenſeri poſſunt quas primariæ comprehendunt, quia eis præbent ſitum in vniuerſo; cum conſtet ad ſitum prędominantis elementi pertinere, & ad locum eius moueri naturaliter.

Ex his colligitur 1. opus hoc proxime poſt libros Phyſ. collocandum eſſe, quia vniuerſum de quo agit,

Digitized by Google

omnia ferme, de quibus differunt cæteræ partes continet. Quare ſtatim poſt vniuerſalia principia omnium naturalium corporum explicari debuit. Secundò intelligitur dignitas eius, nam præter animam, & animata corpora (ſimplicibus abſque dubio digniora) primum locum tenet inter partes philoſophiæ; cum digniora ſint corpora, ex quibus vniuerſum componitur, præſertim cæleſtia, vt per ſe eſt manifeſtum. Intelligitur 3. quanta nobis proueniat vtilitas ex opere hoc, vel certe ex notitia, ſeu cognitione vniuerſi: nam cognitio, cum primis horum corporum (præſertim cæleſtium, vt pote nobiliſſimorum) cognitio quoque effectuum in his omnibus inferioribus ex influxu eorum prouenientium rationali creaturæ digniſſima eſt, valdeque vtilis ad Dei notitiam conſequendam, propriaſque dirigendas operationes.

Totius operis diuiſio.

DIuiſio huius operis trimembris eſt, nam licet quatuor libris fuerit ab Ariſtotele ordinatum, atque diſtinctum, tria tantum in eis docet; in primo quidem naturam vniuerſi, & partes, quibus componitur, in vniuerſali explicans, atque etiam proprietates in particulari. In ſecundo præcipuam eius partem, nempe cæleſte corpus, varioſque motus, atque virtutes, & influentias. In tertio, & quarto agit de elementis, & eorum motibus.

Diuiſio primi libri.

PRimum tandem librum in tres alias partes ſic poſſimus diſtribuere: vt in prima oſtendat Ariſtoteles vniuerſum perfectum eſſe quinque corporibus conſti

conſtitutum;nam præter quatuor conſueta elementa, quæ ſuis rectis motibus ſurſum, ac deorſum mouentur,quintum aliud ponendum eſſe probat alterius naturæ,cui non motus rectus, ſed circularis naturaliter conueniat.In ſecundo oſtendit mundum, & numero, & magnitudine finitum eſſe,ita vt neque vllum corpus actu infinitum compleatur, neque plures ſint mundi, ſed vnus dumtaxat:& tandem ingenerabilem, & incorruptibilem,neque initium durationis habuiſſe,finem aliquando habiturum.

CAPVT I.

Textus Ariſtotelis.

Scientia de natura fere plurima videtur circa corpora, & magnitudines,&c.

Breuis expoſitio textus.

INtentum Ariſtotelis in hoc capite primo,eſt oſtendere, vniuerſum eſſe perfectum. Diuiditur autem in duas partes:in priori quædam præſupponit,& probat,ex quibus in poſteriori concludit intentum. Primum ſuppoſitum vniuerſaliſſimum eſt, videlicet naturalem philoſophiam ,maxima ex parte verſari circa corpora , & magnitudines , & eorum proprietates: corpora ſcilicet prædicamenti ſubſtantiæ , & magnitudines prædicamenti quantitatis , quia philoſophia naturalis verſatur circa naturam,vel ens naturale : ſed corpora,& magnitudines ſunt entia naturalia,aut ſecundum naturam ; ergo verſatur circa hæc. Vnde etiam ſequitur ad eandem philoſophiam pertinere,

quod de vniuerſo probet perfectum eſſe, cum ſit corpus naturale, atque ex naturalibus corporibus compoſitum.

Cætera, quæ præſupponit, particularia ſunt, & tria: Primum eſt definitio continui, quod ſit diuiſibile in ſemper diuiſibilia, quæ definitio materialis vocatur, quia per eam explicatur continuum ſecundum partes integrantes, quæ ſunt quaſi materia eius; illa vero, quam aſſignauit Ariſtoteles ipſe 5. lib. Phyſicorum: nempe continuum eſt, cuius partes copulantur ad vnum terminum communem, formalis dicitur; quia modi vnionis, quibus vniuntur partes, & vocantur indiuiſibilia earum, quaſi forma ſunt eiuſdem continui, vt talis, cum continuitatem eius conſtituant. Secundum præſuppoſitum eſt quod corpus ſit omni quaque ſeu omni ex parte diuiſibile, hoc eſt diuiſibile ſecundum omnem dimenſionem, quod ſic probat: linea eſt diuiſibilis ſecundum vnam dimenſionem longitudinis: ſuperficies ſecundum duas, longitudinis, & latitudinis: corpus ſecundum tres, longitudinis, latitudinis, & profunditatis: ſed preter has dimenſiones nec datur alia, nec probabilis eſt, quod fuſius probat Ariſtoteles: ergo corpus eſt diuiſibile, ſecundum omnem dimenſionem, & ideo omni ex parte diuiſibile.

Ex his probat iam intentum nempe vniuerſum eſſe perfectum quid in ſua ſpecie, & ordine. Primo quidem ex eo, quod eſt corpus, quia corpus eſt perfectum quid, cum complectatur omnem dimenſionem, ſed vniuerſum eſt corpus, immo ex quinque corporibus compoſitum: ergo eſt quid perfectum. Secundo, nam corpus, quod nec eſt pars alterius, nec ab eo continetur, aut circumſcribitur, perfectum quid eſt, cum careat imperfectione partis, & limitatione circunſcribētis: quod enim ab alio circumſcribitur, quaſi

limi

limitari ab eo cenſetur; ſed vniuerſum continet omnia corpora,& à nullo continetur, vt per ſe patet, ergo perfectum quid eſt in ſua ſpecie, & ordine rei corporeæ.

QVÆSTIO VNICA.

An mundus perfectus ſit, vt decernit Ariſtoteles.

EX tribus præſertim (omiſſis aliis) oſtendi poteſt, mundum non eſſe perfectum, vt contendit Ariſtoteles. Primo ex diffinitione perfecti, ab omnibus admiſſa, videlicet perfectum eſt,cui nihil deeſt; ex iis ſaltem, quæ ſuæ naturæ conuenire apta ſunt, eique debita; ſed mundo deſunt plura,quæ ſuæ naturæ conuenire apta ſunt, ergo imperfectum quid eſſe cenſebitur. Minorem probo, quia mundus eſt vniuerſum quoddam, ad cuius vniuerſalem rationem pertinent in primis omnes gradus eſſendi, atque etiam ſpecies omnes poſſibiles, atque indiuidua, in quibus iidem gradus eſſendi ſubſiſtere apti ſunt:ſed conſtat, pluribus carere ſpeciebus,atque indiuiduis ſub eiſdem gradibus eſſendi comprehenſis, quæ à Deo fieri poſſunt: nam ſub quolibet gradu eſſendi naturaliter poteſt Deus plures ſpecies condere, vt ſub gradu eſſendi incorruptibilium corporum, plures cælos numero, atque ſpecie diuerſos,& pariter ſub reliquis: ergo multa deſunt huic mundo ei conuenire apta, & propterea perfectum eſſe non poteſt. Cui adiungi poteſt proprietas illa mali ab omnibus admiſſa,videlicet ex quocunque defectu conſurgere: ſed mundus plures defectus habet vt monſtra, & peccata, ergo malum erit

ſimpliciter,& ex conſequenti imperfectum. Nec ſoluit argumentum vulgaris reſponſio, quod ex his defectibus conſurgit mira quædam varietas, maiorem perfectionem eidem mundo conferens, quam ſine his haberet. Nam contra hoc eſt, quod longe perfectior foret mundus ſine his, vt conſtaret, ſi in primo ſtatu innocentiæ duraret homo, & abeſſent peccata, quibus non ſolum deordinatur homo à ſuo fine, ſed etiam ſuo modo reliquæ creaturæ, nam malus vſus earum quandam deformitatem eis conferre, notum eſt. Secundo, quia mundus ex vna parte caret perfectioribus modis eſſendi creaturarum, nam ſpiritualia, vt Angeli extra mundum eſſe cenſentur, cum ſub gradu eſſendi corporeo non comprehendantur. Vnde ſuper humanas mentes eos vocat D. Dionyſius 5. cap. de cæleſti hierarchia, quaſi extra mundi ordinem conſiſtentes, ſed modi eſſendi cenſentur quaſi partes eſſentiales eius: ergo aliquo ex eis carens mundus non erit perfectus. Ex alia vero parte multa habet ſuperflua, qualia ſunt mixta omnia, quibus carebit poſt diem iudicij, & ſine quibus non erit minus; ſed magis perfectus: nam quod perfectiorem ſtatum tunc habiturus ſit, docent ſancti Patres, & ex ſacra pagina id colligunt. Ex tertio tandem probatur, quia rationes Ariſtotelis quibus probauit vniuerſum eſſe perfectum, nullius momenti ſunt: ergo fundamento carebit id affirmare. Probatur antecedens: nam ratio prior eius eſt, quia corpus eſt perfectum quid, cum ſit diuiſibile ſecundum omnem dimenſionem, nempe longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ergo vniuerſum ex corporibus conſtitutum perfectum quid erit. Sed quam friuola ſit hæc ratio, conſtat: nam ſi hoc ſufficeret ad perfectionem, etiam foret perfectum, quamuis confuſe, & ſine ordine haberet eadem

corpo

corpora,quæ nunc habet,quia corpus eſſet,& ex corporibus conſtitutum. Ratio etiam poſterior inefficax eſt, quod vniuerſum ſit perfectum, quia à nullo continetur,nam locus non continetur ab alio, & eſt quid imperfectum.

His tamen non obſtantibus dicendum eſt, vniuerſum eſſe perfectum, non quidem abſolute, quia nulla creatura poteſt hoc modo eſſe perfecta, ſicut nec poteſt carere imperfectionibus, in ratione ipſa creaturæ neceſſario incluſis, ſed in ſuo genere, & gradu, eo videlicet modo, quo creatura perfecta eſſe poteſt, ſi habeat quidquid naturæ ſuæ debitum, atque conueniens eſt.

Quod probatur 1. ex verbis ſacræ paginæ Gen. 1. vbi poſtquam Deus vniuerſum condidit, quaſi actu quodam reflexo (noſtro modo intelligendi) opus ſuum reſpiciens approbauit illis verbis: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona:* quaſi dixerit conſummatum, atque in ſuo ordine perfectum eſſe. Probatur etiam ratione, quia illud eſt perfectum in ſuo genere, & ordine, cui nihil perfectionis ſuæ naturæ debitæ, atque congruentis deeſt: vt homo vel Angelus perfecti dicuntur, ſi nihil debitum, aut congruens naturæ humanæ, aut Angelicæ eis deſit. Sed vniuerſo nihil deeſt naturæ eius debitum: ergo in ſuo ordine perfectum cenſetur. Minorem probo, quia perfectio eſſentialis totius conſurgit ex perfectione partium eſſentialium, debito modo ordinatarum, & perfectio ſubſtantialis, ſeu integralis ex partibus integrantibus, quas eadem natura poſtulat; ab eſſentia vero ſic perfecta emanant proprietates, aut paſſiones eidem naturæ debitæ, & ſuo modo accidentia, ſpectantia ad ornatum: ſed hæc omnia habet vniuerſum, ergo perfectum cenſeri debet. Probo iterum minorem,

rem, quia partes eſſentiales vniuerſi ſunt omnes modi eſſendi per genera, & ſpecies diſtributi, & in earum indiuiduis ſubſiſtentes. Quos vniuerſum continere manifeſtum eſt, cum non ſint alij modi eſſendi excogitabiles, præter eos, ex quibus prædicamentum ſubſtantiæ, & nouum accidentium coaleſcunt, ſub quibus genera omnia, ſpecies, & indiuidua, continentur, & conſequenter eorum proprietates, & accidentia, vt modi eſſendi corporeæ ſubſtantiæ, & ſpiritualis corporum ſimplicium, atque mixtorum, viuentium & vitæ expertium, modi item eſſendi naturæ ſenſitiuæ, atque inſenſibilis, & tandem modus eſſendi naturæ rationalis, cum proprietatibus, & accidentibus omnium. Ex quibus nouem prædicamenta accidentium conſtituũtur, & hæc ſunt quaſi partes materiales vniuerſi: forma vero cenſetur eſſe debita ordinatio horum omnium, quam non eſt minus notum habere inter ſeſe: nam hos omnes gradus eſſentialiter ſubordinatos eſſe conſtat, genera etiam, atque ſpecies, per quę diſperſi ſunt, & ſingulis ſpeciebus ſubordinantur indiuidua à quibus participantur, & in quibus ſubſiſtunt. Proprietates vero, & accidentia eiuſdem generibus, ſpeciebus, & indiuiduis, à quibus emanant, atque dependent, & ſuſtentantur; negari ergo non poteſt, vniuerſum habere quidquid perfectionis eſſentialis, ſubſtantialis, & accidentalis, materialis, & formalis, poſtulat natura eius, & ex conſequenti, quod ſit in ſuo ordine, & gradu perfectum, vt Ariſtot. cap. præſenti docet, & tenet cum eo communis conſenſus SS. Patrum, Scholaſticorum, atque Philoſophorum.

Ad primum argumentum neganda eſt minor, quod vniuerſum careat ſpeciebus, & indiuiduis, quæ poteſt Deus efficere: nam licet ei plura ex his addere,

re, non ſunt tamen ei debita neque neceſſaria, quia ad finem cuius gratia illud condidit, & ad effectus, pro quibus præſtandis conditum eſt, ſufficiunt ei ſpecies, & indiuidua, quæ habet, per quem omnes gradus eſſendi ſufficienter manifeſtantur. Ad aliud vero, quod de defectiuus additur, fatemur eos habere, ſed negamus, ita ab eis infici, vt imperfectius reddatur, ac foret, ſi eis careret: nam huiuſmodi defectus duplices ſunt naturales, & liberi, & de naturalibus notum eſt, occaſionaliter perficere vniuerſum, nam bona quæ ſunt in vniuerſo, pulchriora ex eorum comparatione apparent, & ex vtriuſque mira quædam varietas conſurgit, qua careret vniuerſum eis orbatum. De defectibus autem liberis non eſt minus manifeſtum, nam etſi vitia, & peccata in ſe, & per ſe mala ſint multis virtutibus exercendis occaſionem præbent, vt vindicatiuæ iuſtitiæ, patientiæ, & miſericordiæ Dei, quæ etiam magis vitiorum comparatione ſplendet. Et quamuis aliis bonis occaſionem non præbuiſſent, id ſufficeret profecto, quod iuxta D. Thomæ, & aliorum ſententiam, valde probabilem, bono quodam infinito careret mundus, niſi peccata adeſſent, nempe Chriſti incarnatione, per quam Deum noſtrum verum hominem habemus, & veram vniuerſi partem, à qua plus decoris accipit, quàm à cæteris omnibus ſpeciebus, & indiuiduis. Vnde fit maiorem longe perfectionem habere poſt peccatum, quam habuiſſet, ſi ſtatus innocentiæ duraret: præterquam quod hic ſermo eſt de perfectione vniuerſi in eſſe naturali, non in eſſe morali. Ad ſecundum neganda eſt maior, quod mundus careat gradu eſſendi rerum ſpiritualium; nam licet Angeli non ſint partes mundi elementaris, ſed quibus mediis plura ad eum ſpectantia adminiſtrentur à Deo, ſunt tamen partes vniuerſi,

vniuerſi, de quo præſens controuerſia procedit ad plura ſe extendens, & omnes gradus eſſendi complectens. Ad aliud vero, quod de mixtis additur, negamus, quod ſuperflua ſint, imo in ſuo gradu eſſendi, & ad humanos vſus pro ſtatu præſenti neceſſaria. In poſteriori vero ſtatu, videlicet poſt iudicium ceſſabit poſterior hæc neceſſitas conditione hominis (cuius gratia facta ſunt) variata, & ſufficiet gradum eſſendi eorum in ſpecie humana permanere.

Ad tertium reſpondeo vtrumque argumentum Ariſtotelis probabile tantum eſſe, & quaſi congruentiam quandam; nam ſi corpus in ſuo ordine quantitatiuo perfectum quid eſt, quia continet omnes dimenſiones, ſic vniuerſum ex corporibus compoſitum, & omnia corpora, continens perfectum in ſuo genere erit, omnia vero continere intelligit ordinata, atque diſpoſita, vt poſtulat natura eorum: quare non ſequitur perfectum fore, etiamſi confuſa quadam ratione ea contineret. Ratio etiam poſterior duo aſſumit, primum, quod omnia contineat vniuerſum, ordinata quidem, & à nullo contineatur. Ex quibus probabiliter ſequitur eſſe perfectum, ſed ratio à nobis adducta in eiſdem argumentis Ariſtotelicis virtute contenta efficax eſt. Ratio poſterior etiam vnum præſupponit, nempe quod vniuerſum omnia contineat iuxta eorum naturas ordinata, & aliud aſſumit, quod à nullo contineatur, ex quibus ſatis probabiliter ſequitur, quod perfectum ſit.

***

CAPVT

CAPVT II.

Textus Ariſtotelis.

De his autem, quæ ſecundum ſpeciem ipſius partes ſunt, nunc dicamus, &c.

Expoſitio textus.

Oſtenſo in 1. capit. quod vniuerſum ſit perfectum, incipit in hoc 2. agere de partibus eius, & primo de cælo, tamquam de perfectiori, de quo primo oſtendit, quod ſit in rerum natura. Diuiditur autem in duas partes, in priori quædam præſupponit neceſſaria ad id probandum, in poſteriori id probat quinque argumentis.

Primum præſuppoſitum eſt, corpora omnia moueri motu locali, nam cum natura conſtent, quæ principium motus localis eſt, neceſſario debent moueri tali motu. Secundo præſupponit motum localem in communi triplicem eſſe, nempe circularem; quo mouetur corpus ab eodem in idem, hoc eſt, in eodem loco, vel ſpatio circumuoluitur, & rectum, quo mouetur ab vno in alterum locum, & iſti quidem ſunt motus ſimplices, ſed tertius, quaſi ex vtroque mixtus, vel compoſitus eſt, vt motus papyri, aut alterius rei, quæ hac, & illac mouetur, & non à determinato in determinatum locum. Probat vero motus ſimplicis in communi duos tantum eſſe, videlicet, circularem, & rectum, aut ſpatia, ſeu magnitudines, per quas fiunt motus, ſimplices duæ tantum ſunt, nempe circularis, & recta: ſed in particulari ſunt tres, quia rectus diuiditur in motum ſeorſum, & in

motum

motum ſurſum.

Quibus præſuppoſitis probat, quod præter quatuor elementa, ponendum ſit quintum corpus ſimplex, quinque argumentis. Primum eſt, omnis motus ſimplex conuenit naturaliter alicui corpori ſimplici, ſed circularis motus eſt ſimplex, & non conuenit elementis; ergo præter quatuor elementa dari debet aliud corpus ſimplex, cui naturaliter conueniat. Secundum, motus circularis conuenit cælo naturaliter, ſeu violenter, ſi naturaliter ei conuenit, cum elementa habeant proprios motus naturales, ſurſum, vel deorſum, & vnum corpus vnum tantum motum habere poſſit, ſequitur cælum elementum eſſe non poſſe: ſi violenter ei conuenit, & non eſt corpus diſtinctum ab elementis, cuilibet elemento erit duplex contrarium, ſcilicet motus ſurſum, aut deorſum, & circularis, cum tamen vnum plura contraria non habeat.

Tertium, nobilior motus, & natura prior cæteris, nobiliori corpori debet conuenire, ſed motus circularis eſt nobilior, ac prior natura cæteris motibus, vtpote per lineam perfectiorem factus: ergo priori, ac nobiliori corpori, quam elementis debet conuenire.

Quartum, motus circularis naturaliter non conuenit elementis, cum ex propria natura moueantur motu recto ſurſum, aut deorſum: ergo conuenit eis præter naturam: ſed motus conueniens alicui corpori præter naturam, non poteſt non alteri naturalis conuenire: ergo præter illa datur quintum corpus ſimplex, cui conueniat motus circularis.

Vltimum argumentum, euidens eſt dari in rerum natura motum circularem, & ſimplicem, vel ergo datur corpus, cui ſit naturalis, vel non: non dari repugnat.

pugnat, quia cum motus circularis ſit perfectiſſimus, alicui corpori naturaliter accommodari poteſt, & cum ſit perpetuus, vt 8. libro phyſicorum probauit; non poteſt conuenire alicui violenter, quia violentum non eſt perpetuum, ergo neceſſe eſt naturaliter conuenire alicui corpori, quod cum non poſſit eſſe aliquod ex elementis, neceſſe eſt quintum aliud corpus præter illa ponere, cui naturaliter conueniat, & quod longe perfectioris naturæ ſit cæteris omnibus corporibus ſublunaribus.

QVÆSTIO I.

An diuiſio motus in rectum, circularem, & mixtum, ab Ariſtotele tradita, ſit adæquata.

ADnotandum eſt, ſimplicitatem vel compoſitionem motus deſumendam eſſe ex ſimplicitate lineæ, ſeu ſpatij, aut contrapoſitione eiuſdem, & ex ſimplicitate, aut contrapoſitione principij motiui: linea vero ſimplex mathematice ſumpta, ſi recta ſit, ita definienda eſt. *Quæ ab vno ad alìud punctum, quam breuiſſime pertingit.* Circularis vero, *Cuius omnes partes ab aliquo vno puncto æque diſtant.* Mixta autem erit, *quæ inter duo puncta non omnino breuiſſime extenditur.*

Potentia autem motiua ſimplex ea eſt, quæ per ſe ad vnum tantum locum, ſeu vbi inclinat: potentia mixta, ſeu compoſita quæ ad loca vel vbi diuerſa tendit. Iuxta hæc igitur ſic definiri debet motus ſimplex: *Qui fit à ſimplici virtute, ſeu potentia motiua Phyſica ſuper magnitudinem ſeu ſpatium ſimplex:* Motus vero mixtus: *Qui fit à virtute motiua mixta, ſeu compoſita, per*

ſpatium, vel magnitudinem, aut lineam compoſitam.

Senſus igitur quæſtionis talis eſt, an motus localis naturalis, vt diſtinguitur à motu progreſſiuo, & ſolum conuenit corporibus non viuentibus, rectè, & adæquate ſit diuiſus ab Ariſtotele in tria illa membra, nempe, rectum, circularem, & ex vtroque mixtum. Et videtur, non eſſe bonam diuiſionem, quia præter hos tres motus dantur alij non comprehenſi ſub eis, nec ad eos reducibiles: ergo non eſt adæquata, nec bona diuiſio. Antedens probo ex tribus; nam ſi portio aliqua ignis, vel terræ prociiciatur ab oriente in occidentem per lineam rectam, talis motus non erit rectus, quia nec eſt motus ſurſum, nec deorſum (in quos adæquate diuiditur motus rectus ab Ariſtotele hoc loco) cum nec ſit à medio, ſeu à cētro, nec ad medium, nec centrum tendat. Præterea, ſi portio aeris moueatur à concauo Lunæ vſque ad proprium locū, ſeu ſphæram per lineā rectam, talis motus, cū ſit ſimplex, non eſt circularis, vt per ſe patet; ſed neque rectus, cum nec ſit à centro mundi, nec ad idem centrum tendat; ergo ſub hac diuiſione non comprehendetur. Et tandem, ſi formica moueretur in circulo iuxta centrum terræ, talis motus non eſſet mixtus, quia fieret æqualiter circa medium; ſed nec ſimplex, cum eſſet corporis mixti, ergo nec poteſt comprehendi ſub aliquo membro huius diuiſionis.

His tamen non obſtantibus, tenendum nobis eſt, diuiſionem ab Ariſtotele conſtitutam bonam eſſe, & adæquatam; ita ſentiunt omnes eius interpretes, capite præſenti. Alexander, Simplicius, Themiſtius, Albertus Magnus, D. Thomas, atque etiam D. Damaſcenus in ſua phyſica capite 6. Et probatur hac ratione: motus naturalis proprie ſumptus, hoc eſt, immediate, & per ſe procedens à natura mobili, nec ab intellectu,

volun

voluntate, aut appetitu dependens, quem Ariſtoteles diuiſit, ſolum habet tria illa membra, nempe, rectum, circularem, & mixtum ex vtroque: ergo rectè, & adæquate in ea diuiditur. Probatur minor, quia non eſt excogitabilis particularis motus naturalis, qui non procedat ab aliqua virtute ſimplici, aut mixta, & qui non fiat per ſimplicem lineam, aut mixtam, & qui non procedat à medio, vel in medium tendat, ſeu circa medium fiat, & ita qui non ſit circularis, vel rectus, aut ex vtroque mixtus, vel ſub his membris comprehendatur. Quod probatur etiam ex ſolutione argumenti propoſiti: nam ad formam eius negandum eſt antecedens, quod ſub motu naturali proprie ſumpto (vt accipitur ab Ariſtotele) comprehendantur alia membra, præter illa tria: nam motus, quo moueretur portio ignis, vel terræ ab oriente in occidentem, non foret naturalis, nec à naturali virtute eorum procederet, ſed purè ab extrinſeco proiiciente, & quidem libero, vel caſuali, aut contingéte, vt per ſe eſt manifeſtum, quare nec ſub diuiſo eiuſdem diuiſionis comprehenderetur, & pariter dicendum foret de motu formicæ circa centrum, cum ſit motus progreſſiuus ab appetitu, & cognitione ſenſitiua procedens, & ideo non naturalis proprie ſumptus: motus denique particulæ aeris à concauo Lunæ ad propriam Sphæram vere eſt motus rectus, immo vere eſt motus ſurſum, quia ad locum, qui vere, ac ſecundum naturalem ordinem, ac diſpoſitionem mundi ſurſum eſt, tendit per eum corpus, & quamuis à loco ſurſum proficiſcatur, virtute dicitur, talis motus eſſe à centro mundi, eo ipſo, quod tendit in locum centro oppoſitum, quia motus naturalis inter terminos formaliter, aut virtualiter oppoſitos verſari debet: ac propterea, quilibet locus, à quo

tendit mobile, in proprium, ac naturalem, habet rationem oppoſiti. An vero tales motus & oppoſiti, quibus corpus naturaliter tendit in locum proprium, medium quidem inter centrum, & concauum Lunæ ſint formaliter ad medium, vel à medio; ita vt mobile per ſe tendat in locum extremum, ad quem perueniret naturaliter, niſi impediretur à corpore medio, vel certe in medio ipſo ſiſteret; quamuis ibi nullum foret corpus impediens, inferius diſcutietur.

QVÆSTIO II.

An motus circularis, quo mouetur cælum, ſit ei naturalis, vel præter naturam.

QVæſtio procedit in communi de cæleſti corpore, ac motu eius circulari, & non inquirimus, an ei conueniat violenter, quia neminem vnquam dixiſſe reperio violentum ei eſſe: cum enim conſtet, cælum eſſe præcipuum corpus ſimplex, ex quo vniuerſum componitur, ſatis eſt per ſe manifeſtum, ſupremum ſitum, quem habet ſupra elementa eſſe ei naturalem; quod igitur in illo eodem ſitu circumuolatur, non poteſt eſſe violentum, quia nec illum deſerit per motum, nec motus ipſe eum non deſerendo contra aliquam inclinationem naturalem, eiuſdem corporis eſſe poteſt, nec proinde violentus, quia violentum eſt contra inclinationem naturalem: ſolum ergo quærit titulus quæſtionis, an ſit ei naturalis, vel præter naturam.

20 Et prior ſententia tenet motum circularem non eſſe naturalem cælo, ſed præter naturam: ita Auicena

cena 9. libro ſuæ Metaphyſicæ capit. 2. Albertus Magnus 2. libro Phyſicorum, titul. 1. capit. 2. Scotus in 2. diſtinct. 2. quæſt. 6. & in 4. diſtinct. 48. quæſt. 2. Richardus in 2. diſtinct. 14. quæſt. 6. Durandus ibidem, quæſt. 2. & cum eis recentiores nonnulli. Probatur primo, quia non procedit ex naturali inclinatione cælo, nec ex contraria, ſed à cauſa extrinſeca mouente: ergo. Secundo, quia natura ſemper operatur propter aliquem finem, vt 2. libro Phyſicorum capit. 8. docuit Ariſtoteles; ergo omnis motus naturalis propter aliquem finem naturalem eſſe debet, ad cuius conſtitutionem ordinetur: ſed nullus eſt finis naturalis, propter quem poſſit moueri cælum: ergo motus eius naturalis eſſe non poteſt. Probatur minor, quia ſi aliquis eſſet, maxime locus aliquis, aut vbi ſibi adquirendum per motum, ſed conſtat, in nullum locum naturaliter inclinari, ſed in illo, quem à principio dedit illi Deus, ſupra omnia corpora contentum eſſe, nec appetere modum aliquem ſe habendi in eo diuerſum ab eo, quem habuit in primo ſtatu ſuæ conditionis, quia omnes modi, omneſque diſpoſitiones, quas habere poteſt, aut variare in eo, ſunt eiuſdem rationis, & propterea nullam appetit potius, quàm aliam, ergo nec pro variatione earum poteſt naturaliter moueri. Immo, quod amplius eſt, nec locus ille, aut ſitus ſupremus poteſt eſſe ei naturalis, quare nec naturale eſſe poteſt ei in eo circunuolui. Probatur antecedens, quia ſolum eſſe poteſt locus naturalis corpori, vt in eo conſeruetur, ſed cœlum non pendet à loco in conſeruari, cum ſit ſua natura incorruptibile, & ideo eodem modo in quocumque conſeruetur loco; immo etiam ſi in loco non ſit, vt de prima ſphæra docuit Ariſtoteles 4. lib. Phyſicorum: ergo nullus locus poteſt eſſe ei naturalis. Præterea,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quia ſi locus eſſet naturalis cœlo; ergo naturaliter quieſcit in eo, ſicut terra, vel aqua in propriis, quare quies erit ei naturalis, motus vero nullo modo. Probatur tandē, quia motus ſua natura perpetuus opponitur quieti, ergo cui naturalis eſt talis motus, violenta erit quies. ex quo infertur, cœlum non niſi violenter quieſcere poſſe, & cum ſit certum motum eius, vſque ad diem iudicij, & non amplius duraturum, ſequitur violentam ei fore quietem, quod patet eſſe impoſſibile, cū perpetuo duratura ſit, & nihil violentum ſit perpetuum, vt inferius docet Ariſtoteles. Immo ex alia parte, ſi naturalis ſit ei motus, videtur neceſſario quietem quoque naturalem ei eſſe; quemadmodum quia naturalis eſt terræ motus deorſum, naturalis eſt ei quies in centro, & vniuerſaliter loquendo cuicunque naturalis eſt motus, naturalis videtur eſſe quies ei oppoſita: quare ſi cælū mouetur naturaliter, quieſcet quoque naturaliter, quod patet eſſe falſum, cum conſtet per miraculum quieturum poſt diem iudicij.

Secunda opinio oppoſita eſt aſſerens, motum circularem naturalem eſſe corpori cæleſti; quam ſequuti ſunt omnes fere antiquiores Philoſophi; Porphirius, Auerroes, Philo, quos refert, ac ſequitur Simplicius 2. libro Phyſicorum tex. 3. atque etiam D. Damaſcenus capit. 6. ſuæ philoſophiæ, Plotinus libro 1. Æneidos 2. capit. 8. D. Thomas 3. contra Gentes, capit. 22. & ibidem Ferrariēſis 1. parte, & 12. quęſt. 6. art. 5. ad ſecundum. D. Bonauentura in 2. diſtinct. 14. artic. 3. Capreolus in 2. diſtinct. 9. quæſt. 1. artic. 5. Soncinas 12. metaphyſicæ, quæſt. 11. ad 2. Sotus 2. lib. Phyſicorum, quæſt. 1. & ibidem Toletus. Pererius libr. 7. ſuæ philoſophiæ, cap. 7. & 10. Conim. lib. 1. de cælo. capit. 2. quæſt. 3. artic. 2. Probatur ex illo principio

Digitized by Google

pio Ariſtot. cap. præſenti, videlicet cuicumque corpori naturali conuenit aliquis motus naturalis, quia natura eſt principium motus; ſed cælum eſt corpus naturale cum componatur ex materia, & forma quibus conuenit ratio naturæ: ergo neceſſe eſt ei tribuere aliquem motum naturalem, nec habet alterũ præter circularem: ergo hic erit ei naturalis. Probatur deinde ratione, quia perfectio propriæ naturæ cuicunque eſt naturalis, & in eam inclinatur naturaliter: ſed motus circularis eſt propria, & maxima perfectio cæleſtis corporis, cum ſe communicet per eum his inferioribus, & maximam perfectionem eis tribuat; quare neceſſe eſt, eſſe illi naturalem, & in eum inclinari naturaliter.

Noſtra ſententia duabus aſſertionibus explicatur: prior ſit, conſiderato cœlo, vt eſt particulare corpus ex tali materia, & forma compoſitum, non eſt illi naturalis motus, ſed præter naturam eius ab agente extrinſeco, ac libero illatus. Probatur, quia cum motus ſit via in terminum, ſolum poteſt in eum inclinari corpus naturaliter, quia aliquem terminum per eum conſequendum appetat: ſed nullus datur terminus conſequendus per motum, quem cælum appetat naturaliter: ergo nec poteſt motum ipſum naturaliter appetere, aut in eum inclinari, & ex conſequenti, nec erit ei naturalis. Minorem ſic probo, non eſt excogitabilis alius terminus, acquirendus per motum circularem, niſi nouus aliquis modus præſentiæ in eodem ſitu, per quem alio modo ſe habeat cælum, in ordine ad ſpatium ſecundum diuerſam ſituationem partium, quam prius habebat, ſed talis modus præſentiæ eſt eiuſdem prorſus rationis cum eo, quem prius habebat, nec aliquam nouam

perfectionem ei affert diuerſæ conditionis ab ea, quam habebat: ergo nec talem modum, nec talem motum, per quem acquiratur poteſt appetere, immo nec magis motum, quam quietem. Confirmatur, quia elementa, & alia corpora mixta, non appetunt moueri, niſi quando carent aliqua perfectione ad illā conſequendam per motum: ſed corpus cœleſte non indiget alio vbi, vt conſetuetur, & perficiatur: ergo per ſe, & ratione ſui non appetit moueri, nec in motum localem inclinatur, ergo, &c.& hoc probant argumenta prioris ſententiæ, quæ in hoc ſenſu vera eſt.

Aſſertio poſterior: ſi cælū cōſideretur, vt pars præcipua vniuerſi cum hac varietate, ac viciſſitudine generationum, & corruptionū à Deo conditi, habēs naturales virtutes, per quas influit in inferiora corpora, naturalis eſt ei motus, & in hoc ſenſu loquitur poſterior ſententia, quam verā eſſe cenſemus, & expreſſam ab Ariſtotele capite præſenti; vbi ex motu circulari probaſſe vidimus, ponendum eſſe quintum corpus præter quatuor, conſueta elementa, cui naturalis ſit motus circularis. Ita enim arguit, motus recti naturales ſunt aliquibus corporibus, & ideo neceſſe eſt ponere corpora aliqua, quæ moueantur naturaliter, ſurſum, & deorſum, quæ elementa vocamus: ergo circularis motus debet alicui corpori naturaliter conuenire; ſed conſtat, non eſſe naturalem elementis, cum moueantur naturaliter ſurſum ac deorſum: ergo præter illa ponendum eſt quintum, cui naturaliter conueniat, & hoc eſt cælum. Expreſſa eſt igitur ſententia Ariſtotelis, quod motus circularis ſit naturalis cælo, ſed probatum eſt, non eſſe ei naturalem, conſiderato ſecundum rationem particularis corporis; ergo neceſſariū eſt, in doctrina Ariſtotelis aſſerere, quod ſit ei naturalis, vt corpori vniuerſali, hoc eſt, vt parti vniuerſi

uerſi ſupremæ habenti naturales virtutes, atque vniuerſales per quas vniuerſalis eſt cauſa inferiorum effectuum. Quod etiam D. Thomas docet quæſt. 5. de potentia, quæſtiuncula 5. artic. 5. in 4. diſtinctione 48. artic. 2. & 3. contra gentes capite 23. affirmans, cœlum æqualiter ſe habere ad omnia vbi; vel ad omnes modos præſentiæ, quos acquirit per motum, & ideo vnum habens non appetit naturaliter alterum, quia ex eius acquiſitione non acquirit perfectionem alterius conditionis ab eo, quam habebat, nec pro eo acquirendo moueretur, nec motus, quem habet, naturalis eſt propter eum acquirendum, ſed præciſe, vt diuerſo modo applicatum ſecundum diuerſas partes ad hæc inferiora, diuerſam virtutem, diuerſoſque effectus eis communicet, & præſertim ſpeciei humanæ, cui communicat noua indiuidua, in quantum ſua virtute diſponit materiam pro introductione nouarum, animarum, & generatione nouorum hominum ſimul concurrendo cum particularibus cauſis generantibus, & hunc aſſerit eſſe finem intentum per motum cæleſtis corporis; ex quo habet, quod ſit ei naturalis.

Sed ratione probatur eadem aſſertio, quia pars quælibet naturalem habet inclinationem ad bonum totius, & longè maiorem, quo bonum totius maius, ac perfectius eſt bono cuiuslibet partis: ſed cælum eſt pars vniuerſi, & præcipua, ac prima, ergo habet inclinationem naturalem ad bonum eius, quod in generatione, & conſeruatione ſublunarium corporum conſiſtere notum eſt, nec minus notum, quod idem bonum magna ex parte deriuetur ex virtutibus, atque influentiis cæleſtibus medio motu applicatis: ergo procedit idem motus ex naturali inclinatione cæleſtis corporis ad idem bonum communicandum, qua-

re naturalis erit cælo, vt principio paſſiuo compoſito ex materia, & forma, cum ſit medium à natura ordinatum pro conſecutione naturalis finis.

Et ex his conſtat ad primum argumentum prioris ſententiæ. Ad ſecundum neganda eſt minor, & quæ adducuntur ad illius probationem ſolum probant noſtram primam concluſionem. Ad tertium negamus antecedens, & illius probationem, licet enim cælo non ſit naturalis locus aut præſentia ob illius conſeruationem; quia incorruptibile eſt, ſed tamen naturalis eſt præſentia ſuper alia corpora & ratione propriè dignitatis præ aliis corporibus ſimplicibus, & propter eius influxum in ſublunaria tranſiliendum.

APPENDIX DVBIVM.

An quies cælorum poſt diem iudicij futura ſit naturalis, aut violenta.

CIrca quietem vero in eodem loco, vel vbi, quæ tangitur in eodem argumento, atque etiam in poſtremo, diuerſo modo loquuntur recentiores Philoſophi, nam quidam non eſſe cœlo naturalé aſſerunt ex mente Ariſtotelis, qui tenuit, Deum non libere, ſed ex neceſſitate applicare intelligentias ad mouenda cœleſtia corpora, & ideo non libere, ſed ex determinatione ad vnum ea perpetuo mouere, quo fit, nõ eſſe poſſibile à motu vnquam ceſſare, quod vt ſignificaret lib. 9. Metaphyſicæ c. 4. tex. 17. dixit non eſſe pertimeſcendum, ne cæleſtia corpora ſtent, quia non ineſt eis potentia contradictionis, hoc eſt, vt moueantur, & non moueantur, & ita docent, tenuiſſe cum Ariſtotele omnes ferme Græcos interpretes 2. lib. Phyſicorum. Vt Themiſtium, Philopponum, Simplicium,

cium,& Alexandrum 2.libr. naturalium quæſtionum, cap.18.& ex Latinis nonnullos. Ipſi tamen recentiores putant, non eſſe ita ſentiendum, ſed potius quietem eſſe naturalem cœlo. Quod probant primo, quia cœlum ſic mouetur naturaliter, vt non à principio effectiuo intrinſeco, ſed extrinſeco moueatur: ergo propria natura habet potentiam ſolum paſſiuam ad motum, & indifferentem quidem, vt moueri poſſit, & non moueri ab Angelo, quo fit, vtrumque eſſe ei naturale, nempe moueri ab eo, & non moueri, aut moueri, & quieſcere. Secundo omnis quies in loco naturali naturalis eſt corpori, vt elementis quies in propriis locis, ergo cælo erit naturalis quies in loco ſupremo ei proprio, ac naturali.

Ego vero (quidquid ſit de mente Ariſtotelis, circa modum, quo mouentur cæli ab Angelis, de quo ſuo loco dicam) cum D.Thoma in 4.diſt.48.q.2.artic.2. & cum omnibus fere recentioribus aſſero, cælum nullum habere principium actiuum motus, ſed paſſiuum dumtaxat, vt docui 1.libro Phyſicorum explicans definitionem naturæ, & ideo quietem non eſſe ei naturalem, ſed præter naturam, quia ſolum ex propria natura, & dignitate primi, ac nobiliſſimi corporis poſtulat, ſupra cætera corpora eſſe, quod vero ſupra illa ſit cum motu, aut ſine illo, à cauſa extrinſeca ſolum habet: ergo ſi ſolum habere conſiderationem particularis corporis præter naturam foret moueri, atque etiam à motu quieſcere: vt vero habet aliã conſiderationem partis vniuerſi cum mutabilitate, ac viciſſitudine conditi, & partis quidem vniuerſalis, ac primæ, habentiſque virtutes naturales, per quas multa bona poteſt conferre eidem vniuerſo in eodem viciſſitudinis ſtatu exiſtenti, quod non poteſt ea præſtare niſi medio motu, poſtulat motum naturalem, quandiu idem

vniuer

vniuerſum in eodem viciſſitudinis, ac mutabilitatis ſtatu perſeuerat: ſtatu tamen variato, & eadem viciſſitudine ceſſante, ceſſat quoque inclinatio naturalis ad motum, quia ceſſante fine, ceſſat neceſſitas medij, & iam cælum non eſt pars mundi variabilis, aut viciſſitudinem habentis, & cum varietur ſtatus mundi ab extrinſeca cauſa, nempe diuina voluntate, ab eodem fit, vt quieſcat cælum, & non à propria natura, & propterea quies non eſt naturalis, ſed præter naturam.

Sed poteſt obiici aduerſus hanc doctrinam hoc modo: inclinatio naturalis cæli ad motum prouenit ex ſitu naturali ad bonum mundi, quod tanquam pars eius ſua virtute poteſt ei communicare: ſed natura cæli eſt eadem, ſiue mundus perſeueret cum tranſmutabilitate, ac viciſſitudine; cum quo conditus eſt, ſiue eam amittat; ergo eadem eſt inclinatio naturalis in eundem finem, & ex inclinatione ad finem prouenit inclinatio ad medium, quod eſt motus; ergo eadem perſeuerat in eo inclinatio naturalis ad motum, contra quam erit quies, & conſequenter violenta. Et vrgeri poteſt hæc ratio, quia ceſſatio generationum non erit naturalis, ſed libere facta à Deo: ergo non poteſt tollere naturalem inclinationem cæli ad motum, nec proinde efficere poteſt, quod nõ ſit violenta quies. Reſpondeo, cælum ſecundum propriam naturam, & virtutes influendi naturales, naturalem quoque habere inclinationem ad illas exercendas, ſi adſint corpora inferiora in ſtatu tranſmutabilitatis, & variationis, & hanc inclinationem nunquam amittit: his vero deficientibus, ſtatuque eorum, non poteſt eam naturaliter exercere, quare nulla ſit ei violentia, ſi ad eam exercendam non moueatur, aut auxilium ad operandum non tribuatur, quare nec violenta erit quies, nec ceſſatio ab operationibus,

quas

quas habuit in ſtatu transmutabilitatis inferiorum corporum. Et poſſumus exemplum ſumere in igne, naturalem habente inclinationem ad agendum circa paſſum ſibi approximatum, cui abſque dubio violentia fiet ſi præſente paſſo ſuſpendatur ei concurſus ad operandum, & tunc quies ab operando violenta erit ei, ſi vero nullum ſit paſſum, circa quod poſſit operari, vel certe non ſit ei approximatum, nulla prorſus violentia fiet ei, ſi non conferatur auxilium ad operandum, nec dicetur ei violenta quies ab operando, etiam ſi eadem eius inclinatio ad operandum perſeueret, pariter ergo dicendum eſt in noſtro caſu.

Ad primum argumentum oppoſitæ ſententiæ diſtinguenda eſt poſterior pars prioris conſequentis, nam conſideratum cælum, vt corpus particulare, verum eſt, indifferens eſſe ad vtrumque, nempe, vt moueatur, & quieſcat, ſed neganda eſt poſterior, quod vtrumque ſit ei naturale, imo potius ex indifferentia ad vtrumque colligitur plane neutrum eſſe ei ſic conſiderato naturale, quia quod naturale eſt reſpectu alicuius, non eſt indifferens, ſed determinatum ad illud. Cæterum ſi conſideretur, vt pars vniuerſi cum transmutabilitate, & viciſſitudine conditi, atque exiſtentis, naturalis eſt ei motus, & violenta foret ei quies, ſi in tali ſtatu rerum inferiorum ſiſteret à motu, quod vero variato eodem ſtatu ſiſtat, violentum non eſt ei, ſed præter naturam, vt expoſitum eſt.

Ad ſecundum vero diſtinguendum eſt antecedens, quod omnis quies in loco naturali, naturalis ſit corpori: nam ſi corpus dependeat à loco in ſua conſeruatione, ita eſt, & propterea naturalis eſt quies ſublunarium corporum in locis naturalibus: ſi vero corpus non dependeat in ſua conſeruatione à loco, vt conſtat de corpore cæleſti, quod cum ſit incorruptibile,

&

& perfectiſſimum,non indiget loco ad propriam conſeruationem,ſed vbique conſeruari poteſt,tali corpori non eſt naturalis quies,nam quod naturale ſit ei ſupra omnia corpora eſſe,non eſt quidem naturale propter indigentiam,vel propter ipſum locum,ſed merito ſuæ dignitatis ei conuenit : eiuſmodi autem conuenientia abſtrahit à motu,& quiete,neutrum poſtulat, ſed ſufficienter completur, ſiue vno,vel alio modo ſupra illa ſit. Ex quibus ſatis conſtat ad duo poſtrema argum. prioris opinionis quæſtionis præcedentis.

QVÆSTIO III.

An cæleſte corpus à ſua ſede extractum, vel pars eius, ab eo diuiſa moueretur naturaliter ad illam,vel naturaliter quieſceret.

CErta res eſt , nec poſſe cæleſte corpus à propria ſede extrahi,nec partem eius ab eo abſcindi , atque in loco inferiori collocari naturali aliqua virtute,ſed nec diuina per potentiam ordinariam : nec eſt minus certum , vtrumque fieri poſſe per potentiam Dei abſolutam , nam licet ſit naturæ eius diſſonum, nullam tamen implicationem contradictionis inuoluit:eadem verò ratio eſt de toto cælo , & parte eius, vt docuit Ariſtoteles cap.ſequenti.text.19.in fine,quia eadem,inquit,eſt natura vtriuſque.

Conueniunt omnes opinantes, quod cælum , aut pars eius ſic exiſtens non moueretur ad propriam ſedem motu naturali à principio intrinſeco actiuo , ſed ibidem permaneret immobilis , niſi ab extrinſeco principio , nempe Deo,moueretur, quod probari poteſt,

teſt, quia cum repugnet à propria ſede remoueri,non fuit ei concedenda aliqua virtus, per quam poſſit ſe reſtituere, fruſtra enim foret. Quæ eſt doctrina Ariſtotelis cap.3. huius libri. Quo præſuppoſito in duobus poſita eſt difficultas quæſtionis: vnum eſt, an qûies in tali loco inferiori eſſet illi naturalis, vel violenta,aut præter naturam: Alterum, an ſi reſtitueretur in propriam ſedem talis motus eſſet ei naturalis, vel violentus,aut præter naturam.

Et circa quietem ſentiunt Patres Conimb. hic,nullam quietem fore violentam cælo, & ideo,nec in tali loco violenter quieſceret,quod etiam ſentiunt recentiores illi, qui tenent non dari violentum, niſi illud, quod eſt contra impetũ rei,hoc eſt, cõtra actiuam inclinationẽ ad oppoſitũ, vt videtur ſentire Ariſtoteles alibi à nobis relatus:ſed ſupponimus non dari in cælo actiuam inclinationem ad motum: ergo repugnat vllam quietem fore ei violentam, iuxta horum ſententiam. Alij vero,qui ad rationem violenti putant ſufficere, quod ſit contra quamlibet incarnationem naturalem rei,actiuam,aut paſſiuam,ſeu formalem (quod & nos ſcripſimus 2. libro de anima) aſſerunt violentam eſſe quietem cælo, aut parti eius in inferioribus exiſtenti.Probant,quia naturale eſt ei eſſe in ſuperiori loco toti coniunctam:ergo ſeparari à toto,aut loco eodem violentum eſt ei: cum ſit contra inclinationem naturalem,ſaltem paſſiuam,ei motus, quo ſeparatur,erit quoque violentus: ſed quies illa eſt terminus eiuſdem motus:ergo neceſſario dicendum eſt eſſe violentam: probatur conſequentia, quia motus quicunque à ſuo loco naturali, & quies per eum acquiſita,violenti ſunt.

Circa motum vero totius cæli,aut parti eius in eodem loco inferiori exiſtentes,tenent recentiores quidam,

dam moueri poſſe ab Angelo ad ſupremum locum,in quo erat,motu naturali.Probant,quia cælo, aut parti eius naturaliter debetur ſupremum vbi : ergo exiſtens in loco inferiori naturaliter illud appetit : ſed motus quo mouetur corpus in locum, quem appetit naturaliter, eſt naturalis ; cùm procedat ex inclinatione naturali in terminum : ergo talis motus naturalis foret non quidem à principio actiuo intrinſeco, quod diximus non habere cælum, ſed ſolum à principio paſſiuo intrinſeco,& actiuo extrinſeco, ſicut mouetur in propria ſede. Secundo, quia motus, quo à proprio loco naturali extraheretur, foret violentus:nam impoſſibile eſt aliquid ſeparari à proprio loco naturali, niſi per violentiam:cum ſeparatio ſit contra naturalem inclinationem eius : ergo motus, quo rediret in eundem locum naturalem naturalis eſſe deberet;probatur conſequentia,quia tales motus eſſent contrarij, & ideo ſi vnus eſſet violentus, alter deberet eſſe naturalis. Noſtra ſententia duplici aſſertione explicanda,& probanda eſt.

Prior eſt,quietem cæli, aut partis eius in loco inferiori, non eſſe violentam, ſed præternaturalem, quam ſic probo.Quies eſt priuatio motus,& proprius terminus,in quem tendit:ergo eodem modo ſe habebit reſpectu eiuſdem corporis,cui conueniunt,ita vt ſi violenta ſit ei quies,ita etiam motus, atque ex oppoſito:ſed talis quies [illegible] nus motus, per quem cælum,vel pa [illegible] peruenerunt, non
ergo [illegible] s fuerit motus,
[illegible] fuit violentus:er-
[illegible] probatur [illegible] quia
[illegible] poſit [illegible] urali
[illegible] lum,
[illegible] t, non
[illegible] fuiſſet

fuiſſet contrarius motui circulari eiuſdem cæli in propria ſede, quia motus rectus, & circularis non ſunt oppoſiti, ſed quaſi diſparati: ergo quies per talem motum acquiſita non poteſt eſſe violenta, ſed erit præternaturalis, quia à cauſa extrinſeca præter inclinationem corporis. Secundo, quia ſi aliqua ratione foret violenta quies illa, & motus ſimiliter, per quem ad talem locum peruenit corpus, ideo eſſet, quia per vtrunque extrahitur, vel extractum eſt à propria, & naturali ſede: ſed hoc nō ſufficit, vt violenta ſit; ergo nō eſt talis cēſenda. Probatur minor, quia extrahi corpus à proprio loco non eſt ei violentum, niſi extrahatur per motum oppoſitū proprio, ac naturali, & tendat in locum oppoſitum, aut contraria proprio, aut propriæ naturæ, vel certè contra propriam inclinationem naturalem detineatur in loco alio: ſed nihil horum reperitur in caſu præſentis quetis, ergo non poteſt cenſeri violenta: probatur minor, quia nec motus ſeparationis (qui deorſum eſt) oppoſitum habet cum motu circulari cæli, quāuis diuerſus ſit ab eo, & quaſi diſparatus, ſed nec locus inferior, in quo detinetur, cōtrarius cæleſti, aut naturæ eiuſdem cæli, quia nec cælum, nec ſpatium eius contrarium habere poteſt, nec ratione diſpoſitionum, aut qualitatum, nec ratione diſtantiæ, quia circulare ſpatium non poteſt per lineam rectam comparari alicui ſpatio inferiori, & ideo nec eſſe ei contrarium, vel oppoſitum, cum oppoſitio harum rerum ſecundum rectam lineam ſumi debeat. Nec tandem violenta eſt talis quies, quia per eam priuatur [illegible] ſupremo ſibi naturali, & ideo contra na[illegible]tionē: nam eſſe ſupra omnia corpora [illegible]le cælo propter congruentiam ſuæ [illegible]imæ, non tamen vt acquirendum [illegible] retinendum per quietem, quare nec

C

motus ad tale vbi, naturalis eſſe poteſt, nec etiam quies in eo. Loquimur vero in quæſtione hac de copore cæleſti, aut parte eius abſciſſa ſecundum ſe conſideratis, & vt eſt particulare corpus: nam vt pars vniuerſi in ſtatu tranſmutabilitatis exiſtentis, non poteſt quieſcere, quin ei fiat violentia non ex eo, quod priuetur ſupremo vbi ſecundum ſe:ſed quia extra illud non poteſt influxum habere in inferiora corpora,ad quem exercendum naturaliter inclinatur.

Aſſertio poſterior: cælum,aut pars eius in loco inferiori exiſtens nullum motum naturalem habere poteſt, etiam ab extrinſeca intelligentia, neque violentum, ſed quicumque motus eius præter naturam foret. Hæc concluſio colligitur ex doctrina Ariſtotelis capite tertio huius libri, vbi negat expreſſe, quod cælum, vel pars eius poſſit moueri ſurſum, vel deorſum, ſed talis motus, ſi daretur, ſurſum foret: ergo impoſſibilem eſſe ſentit Ariſtoteles. Sed reſpondent recentiores, ſolum negare Ariſtotelem cælo, aut parti eius, motum naturalem ſurſum, ac deorſum à principio intrinſeco actiuo, quia tale principium non poteſt eſſe niſi grauitas, aut leuitas, quibus carere affirmat corpora cæleſtia, ſed non negat, quod poſſint moueri motu recto naturali à principio paſſiuo intrinſeco, & actiuo extrinſeco. Hæc tamen ſolutio omnino eſt inſufficiens, & contra mentem, & verba Ariſtotelis,qui capite præſenti docuit, vni corpori vnam tantum lationem naturalem conuenire poſſe, & hanc reſpectu cæli eſſe circularem, quam ei docet conuenire à principio paſſiuo intrinſeco, & extrinſeco actiuo, nempe, intelligentia, vt oſtendetur inferius:ergo cenſet, nullam lationem rectam naturalem ei poſſe eſſe etiam à principio paſſiuo.

Maneret

Maneret ergo illa particula cæli immobilis prorſus in loco in quo per diuinam potentiã poneretur, quia elementa ita amant ſua naturalia loca, vt non intendant ab illis expellere aliud niſi quod forte acquiſitionem ipſius naturalis loci impediat, ſicut aqua infuſa vaſi aerem expellit, vt locus inferior ſibi vacet. Quod ſi elementum ſit in ſua regione non intendit expellere aliquid quod ſibi admiſceatur, ſi autem eſſet aliqua violentia ab extrinſeco poſſet pars cæli huc illuc circũferri, v.g. ſi ad implendum vacuum oporteret, vt cæli pars aſcenderet, & vtique non tamen eſſet motus ille contra eius naturam, alias ſi motus ſurſum contra naturam eſſet motus deorſum, eſſet ſecundum naturam, quod falſum eſt. Præterea cum pars illa cæli neque grauitatem habeat neque leuitatem nulli motui poſitiue reſiſteret, ſed omnis motus ei eſſet præter naturam, non contra naturam.

Quod ſi obiicias. Idem eſt motus totius, & partis, ſed totum cælum mouetur circulariter: ergo pars illa cæli in loco inferiori poſita, etiam moueretur circulariter.

Huic obiectioni facile reſpondetur, illam cæli particulam ab intrinſeco non poſſe moueri circulariter, ſicut neque totum cælum ab intrinſeco mouetur, ſed haberet aptitudinem, vt ab extrinſeco talem motum reciperet magis quam alium, & ita poſſet facile circumferri circa terræ centrum. Motus enim circularis qui circa terræ centrum non ſit non eſt ſimplex; ſed compoſitus ex ſurſum, & deorſum.

Probatur deinde ratione 1. quia aut talis motus cõueniret naturaliter cælo, ſecundum rationem particularis corporis, vel vt pars eſt vniuerſi cum tranſmutabilitate exiſtentis, non ſub conſideratione priori, ſub qua probauimus (& concedunt aduerſarij) nec motum

circularem in propria ſede eſſe illi naturalem, ſed prę- ter naturã: ergo erit multo minus naturalis ei motus rectus. Secũdo, quia nõ eſt cõceſſa à natura, cęlo quomodolibet conſiderato; vlla inclinatio ad motum, per quem ſe reſtituat in propriam ſedẽ, ſi ab ea extractum fuerit, nam cũ repugnet naturaliter ab ea extrahi, vel extra eam fieri, fruſtra daretur ei talis inclinatio, quam exercere naturaliter non poſſet: ſed motus naturalis debet procedere ab inclinatione naturali mobilis: ergo repugnat talem motũ fore naturalẽ cælo, ſed præter naturam eius diceretur, & eiſdem rationibus probatur violentum eſſe non poſſe: cum conſtet, nulli inclinationi naturali eſſe oppoſitum.

Ad primum argumentum contrariæ ſententiæ diſtinguendum eſt antecedens, quod naturale ſit cælo, aut parti eius ſupremum vbi: nam ſi naturale accipiatur pro congruenti dignitate, ac nobilitate naurali eius, verum eſt, ſi vero ad conſeruationem eius neceſſarium, vel vt conſequendum per motum ex inclinatione aliqua naturali; ſicut terræ eſt naturale centrum, erit falſum, vnde quies in alio loco non poteſt eſſe ei violenta, nec motus ad proprium vbi naturalis. Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quod motus, per quem ſepararetur à propria ſede foret violentus, & cùm dicitur fore contra inclinationem naturalem eius, etiam negamus, quia talis motus eſſet rectus, cùm procederet mobile per eum de loco ad locum. Motus autem rectus non eſt circulari oppoſitus, neque alicui inclinationi cæleſtis corporis, quæ determinatur ad ſupremum vbi, & non ad motum, per quem illud conſequatur, neque ad quietem in eo, cum ſit priuatio motus, & ideo non poſſit habere inclinationem naturalem ad quietem, quod non habet illam ad motum, per quem acquirenda eſt.

QVÆ

QVÆSTIO IV.

An cælum ſit diuerſæ naturæ à corporibus ſublunaribus.

EX motu circulari à poſteriori probauit efficaciter Ariſtoteles cap. præſenti, dari in natura rerum quintam quandam ſubſtantiam corpoream, cælum vocatam, præter quatuor conſueta elementa, & hanc ſententiam primus inuexit in ſcholam Peripateticam cuius parens, caputque ipſe extitit, & ideo vulgo quaſi in prouerbium vocata eſt, quinta ſubſtantia Peripateticorũ, & hoc pertinet ad quæſtionem, an ſit cælum. Quare ordine ſcientifico ſequitur inquirendum, quidnam ſit, ad quod pertinet propoſita quæſtio.

In qua fuit prior opinio Philoſophorum Ariſtotele antiquiorum, ferè omnium, qui exiſtimant, cælum eiuſdẽ naturæ eſſe cum elementis, aut cæteris corporibus ſublunaribus, vt Philo Iudæus retulit in libro de ſomniis, Plutarchus 2. libro de placitis philoſophorum cap. 11. D. Theodoretus in libr. de materia, & mundo, & Picus Mirandulanus, lib. 1. de examine vanitatum c. 12. Heracl. enim dicebat, eſſe de natura ignis, Empedocles, quaſi cryſtallum, ex aere, & igne confectum. Thales, terreum quoddam corpus, & graue. Plato vero, & Diuus Auguſtinus retulit 8. libro de ciuitate Dei, capite 11. quaſi compactum eſſe voluit, ex elementorum floribus vel vt Proclus exponit, in libro, qui inſcribitur: Obſeruationes eorum, in quibus Ariſtoteles contradicit Timæo Platonis, ex elementorum deliciis præſertim ignis, & terræ: & tandem plures ex ſanctis Patribus Platonicam doctrinam ſequuti, videntur cælum igneũ fuiſſe, vt Ambroſ. 2. li. Exameron cap. 3. Aug. 2. lib. de Geneſi ad lite-

ram ca.3. & Theodoretus 9 lib. in Geneſim. Fūdamētum eorum videtur fuiſſe, quia accidentia oriuntur ex ipſamet natura ſubſtantiæ, vt eis ornetur ac perficiatur, eiſdemque vtatur ad operandum. Sed cæleſtia corpora conſtant accidentibus eiuſdem naturæ & rationis,& ſublunaria corpora: ergo ſunt eiuſdem naturæ ſuſtantialis cum eis: Antecedens probatur ex quantitate eorum,ex raritate,& denſitate, ex diaphanejtate, aut tranſparentia: nam ſtellas, quæ partes cæli ſunt,denſiores eſſe conſtat cæteris partibus eius, & propterea ſplendorem in ſe receptum in nos reuerberant, ex colore, quem cæruleum eſſe videmus, & diuerſos alios colores tribuunt Aſtrologi Planetis, Marti rubeum, & pariter cæteris,& vniuerſaliter docere videntur, Planetas ſecundum frigus, & calorem viciſſim ſe tranſmutare:vnde Lunam dicunt eſſe humidam, Saturnum frigidum, & ſiccum, Martem vero calidum. Præterea lumen videmus eſſe commune accidens cælorum atque elementorum,& ſoliditatem,per quam tangi poſſunt communem quoque habent cum his corporibus tangibilibus, & ex conſequenti mixtam ſubſtantiam ex elementis.

Secunda ſententia aſſerit, corpora cæleſtia eſſe quintam ſubſtantiam,& naturam ſimplicem ab elementis, & mixtis diuerſam, & eis perfectiorem. Hæc eſt expreſſa Ariſtotelis capite 2. & tertio huius libri, quam receperunt philoſophi omnes, atque Theologi, & nobis tanquam vera tenenda eſt. Probatur primum ratione Ariſtotelis capit. 3. allata ex loco, & motu deſumpta, nam corporibus conceſſit natura locum, & motum iuxta propriam conditionem, & ideo corporibus eiuſdem naturæ eundem locum, & motum, diuerſæ vero naturæ diuerſos, vt grauibus locum, & motum deorſum,leuibus ſurſum:

ſed

ſed cælo conceſſit diuerſum locum, & motum ab elementis, ergo diuerſam naturam. Probatur minor, quia locum ei conceſſit ſupra omnia elementa, motum vero circularem, qui valde diuerſus eſt à motibus rectis ſurſum, & deorſum elementis conceſſit. Et ſpeciali ratione de igne probauit idem Ariſtoteles, quod cælum non ſit de natura eius primo libro Metheor. capite 3. quia cum tam magna ſit voracitas, atque acrimonia ignis, & ex alia parte tanta ſit magnitudo, & denſitas cæli, & aſtrorum, abſque dubio operarentur ad longiſſimam diſtantiam, & iam pridem totus hic inferior mundus incendio deflagraſſet. Probatur tandem ex influentiis vniuerſalibus cæli, & aſtrorum circa omnia ſublunaria corpora. Nam virtus influendi, & operandi tam varios, ac mirabiles effectus, & circa corpora tam diuerſa ſpecialis eſt in cælo, & elementis non conceſſa: ſed talis virtus oritur ex natura eius, ſicut aliæ virtutes aliorum corporum: ergo corpus virtutis adeo diuerſæ, diuerſæ etiam naturæ cenſeri debet, & eiſdem argumentis probatur efficaciter, quod cælum ſit diuerſæ naturæ ab omnibus mixtis.

Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ diſtinguenda in primis ſunt duo genera accidentium; nam quædam ſunt quaſi vniuerſalia, quibuſlibet corporibus communia, vt quantitas, denſitas, raritas, & magna ex parte lumen, quo omnia fere corpora aliquomodo capacia ſunt, & cum hæc ſequantur vniuerſaliſſimam rationem corporum, non indicant diuerſam naturam eorum, nec ideo ex eis colligi poteſt, niſi forte ex particulari modo alicuius eorum, vt ex modo habendi lucem, tanquam fontem eius colligimus, ſolem diuerſæ naturæ ab aliis corporibus, eam ab eodem ſole participantibus. Alia ſunt ſpecialio-

dam moueri poſſe ab Angelo ad ſupremum locum, in quo erat, motu naturali. Probant, quia cælo, aut parti eius naturaliter debetur ſupremum vbi: ergo exiſtens in loco inferiori naturaliter illud appetit: ſed motus quo mouetur corpus in locum, quem appetit naturaliter, eſt naturalis; cùm procedat ex inclinatione naturali in terminum: ergo talis motus naturalis foret non quidem à principio actiuo intrinſeco, quod diximus non habere cælum, ſed ſolum à principio paſſiuo intrinſeco, & actiuo extrinſeco, ſicut mouetur in propria ſede. Secundo, quia motus, quo à proprio loco naturali extraheretur, foret violentus: nam impoſſibile eſt aliquid ſeparari à proprio loco naturali, niſi per violentiam: cum ſeparatio ſit contra naturalem inclinationem eius: ergo motus, quo rediret in eundem locum naturalem naturalis eſſe deberet; probatur conſequentia, quia tales motus eſſent contrarij, & ideo ſi vnus eſſet violentus, alter deberet eſſe naturalis. Noſtra ſententia duplici aſſertione explicanda, & probanda eſt.

Prior eſt, quietem cæli, aut partis eius in loco inferiori, non eſſe violentam, ſed præternaturalem, quam ſic probo. Quies eſt priuatio motus, & proprius terminus, in quem tendit: ergo eodem modo ſe habebit reſpectu eiuſdem corporis, cui conueniunt, ita vt ſi violenta ſit ei quies, ita etiam motus, atque ex oppoſito: ſed talis quies eſt terminus motus, per quem cælum, vel pars eius in loco inferiori peruenerunt, non ergo poteſt eſſe violenta, niſi violentus fuerit motus, quem terminat: ſed talis motus non fuit violentus: ergo nec eadem quies violenta eſt: probatur minor, quia motus violentus debet eſſe oppoſitus motui naturali eiuſdem corporis: ſed talis motus, per quem cælum, vel pars eius in inferiorem locum perueniſſet, non fuiſſet

fuiſſet contrarius motui circulari eiuſdem cæli in propria ſede, quia motus rectus, & circularis non ſunt oppoſiti, ſed quaſi diſparati: ergo quies per talem motum acquiſita non poteſt eſſe violenta, ſed erit præternaturalis, quia à cauſa extrinſeca præter inclinationem corporis. Secundo, quia ſi aliqua ratione foret violenta quies illa, & motus ſimiliter, per quem ad talem locum peruenit corpus, ideo eſſet, quia per vtrunque extrahitur, vel extractum eſt à propria, & naturali ſede: ſed hoc nō ſufficit, vt violenta ſit; ergo nō eſt talis cēſenda. Probatur minor, quia extrahi corpus à proprio loco non eſt ei violentum, niſi extrahatur per motum oppoſitū proprio, ac naturali, & tendat in locum oppoſitum, aut contraria proprio, aut propriæ naturæ, vel certè contra propriam inclinationem naturalem detineatur in loco alio: ſed nihil horum reperitur in caſu præſentis quetis, ergo non poteſt cenſeri violenta: probatur minor, quia nec motus ſeparationis (qui deorſum eſt) oppoſitum habet cum motu circulari cæli, quāuis diuerſus ſit ab eo, & quaſi diſparatus, ſed nec locus inferior, in quo detinetur, cōtrarius cæleſti, aut naturæ eiuſdem cæli, quia nec cælum, nec ſpatium eius contrarium habere poteſt, nec ratione diſpoſitionum, aut qualitatum, nec ratione diſtantiæ, quia circulare ſpatium non poteſt per lineam rectam comparari alicui ſpatio inferiori, & ideo nec eſſe ei contrarium, vel oppoſitum, cum oppoſitio harum rerum ſecundum rectam lineam ſumi debeat. Nec tandem violenta eſt talis quies, quia per eam priuatur corpus loco ſupremo ſibi naturali, & ideo contra naturalem inclinationē: nam eſſe ſupra omnia corpora ſolum eſt naturale cælo propter congruentiam ſuæ naturæ perfectiſſimæ, non tamen vt acquirendum per motum vel retinendum per quietem, quare nec

C

motus ad tale vbi, naturalis eſſe poteſt, nec etiam quies in eo. Loquimur vero in quæſtione hac de copore cæleſti, aut parte eius abſciſſa ſecundum ſe conſideratis, & vt eſt particulare corpus: nam vt pars vniuerſi in ſtatu tranſmutabilitatis exiſtentis, non poteſt quieſcere, quin ei fiat violentia non ex eo, quod priuetur ſupremo vbi ſecundum ſe:ſed quia extra illud non poteſt influxum habere in inferiora corpora,ad quem exercendum naturaliter inclinatur.

Aſſertio poſterior: cælum,aut pars eius in loco inferiori exiſtens nullum motum naturalem habere poteſt, etiam ab extrinſeca intelligentia, neque violentum, ſed quicumque motus eius præter naturam foret. Hæc concluſio colligitur ex doctrina Ariſtotelis capite tertio huius libri, vbi negat expreſſe, quod cælum, vel pars eius poſſit moueri ſurſum, vel deorſum, ſed talis motus, ſi daretur, ſurſum foret: ergo impoſſibilem eſſe ſentit Ariſtoteles. Sed reſpondent recentiores, ſolum negare Ariſtotelem cælo, aut parti eius, motum naturalem ſurſum, ac deorſum à principio intrinſeco actiuo, quia tale principium non poteſt eſſe niſi grauitas, aut leuitas, quibus carere affirmat corpora cæleſtia, ſed non negat, quod poſſint moueri motu recto naturali à principio paſſiuo intrinſeco, & actiuo extrinſeco. Hæc tamen ſolutio omnino eſt inſufficiens, & contra mentem, & verba Ariſtotelis,qui capite præſenti docuit, vni corpori vnam tantum lationem naturalem conuenire poſſe, & hanc reſpectu cæli eſſe circularem, quam ei docet conuenire à principio paſſiuo intrinſeco, & extrinſeco actiuo, nempe, intelligentia, vt oſtendetur inferius:ergo cenſet, nullam lationem rectam naturalem ei poſſe eſſe etiam à principio paſſiuo.

Maneret

Maneret ergo illa particula cæli immobilis prorſus in loco in quo per diuinam potentiá poneretur, quia elementa ita amant ſua naturalia loca, vt non intendant ab illis expellere aliud niſi quod forte acquiſitionem ipſius naturalis loci impediat, ſicut aqua infuſa vaſi aerem expellit, vt locus inferior ſibi vacet. Quod ſi elementum ſit in ſua regione non intendit expellere aliquid quod ſibi admiſceatur, ſi autem eſſet aliqua violentia ab extrinſeco poſſet pars cæli huc illuc circũferri, v.g. ſi ad implendum vacuum oporteret, vt cæli pars aſcenderet, & vtique non tamen eſſet motus ille contra eius naturam, alias ſi motus ſurſum contra naturam eſſet motus deorſum, eſſet ſecundum naturam, quod falſum eſt. Præterea cum pars illa cæli neque grauitatem habeat neque leuitatem nulli motui poſitiue reſiſteret, ſed omnis motus ei eſſet præter naturam, non contra naturam.

Quod ſi obiicias. Idem eſt motus totius, & partis, ſed totum cælum mouetur circulariter: ergo pars illa cæli in loco inferiori poſita, etiam moueretur circulariter.

Huic obiectioni facile reſpondetur, illam cæli particulam ab intrinſeco non poſſe moueri circulariter, ſicut neque totum cælum ab intrinſeco mouetur, ſed haberet aptitudinem, vt ab extrinſeco talem motum reciperet magis quam alium, & ita poſſet facile circumferri circa terræ centrum. Motus enim circularis qui circa terræ centrum non ſit non eſt ſimplex; ſed compoſitus ex ſurſum, & deorſum.

Probatur deinde ratione 1. quia aut talis motus cõueniret naturaliter cælo, ſecundum rationem particularis corporis, vel vt pars eſt vniuerſi cum tranſmutabilitate exiſtentis, non ſub conſideratione priori, ſub qua probauimus (& concedunt aduerſarij) nec motum

circularem in propria ſede eſſe illi naturalem, ſed prę ter naturã: ergo erit multo minus naturalis ei motus rectus. Secũdo, quia nõ eſt cõceſſa à natura, cęlo quomodolibet conſiderato; vlla inclinatio ad motum, per quem ſe reſtituat in propriam ſedẽ, ſi ab ea extractum fuerit, nam cũ repugnet naturaliter ab ea extrahi, vel extra eam fieri, fruſtra daretur ei talis inclinatio, quam exercere naturaliter non poſſet: ſed motus naturalis debet procedere ab inclinatione naturali mobilis: ergo repugnat talem motũ fore naturalẽ cælo, ſed præter naturam eius diceretur, & eiſdem rationibus probatur violentum eſſe non poſſe: cum conſtet, nulli inclinationi naturali eſſe oppoſitum.

Ad primum argumentum contrariæ ſententiæ diſtinguendum eſt antecedens, quod naturale ſit cælo, aut parti eius ſupremum vbi: nam ſi naturale accipiatur pro congruenti dignitate, ac nobilitate naurali eius, verum eſt, ſi vero ad conſeruationem eius neceſſarium, vel vt conſequendum per motum ex inclinatione aliqua naturali; ſicut terræ eſt naturale centrum, erit falſum, vnde quies in alio loco non poteſt eſſe ei violenta, nec motus ad proprium vbi naturalis. Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quod motus, per quem ſepararetur à propria ſede foret violentus, & cum dicitur fore contra inclinationem naturalem eius, etiam negamus, quia talis motus eſſet rectus, cùm procederet mobile per eum de loco ad locum. Motus autem rectus non eſt circulari oppoſitus, neque alicui inclinationi cæleſtis corporis, quæ determinatur ad ſupremum vbi, & non ad motum, per quem illud conſequatur, neque ad quietem in eo, cum ſit priuatio motus, & ideo non poſſit habere inclinationem naturalem ad quietem, quod non habet illam ad motum, per quem acquirenda eſt.

QVÆ

QVÆSTIO IV.

An cælum ſit diuerſæ naturæ à corporibus ſublunaribus.

EX motu circulari à poſteriori probauit efficaciter Ariſtoteles cap. præſenti, dari in natura rerum quintam quandam ſubſtantiam corpoream, cælum vocatam, præter quatuor conſueta elementa, & hanc ſententiam primus inuexit in ſcholam Peripateticam cuius parens, caputque ipſe extitit, & ideo vulgo quaſi in prouerbium vocata eſt, quinta ſubſtantia Peripateticorũ, & hoc pertinet ad quæſtionem, an ſit cælum. Quare ordine ſcientifico ſequitur inquirendum, quidnam ſit, ad quod pertinet propoſita quæſtio.

In qua fuit prior opinio Philoſophorum Ariſtotele antiquiorum, ferè omnium, qui exiſtimant, cælum eiuſdẽ naturæ eſſe cum elementis, aut cæteris corporibus ſublunaribus, vt Philo Iudæus retulit in libro de ſomniis, Plutarchus 2. libro de placitis philoſophorum cap. 11. D. Theodoretus in libr. de materia, & mundo, & Picus Mirandulanus, lib. 1. de examine vanitatum c. 12. Heracl. enim dicebat, eſſe de natura ignis, Empedocles, quaſi cryſtallum, ex aere, & igne confectum. Thales, terreum quoddam corpus, & graue. Plato vero, & Diuus Auguſtinus retulit 8. libro de ciuitate Dei, capite 11. quaſi compactum eſſe voluit, ex elementorum floribus vel vt Proclus exponit, in libro, qui inſcribitur: Obſeruationes eorum, in quibus Ariſtoteles contradicit Timæo Platonis, ex elementorum deliciis præſertim ignis, & terræ: & tandem plures ex ſanctis Patribus Platonicam doctrinam ſequuti, videntur cælum igneũ fuiſſe, vt Ambroſ. 2. li. Exameron cap. 3. Aug. 2. lib. de Geneſi ad lite-

ram ca. 3. & Theodoretus 5 lib. in Geneſim. Fũdamẽtum eorum videtur fuiſſe, quia accidentia oriuntur ex ipſamet natura ſubſtantiæ, vt eis ornetur ac perficiatur, eiſdemque vtatur ad operandum. Sed cæleſtia corpora conſtant accidentibus eiuſdem naturæ & rationis,& ſublunaria corpora: ergo ſunt eiuſdem naturæ ſuſtantialis cum eis: Antecedens probatur ex quantitate eorum,ex raritate,& denſitate, ex diaphaneitate, aut tranſparentia: nam ſtellas, quæ partes cæli ſunt,denſiores eſſe conſtat cæteris partibus eius, & propterea ſplendorem in ſe receptum in nos reuerberant, ex colore, quem cæruleum eſſe videmus, & diuerſos alios colores tribuunt Aſtrologi Planetis, Marti rubeum, & pariter cæteris,& vniuerſaliter docere videntur, Planetas ſecundum frigus, & calorem viciſſim ſe tranſmutare:vnde Lunam dicunt eſſe humidam, Saturnum frigidum, & ſiccum, Martem vero calidum. Præterea lumen videmus eſſe commune accidens cælorum atque elementorum,& ſoliditatem,per quam tangi poſſunt communem quoque habent cum his corporibus tangibilibus, & ex conſequenti mixtam ſubſtantiam ex elementis.

Secunda ſententia aſſerit, corpora cæleſtia eſſe quintam ſubſtantiam, & naturam ſimplicem ab elementis, & mixtis diuerſam, & eis perfectiorem. Hæc eſt expreſſa Ariſtotelis capite 2. & tertio huius libri, quam receperunt philoſophi omnes, atque Theologi, & nobis tanquam vera tenenda eſt. Probatur primum ratione Ariſtotelis capit. 3. allata ex loco, & motu deſumpta, nam corporibus conceſſit natura locum, & motum iuxta propriam conditionem, & ideo corporibus eiuſdem naturæ eundem locum, & motum, diuerſæ vero naturæ diuerſos, vt gradibus locum, & motum deorſum,leuibus ſurſum: ſed

ſed cælo conceſſit diuerſum locum, & motum ab elementis, ergo diuerſam naturam. Probatur minor, quia locum ei conceſſit ſupra omnia elementa, motum vero circularem, qui valde diuerſus eſt à motibus rectis ſurſum, & deorſum elementis conceſſit. Et ſpeciali ratione de igne probauit idem Ariſtoteles, quod cælum non ſit de natura eius primo libro Metheor. capite 3. quia cum tam magna ſit voracitas, atque acrimonia ignis, & ex alia parte tanta ſit magnitudo, & denſitas cæli, & aſtrorum, abſque dubio operarentur ad longiſſimam diſtantiam, & iam pridem totus hic inferior mundus incendio deflagraſſet. Probatur tandem ex influentiis vniuerſalibus cæli, & aſtrorum circa omnia ſublunaria corpora. Nam virtus influendi, & operandi tam varios, ac mirabiles effectus, & circa corpora tam diuerſa ſpecialis eſt in cælo, & elementis non conceſſa: ſed talis virtus oritur ex natura eius, ſicut aliæ virtutes aliorum corporum: ergo corpus virtutis adeo diuerſæ, diuerſæ etiam naturæ cenſeri debet, & eiſdem argumentis probatur efficaciter, quod cælum ſit diuerſæ naturæ ab omnibus mixtis.

Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ diſtinguenda in primis ſunt duo genera accidentium; nam quædam ſunt quaſi vniuerſalia, quibuſlibet corporibus communia, vt quantitas, denſitas, raritas, & magna ex parte lumen, quo omnia fere corpora aliquomodo capacia ſunt, & cum hæc ſequantur vniuerſaliſſimam rationem corporum, non indicant diuerſam naturam eorum, nec ideo ex eis colligi poteſt, niſi forte ex particulari modo alicuius eorum, vt ex modo habendi lucem, tanquam fontem eius colligimus, ſolem diuerſæ naturæ ab aliis corporibus, eam ab eodem ſole participantibus. Alia ſunt ſpecialio-

ra accidentia orta à corporibus ſecundum ſpecialiorem rationem, vt colores, qualitates tangibiles, grauitas, leuitas, & alia, quæ vocantur ſecundæ qualitates, quia ortum habent ex concurſu aut permixtione primarum, de prioribus igitur concedimus, communia eſſe cælo cum corporibus ſublunaribus: ſed ex eis non colligitur diuerſa natura corpora, quibus conueniunt, vt vidimus, habent tamen alia cæleſtia corpora, ex quibus colligi poteſt, diuerſę naturę eſſe à corporibus ſublunaribus, vt probant argumenta, quibus noſtram, atque communem ſententiam corroborauimus. De poſterioribus vero accidentibus negamus, quod communia ſint cælis, elementis, aut mixtis; non enim habent veros colores, ſed apparentes dumtaxat, circa quos abſque dubio fallitur viſus noſter eos pro veris accipiens: nam lucem cæleſtem quæ propter multitudinem materiæ, in qua recepta eſt, certo modo attemperatur, iudicat eſſe colorem cæruleum, vel alium ſimilem; & certa refractione lucis in nube apparent nobis rubei, virides, aliique colores. De qualitatibus vero tangibilibus, præſertim actiuis, quas Aſtrologi attribuunt Ariſtoteli, dicimus, non formaliter in eis eſſe, ſed eminenter, aut virtualiter, in quantum ſpeciali ratione eas producunt, in corporibus inferioribus. Quod vero ad ſanctos Patres attinet, ſatis bene exponit D. Bonauentura in 2. diſtinct. 14. num.6. aſſerens inter eos, & Peripateticos philoſophos ponentes cum Ariſtotele quintum corpus diuerſæ naturæ, ab elementis de ſolo nomine, aut modo loquendo diſcrimen eſſe: nam quia ignis nimis eſt lucidus, per quandam cum eo ſimilitudinem, in modo elucendi, cælos igneos appellarunt ſancti: Re tamen vera, alterius eſſe naturæ ab igne, & cæteris elementis credide

diderunt, ſicut ſentit Peripatetica ſchola, quam ſequimur.

QVÆSTIO V.

An cælum ſit compoſitum ex materia, & forma.

QVamuis cæleſtia corpora ſenſu percipiamus, propter maximam tamen diſtantiam à nobis non eſt adeo explorata natura eorum, ſicut aliorum corporum ſublunarium, ideo non eſt vſquequaque certum inter Philoſophos, ac Theologos, an materiam habeant, ex qua ſimul, & forma ſint compoſita, ſicut cætera corpora. Et prima ſententia habere negat materiam, ſed formas quaſdam eſſe velut ſubſiſtentes, atque completas in genere corporeæ ſubſtantiæ, quemadmodum Angeli ſunt formæ ſubſiſtentes, & completæ in genere ſpirituali.

Primus auctor huius poſitionis videtur fuiſſe Auerroes in libro de ſubſtantia orbis cap. 2. & 1. libro de cælo ad textum 7. & 10. quem ſecuti ſunt poſtea ex Theologis non pauci. Durandus in 2. diſt in. 12. quæſt. 1. num. 14. Gabriel ibidem, quæſtione ſecunda, Aureolus apud Capreolum quæſt. vnica, ad ſecundum, Maior diſtinct. 14. quæſt. 2. Baſſalus quæſt. prima artic. 4. Godfredus quodlibeto 2. quæſt. 2. Antonius Andreas 8. libro Metaphyſicæ, quæſt. 4. Iandun. ibidem quæſt. ſeptima, Saxonia libro de cælo, quæſt. 4. artic. 1. immo & Diuus Thomas in 2. diſtinct. 12. quæſt. 1. artic. 1. ad 5. eam referens probare videtur. Scotus vero ad 14. eiuſdem libri, quæſt. 1. in principio aſſerit, ſecundum Theologos dicendum eſſe, cælum compoſitum eſſe ex materia, & forma: ſecundum

Ariſtotelem vero, denegandam eſſe cælo omnem materiam: & addit Auerroem melius in hac re, quam cæteros philoſophos, mentem Ariſtotelis aſſequutum fuiſſe. Probatur hæc ſententia primo egregiis teſtimoniis Ariſtotelis. Primum habetur 9. libro Metaphyſ. textu 17. vbi incorruptibilibus, & æternis denegat potentiam, non quidem accidentalem, ad qualitatem, vel vbi, aut motum, ſed ſubſtantialem, quæ eſt materia & reddit rationem huius, quia omnis potentia contradictionis eſt, hoc eſt, indifferentiæ ad eſſe, & non eſſe, & ſubſtantialis quidem ad eſſe, & non eſſe ſubſtantiale, accidentalis vero ad eſſe accidentale: ſed repugnat æternis, & incorruptibilibus non eſſe ſubſtantiale: ergo repugnat eis habere materiam, quæ eſt pars ſubſtantialis; & cum conſtet, cælum eſſe incorruptibile, & ex mente Ariſtotelis, æternum, ſequitur apud ipſum non habere materiam, quod hiſce verbis concludit: *Nihil igitur ſimpliciter incorruptibilium ſimpliciter potentia eſt; ſecundum aliquid autem, nihil prohibet, vt quale, aut vbi actu ergo omnia.* Vnde libro 12. textu trigeſimo probat, intelligentias materia carere, quia ſunt ſempiternæ, idem ergo de corpore cæleſti (apud ipſum æternum) ſentire neceſſarium eſt. Secundum teſtimonium reperio, in lib. de longitudine, & breuitate vitæ cap. 2. ſic habens: Impoſſibile eſt habenti materiam non exiſtere aliquid contrarium: ſed cælum caret omnino contrario, docente, & probante eodem Ariſtot. 1. lib. de cælo cap. 3. & 4. ergo apud ipſum materia caret. Probatur deinde ratione 1. quia gradus eſſendi pertinent ad eſſentiam vniuerſi, vt ſupra ſtatuimus: ſed in natura ſpirituali datur duplex gradus formæ, completæ, vt angeli; incompletæ, vt animæ rationalis: ergo in natura corporea debetur duplex; alius, incompletus quidem, vt

formæ,

formæ rerum ſublunarium; completus vt cæleſtia corpora, quæ cum ſint in tali genere perfectiſſima, non poteſt denegari eis ratio formæ completæ. Et vrgeri poteſt argumentum hoc modo: poſſibilis forma eſt completa in rebus corporeis, quia nulla poterit implicatio contradictionis deſignari, in eo quod detur, quandoquidem in genere ſpirituali detur; poterit ergo à Deo fieri, & eo ipſo probatur efficaciter eſſe factam, alioqui careret tali gradu eſſendi (ſatis perfecto) vniuerſum: probatur, quia ex tranſmutatione ſubſtantiali corporum inueſtigarunt philoſophi materiam, ergo ſolum in eis reperiri poteſt, quæ ſunt tranſmutabilia ſubſtantialiter: ſed conſtat, cælum non eſſe hoc modo tranſmutabile, nam tranſmutatio ſecundum ſubſtantiam eſt generatio, & corruptio, à quibus alienum eſt corpus cæleſte: ergo alienum quoque à materia erit: quia omnia, quæ in cælo deſiderari poſſunt, ſaluantur ſine materia, vt motus, diuerſæque omnes influentiæ, & modus omnis concurrendi cum inferioribus cauſis, ad ſuos effectus: ergo non eſt in eo ponenda, quia non debent multiplicari res ſine neceſſitate, præſertim in hac parte: cum perfectius longe ſit cælum ſine materia, quam cum illa. Probatur antecedens, quia virtutes influendi conueniunt cælo, vt eſt in actu: cum conueniant ei, vt vniuerſali agenti, non ergo ratione materiæ, quæ ideo nec eſt neceſſaria ei, nec tribuenda. Ad hanc ſententiam ex parte reducitur ea, quæ diſtinguit cælos quantum ad materiam pertinet, aſſeritque de ſolo empyreo non habere materiam propter maiorem perfectionem, & ſimplicitatem eius, reliquis vero eam tribuit.

Secunda opinio omnes cælos ponit compoſitos ex materia, & forma: quam vniuerſaliter docuerunt Plato, & cæteri Philoſophi Ariſtotele antiquiores, vt teſtatur

ſtatur Diuus Thomas 1 part.quæſt.66. artic. 2. & docent omnes illi, qui tenent, materiam ſublunarem eiuſdem rationis eſſe cum cæleſti, vel diuerſæ rationis;cum inter omnes conueniat, cælos habere materiam,vt videbimus quæſt. ſeq. Eandem ſequuti ſunt plures ex ſanctis Patribus,vt Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus,Ambroſius, & cæteri omnes, qui tenuerunt, prius tempore creatam fuiſſe à Deo materiam informem,hoc eſt, ſine forma, quam perficeretur per aliquam formam, vel non prius tempore, ſed ſimul fuiſſe creatam,& informatam:quos citat Diuus Thomas artic.1.eiuſdem quæſtionis,loquebantur enim de materia tam ſublunarium corporum, quam cælorum, tanquam certum præſupponentes, cælos habere materiam.In ſpeciali Abempace, quem citat Albertus Magnus 1. lib. de cælo titulo 1. cap. 3. Abencembron. in libro fontis vitæ. Alexander lib. primo naturalium quęſtionum capite 10.Simplicius in libro de cælo, commento 3. & 35. Diuus Thomas prima parte quæſt. 66. artic.2. & ibidem Caietanus, Diuus Bonauentura, Ægidius, Capreolus, & cæteri ſcholaſtici in 2.diſtinct. 12.Heruæus,quodlibeto 4. quæſt. 3. Soncinas 12. metaphyſicæ, quæſt.7. Iauellus libro 1. quæſt. 12. & omnes recentiores, ita vt oppoſita ab ſcholis prorſus ſit relegata. Et in primis hæc ſententia eſt expreſſa ab Ariſtotele 1. lib.de cælo,cap.95. textu 95.his verbis:*Cælum autem eſt quidem eorum, quæ ſingularia ſunt,& eorum,quæ ex materia.* Et lib.8.cap.2.text.3. (Senſibiles vero cunctæ ſubſtantiæ materiam habent, eſt autem ſubſtantia id ipſum, quod ſubiicitur, aliter quidem materia, aliter ratio: materiam autem dico, quæ cum non, quod quid actu ſit,potentia eſt quod quid) Conſtat vero, & ab aduerſariis præſupponitur tanquam euidens, quod cælum ſit ſubſtantia ſenſibilis.

lis, & per viſum ſentiatur ab omnibus, ergo euidens eſt apud Ariſtotelem, habere materiam. Et tandem lib.2.de generatione, docet expreſſe, eadem eſſe principia ſecundum numerum, ex quibus ſunt generabilia & ingenerabilia, ac ſempiterna, quæ ſunt cæleſtia corpora, quia principia vtriuſque duo ſunt, vnum tanquam materia, & alterum tanquam forma, hiſce verbis: *Sunt igitur, & numero æqualia, & genere eadem, quæ & in ſempiternis, & in primis: illud enim, vt materia eſt, hoc autem, vt forma.*

Ratione vero (mea quidem ſententia) non foret probanda, ſi vellent aduerſarij his, quę naturale lumen intellectus oſtendit, ex ſola notitia terminorum acquieſcere. Nam cum per ſe ſit euidens, & ab eis admiſſum, cælum eſſe corpus, eandem prorſus euidentiam habet per ſe, quod ſit materiale, quia corpus idem prorſus ſignificat, quod materialis ſubſtantia, propterea apud me principiorum veritatem continet quod cælum habeat materiam, ita vt probatione non indigeat. Et hæc fortaſſis eſt cauſa, quod vix poſſit inueniri efficax ratiō, ad eam probandam. Et à priori nulla, quia non poſſunt principia à priori demonſtrari, & vniuerſaliter loquendo, quia quo principia euidentiora ſunt, eo poſſunt minus efficaciter oſtendi, aut probari: ſed probatur à poſteriori. Primo, quia cælum habet duas alias compoſitiones, longe inferiores; atque imperfectiores, quam compoſitio ex materia, & forma; hæc igitur tanquam perfectior non poteſt ei denegari, euidens eſt conſequentia, quia propter ſolam imperfectionem ei denegatur, ſed anteceđens admittunt aduerſarij, concedendo cælo quantitatem, & ideo partes integrantes ſubſtantiæ eius, ex quibus componitur, atque etiam compoſitionem ex ſubiecto, & accidentibus ſenſibilibus, vt ex ſubſtantia,

&

& quantitate,luce,figura,raritate,ac denſitate,de quibus ſpeciali ratione conuincitur, non eſſe niſi in materia, aut compoſito ex ea. Probatur tandem, quia ſenſus, & operationes eorum, non ſolum corporei ſunt, ſed materiales: ergo repugnat ſentire, niſi materialia: ſed euidenti experientia conſtat, cælum eſſe ſenſibile ab eis, & ſentiri actu: ergo euidens eſt, quod ſit materiale, & veram materiam ſenſibilem habeat.

Ad primum teſtimonium Ariſtotelis reſpondetur ipſum negare cælo potentiam ſubſtantialem, quæ non ſit ſemper coniuncta cum ſuo actu, ſed indifferens, quia æternum, & incorruptibile eſt, non vero potentiam, cum eodem actu ſubſtantiali ſemper coniunctam, quia hæc non obſtat æternitati compoſiti, vt patet, ac proinde,nec intentio Ariſtotelis. In alio vero teſtimonio colligit carentiam materiæ, in intelligentiis non ex ſola æternitate, ſed quia ſunt puri actus ſine principio mouentes.

Secundum teſtimonium, abſque vlla expoſitione debet intelligi, quod habens materiam,aliquam contrarietatem habere debeat; ſed minor neganda eſt, quod cælum careat omni contrarietate, nam licet actiua, & paſſiua careat, & omni ea,quæ principium eſt corruptionis, ſed aliquam habet ad corruptionem non diſponentem vt rari,& denſi, & ſecundum motum tardi,& velocis,& alias huius conditionis: de illis igitur, quæ ad corruptionem diſponunt aſſeruit, & probauit Ariſtoteles in hoc libro; non reperiri in cælo, non de omnibus: quare non probatur ex his teſtimoniis quod ex mente eius contrarietate careat.

Ad primum argumentum negandum eſt, poſſibilem eſſe ſubſtantiam corpoream completam, & ſimplicem,

plicem, hoc eſt, quæ ſit ſola forma, ſicut angelus in ordine ſpirituali,& non ſit compoſita ex materia, & forma,primo,quia ſicut probatum eſt,impoſſibile dari corpus ſine materia, ita probatur impoſſibile, dari formam corpoream,& non materialem; quod ſi materialis eſt,intelligi nequit, quin ſit apta componere, corpus cum materia. Secundo, quia ſi corporea forma eſt, & capax quantitatis, & accidentium ſenſibilium,(vt concedunt aduerſarij)de corpore cæleſti, neceſſe eſt alias valde inferiores, atque imperfectiores compoſitiones habere ex partibus integrantibus, atque ex ſubiecto, & accidenti, quæ non poſſunt eſſe in eo,quod caret compoſitione ex materia,& forma, neque in forma niſi materiali.Quod vero dicitur dari in genere ſpirituali completam, & incompletam formam,admittimus,ſed negamus,quod ſub genere corporis dari debeant, nam cum ſit inferioris, & valde imperfectioris ordinis, corpus nequit eſſe compoſitum ſine compoſitione, ex materia, & forma;quo enim res inferioris ordinis ſunt, eo maiorem compoſitionem habere debent, & ſimplicitatem minorem.

Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quod ex ſola tranſmutatione ſubſtantiali cognouerunt Philoſophi materiam, quin potius nec eam cognouerunt primo, ex tali tranſmutatione, ſed ex accidentali; ac ſenſibili,vt ex alteratione,& latione, ex qua ſubſtantialem tranſmutationem in rebus ſublunaribus aſſequuti ſunt,& per carentiam eius diſtinxerunt corpora cæleſtia à ſublunaribus, indicantes intranſmutabilia eſſe illa,ſecundum ſubſtantiam, & ſolum tranſmutari ſecundum accidentia ſenſibilia, ex quo ſatis efficaciter intulerunt, materiam habere, quamuis alterius conditionis,à materia ſublunarium.

Ad

Ad tertium negandum eſt etiam antecedens, quod ſine materia ſaluentur omnia, quæ ſunt in cælo, in primis enim, nec ſaluatur lux corporea, ac viſibilis, nec ſaluatur raritas, & denſitas, nec ſaluatur motus; & conſequenter non ſaluantur influentiæ in inferiora, quia plura influunt per lumen tanquam per virtutem agendi, plura per motum, tanquam per conditionem, immo & cæteras influentias conſtat eſſe corporeas, & materiales, quarum ſubiectum non poteſt non eſſe compoſitum ex materia, & forma, vt probauimus.

QVÆSTIO VI.

An materia cælorum ſit eiuſdem ſpeciei cum materia ſublunarium corporum, vel diuerſæ.

IN præſenti controuerſia tenet prior ſententia materiam ſublunarem, & cæleſtem eſſe eiuſdem ſpeciei, quæ communis fuit in ſchola Philoſophorum, Ariſtotele antiquiorum, vt teſtantur Theodoret. in lib. de materia & mundo, & Plutarc. 2. lib. de placitis Philoſophorum, ita enim tenuiſſe aiunt Trimegiſtum, Empedoclem, Heraclitum, Thalem Mileſium, Xenophanem, Anaximandrum, Xenocratem, Platonem, & alios, & eandem ſequuti ſunt poſtea Auicena 1. lib. ſuæ ſufficientiæ, cap. 3. & ex Theologis D. Bonauentura in 2. diſtinct. 12. quæſt. 1. Scotus diſtinct. 14. quæſt. 1. §. ſecundum Theologos, Ægidius eadem diſtin. & opuſculo de materia cæli, Okam in 2. quæſt. 22. Abulenſis in caput 1. Gen. fol. 27. Titelmanus libro 1. Philoſophiæ, capite 12. Argentina tractatu de mate-

ria

ria cæli, noſter Molina 1. parte, tractatu de opere ſex dierum, diſputatione 5. & alij. Probatur primo, quia actus eſt, qui diſtinguit ſpecies, vt docet expreſſe Ariſtoteles 7. libro Metaphyſicæ, textu 49. Sed tam ſublunaris, quàm cæleſtis materia, eſt pura potentia, nullum actum includens: ergo non poteſt inter vnam & alteram dari diſtinctio ſpecifica, & certe ſi talis diſtinctio admittatur, verum eſſe non poteſt commune illud proloquium, ab omnibus receptum: materiam eſſe infimum omnium entium, ſumme diſtans à Deo. Probatur ex alio principio Ariſtotelis 8. libro Metaphyſicæ textu 10. quòd ſpecies omnes ſunt inæqualis perfectionis, ſicut numeri; ergo ſi duæ ſunt ſpecies materiæ ſublunaris, atque etiam cæleſtis, inæqualis perfectionis erunt, & aliqua eorum perfectior altera, & ex conſequenti non erit infimum ens, illa quæ ponatur perfectior, nec ſummè diſtabit à Deo, neque denique erit prope nihil, vt D. Auguſtinus aſſeruit 12. libro confeſ. c. 7. & 8. Secundo, quia ſi materia cæli debet poni diſtincta ſpecie à ſublunari, ideo erit, quia ex identitate ſpecifica vtriuſque, ſtatim ſequitur cælum non eſſe incorruptibile, vt ſupponimus, ſed hoc non ſequitur; ergo non eſt neceſſaria talis diſtinctio, & conſequenter non eſt admittenda. Probatur minor, quia vt cælum ſit incorruptibile, ſatis eſt, quod vnio formæ cum materia ſit naturalis: ex quo fit vt indiſſolubile ſit compoſitum ex vtraque, & ideo ex propria natura incorruptibile, ſed hoc poteſt ſtare abſque diuerſitate materiæ, propter modum informationis formæ, & carentia diſpoſitionum contrariarum. Nam ſi forma talis ſit, quod expleat capacitatem materiæ, nec poſtulet in ea pro ſui informatione cōtrarias diſpoſitiones, nec materia appetat aliam formam, nec poterit reci-

Digitized by Google

pere ab vllo agenti diſpoſitiones contrarias. Ex quibus omnibus plane infertur, non repugnare, quòd cælum ſit incorruptibile ex propria natura, quamuis materia eius ſit eiuſdem ſpeciei cum ſublunari.

Poſterior ſententia diſtinguit ſpecie materiam non ſolum cæli Empirei, ſed omnium corporum cæleſtium à ſublunari. Ita D. Thomas 1.parte, quæſt.66. articulo 2.& ibidem Caietanus, Alexander Alenſis 2. parte, quæſt. 44. membro 2. Albertus Magnus in 4. diſtinct. 6. articulo 8. Richardus in 2. diſtinctione 12. quæſtione 8. Hiſpalenſis & Capreolus ibidem quæſtione vnica, articulo 1. Henricus quodlibeto 4.quæſtione 16 Ferrarienſis 3. libro contra gentes capite 20. Iabellus 8. libro Metaphyſicæ, quæſt.13. Sonzinas libro 12. quæſt 9. Alexander libro 1.naturalium quæſtionum, capite 15. Pater Fonſeca 2. libro Metaphyſicæ, capite 3. Pater Suarez tomo 1. Metaphyſicæ, diſputatione 13. ſectione 11. Patres Conimbricenſes 1.libro de cælo, capit. 2. quæſtione 6.(quamuis oppoſitam quoque partem vt probabilem defendant.) Et tandem hanc ſententiam tenuit Diuus Dionyſius 4.cap.de Diuinis nominibus, quem citat pro ea Dinus Thomas in 2.diſt.15.quæſt.1. articulo 2.affirmans in hac re, ſicut in aliis fere omnibus Philoſophicis doctrinā Ariſtotelis ſequutum fuiſſe. Et hæc eſt iam fere communis ſententia,quam vt longe probabiliorem ſequimur, & imprimis expreſſa eſt apud Ariſtotelem 12.libro Metaphyſicæ,textu 10. hiſce verbis: *Cuncta vero quæcumque mutantur, materiam habent,ſed diuerſam,nā & ipſorum ſempiternorum,quæcūque non ſunt generabilia, ſed latione mobilia attamen non generabilem,ſed vnde quo.*Idem docet 8.li.Metaphyſicæ textu 12.Argumentum verò præcipuum huius ſententię eſt,quia ſi materia cęlorū,& ſublunaris eſſent eiuſdem

dē ſpeciei,ſequeretur corpora cæleſtia incorruptibilia eſſe,ſicut ſublunaria.Probatur conſequentia,quia materia cęli eſſet capax aliarū formarum, nempe elemētorum:nā vbi eadem eſt natura materia,eadem eſt capacitas recipiendi eaſdem formas,vt patet in materia quacumq; ſublunari,& cū careat aliis formis,habebit priuationem earū:quare quātum eſt ex ſe eas appeteret.Sed conſtat,hanc priuationem & hunc appetitum aliarum formarū eſſe totam radicē corruptionis elementorum:ergo pari ratione eſſent corruptibilia corpora cæleſtia.Cui argumento non fit ſatis variis ſolutionibus.Non enim ſatis fit dicere,appetitū illius materię expleri per informationem formę adeò perfectę continentis alias eminenter; quia nec continet perfectiones aliarum formarum intenſiuè, nec extenſiuè, cū anima rationalis,& quælibet ſenſitiua perfectior ſit forma cęli, ac proinde perfectius actu & materia. Et idē eſt de aliquibus formis cęlorū cōparatione aliorū, & omnes abſq; dubio perfecti⁹ actuarētextēſiue:ergo.

Nec ſatisfacit, quod probabilius reſpondent alij, hanc incorruptibilitatem prouenire ex ſpeciali modo informandi formę cælorum, cum ſpeciali, ſcilicet accōmodatione,& ſpecialibus diſpoſitionibus nō habētibus contrarium, vnde materia cęli non habet capacitatem proximam ad alias formas, ſed ſolum remotam. Hoc,inquam, non ſufficit, quia vel materia cæli reſpicit eſſentialiter formam inſeparabili modo informantem,& cum talibus diſpoſitionibus carentibus contrario, & ex hoc ſequitur diſtinctio ſpecifica materię cum ex ſe reſpiciat actum ſpecie diſtinctum in ratione formali actus vel materia ex ſe indifferēs eſt, & accidentaliter determinatur per tales diſpoſitiones ad formam inamiſſibiliter informatam: ergo potuit recipere alias diſpoſitiones,& aliam formam , & cum

ſemper maneat eadem natura materiæ, modo poterit illas recipere naturaliter, cum cuilibet potentiæ paſſiuæ naturali reſpondere poſſit, & debeat potentia actiua naturalis, quæ illam ad actum reducat; igitur cælum erit corruptibile: ob hanc enim rationem indifferentiæ materia ſublunarium eſt principium corruptionis.

Probatur ſecunda noſtra ſententia, quia ſi materiæ iſtæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſequitur corpora cæleſtia eſſe generabilia, ſicut ſublunaria. Probatur conſequentia, quia ſi ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo habent potentiam paſſiuam eſſentialem eiuſdem rationis. Ex quo efficaciter infero, eaſdem formas contineri in potentia vtriuſque, vt forma ſolis continebitur in potentia materiæ ignis, quia capax illius eſt, non minus quam propria materia, & cum eam non habeat, habebit priuationem, & appetitum eius: ſed cuilibet potentiæ paſſiuæ naturali debet correſpondere actiua naturalis actu exiſtens, vel ſaltem naturaliter poſſibilis, à qua poſſit reduci in actum, vel fruſtra erit, poſſibile eſt ergo agens naturale, quo educi poſſit forma ſolis, quantum eſt ex ſe de potentia materiæ ignis, & ita erit ſol ſecundum ſe generabilis ex materia ignis, quod patet eſſe falſum. Et ſi materia ignis habet capacitatem naturalem ad formam ſolis, habebit etiam ad diſpoſitiones illius, quod enim reſpicit finem, debet etiam eadem ratione reſpicere media ad illum naturaliter ordinata, aliàs fruſtra erit capacitas proxima, vel remota perpetuo impedita naturaliter.

Ad primum argumentum dico, actum diſtinguere vel id, quod ſe habet ad modum actus, & ideo licet materia non habeat in ſua eſſentia aliquem actum phyſicum, cum ſit pura potentia, nec actum metaphyſi

phyſicum perfectum, & completum, cum ſit pars, habere tamen aliqualem actum, nempe, aliquem gradum, ſeu prædicatum perfectiuum, & determinatiuum rationis communis, & imperfectiſſimæ materiæ ad talem rationem & ſpeciem partialem imperfectam materiæ in ordine ad talem modum informandi formæ, cum hoc tamen ſemper manet materia imperfectiſſima aliorum omnium entium, licet in ſe habeat ſpecies inæqualis perfectionis. Ad ſecundum iam probauimus ex vnitate ſpecificâ materiæ cæli, & ſublunaris rectè inferri, cælum eſſe corruptibile. Nec nobis contrariatur locus ex primo Geneſis, vbi videtur indicari ex communi materia aquæ facta fuiſſe corpora cæleſtia: nam & ſi expoſitorum ſenſus varius ſit, quem expendere à noſtro inſtituto alienum eſt, tamen nihil contra noſtram ſententiam inferri efficaciter poteſt, vt bene adnotat ſanctus Thomas 1.p.quæſt.68.art.1.2. & 3. qui etiam quæſt.66.art.2.ad 1.probè docet, aliquos Patres ſcholæ Platonis addictos illius ſententiam retuliſſe, & ideo in hac parte non potiri pluſquam Platonica auctoritate.

QVÆSTIO VII.

An materia cæleſtis ſit perfectior ſublunari.

QVia ſpecies iuxta Ariſt. ſunt ſicut numeri, de quibus conſtat, duos æquales dari non poſſe, ita repugnat dari duas ſpecies æqualis perfectionis, & propterea ſi materiæ ſpecie diſtinguuntur, neceſſe eſt, vnam eſſe perfectiorem altera, vtra autem ſit perfectior, hoc eſt, quod quærit titulus quæſtionis.

Et quod materia ſublunaris ſit perfectior, videntur efficaciter probare hæc argumenta: Primum, quia perfectio eſſentialis potentiæ ſumitur in ordine ad actum (vt 2. lib. de anima, tract. de potentiis animæ in communi ſcripſimus) ſed ſublunaris materia reſpicit nobiliorem actum, quam cæleſtis, nempe, animam maxime rationalem, ergo erit nobilior. Secundum argumentum, quia actus adæquatus ſumit ſuam perfectionem ex maiori extenſione ad particulares actus, præſertim perfectiores, qui ſufficiunt perfectiorem conſtituere rationem communem ad æquatam eius, vt ratio adæquata potentiæ viſiuæ ex eo ſolum foret perfectior rationibus adæquatis aliorum ſenſuum, quia ſe extendit ad perfectiſſimam qualitatem, quæ eſt lux: ſufficit ergo quod actus adæquatus ſublunaris materiæ ſe extendat ad animam rationalem, & cæteras forma cæleſti perfectiores, vt perfectior cenſeatur actus adæquatus, quem reſpicit per ſe, actu adæquato cæleſtis formæ, quem reſpicit per ſe materia cæleſtis, & conſequenter eadem ipſa materia ſublunaris ſit perfectior.

Tertium argumentum: quia ſi materia cæli eſſet perfectior, ex eo quod, licet forma in entitate ſit minus perfecta, in modo tamen informandi inamiſſibiliter; ſubquo formaliter à materia reſpicitur, perfectior eſt, ex hoc ſequeretur, quod ſi materia lapidis foret capax ſolius formæ lapidis, & materia ſublunaris eſſet capax aliarum omnium, ſicut eſt modo, nihilominus materia lapidis foret perfectior ſublunari nunc exiſtenti, quod patet eſſe abſurdum. Sed probatur conſequentia, quia materia lapidis in eo caſu haberet perfectiorem modum informandi, cum informaretur modo inſeparabili, propriam tantum reſpicienti formam ſicut materia cæli.

Oppoſi

Oppoſitam ſententiam, quod materia cæleſtis ſit perfectior eſſentialiter ſublunari, tenet Richard.in 2. diſtinct.12.quæſt.2. & quodlibeto 3.quæſt.5. Durandus eadem diſtinct. 12. quæſtione prima, in eamque videtur inclinare Scotus quæſt. 2. in ſolutione argumen quamuis dubius permaneat, Argentina in 1.diſtinct.44.quæſt. prima, articulo ſecundo, & Abulenſis in ca.22. Matthæi quæſt. 222. & eſt communis in ſchola, & longe probabilior: nam in primis colligitur efficacier ex doctrina Ariſtotelis 7.libro metaphyſicę cap.6.textu 22.vbi expreſſe docet, materiam ſublunarem eſſe principium corruptionis rerum his verbis: *Cuncta vero, quæ aut natura, aut arte fiunt habēt materiam: poſſibile eſt enim eſſe, & non eſſe, eorum vnum quodque, hoc autem cuique materiæ.* Ex quibus ita arguo, corruptio rerum, cum tendat ad non eſſe, eſt maxima imperfectio earum: ſed ſublunaris materia eſt quaſi principium, & fons eius; ergo eſt imperfectiſſima, quam imperfectionem, cum non habeat materia cæleſtis, minus imperfecta erit. Præterea maxima illa imperfectio prouenit ei ex eo quod, habens vnam formam deſiderat alias, quas non habet; vnde ſequitur eſſe eis priuatam, immo, vt docet Ariſtot.1.lib.tex.81.infinitis ſubditur priuationibus, quarum ratione turpis, & malefica vocatur, & malum, hoc eſt corruptionem rei, in qua eſt, machinari dicitur: quibus omnibus imperfectionibus caret materia cæleſtis, quia vnam tantum formam habere poteſt, nec appetit aliam, immo nec capax eius eſt, ergo iuxta ſententiam Ariſtotelis eſſentialiter eſt perfectior. Probatur deinde ratione. Primo, quia materia ex propria natura eſt potentia paſſiua: ſed potentia paſſiua eſt imperfectiſſima (quam propterea Deo nullo modo tribuimus) ergo, quo materia fuerit magis paſſiua, erit

Et quod materia ſublunaris ſit perfectior, videntur efficaciter probare hæc argumenta: Primum, quia perfectio eſſentialis potentiæ ſumitur in ordine ad actum (vt 2. lib. de anima, tract. de potentiis animæ in communi ſcripſimus) ſed ſublunaris materia reſpicit nobiliorem actum, quam cæleſtis, nempe, animam maxime rationalem, ergo erit nobilior. Secundum argumentum, quia actus adæquatus ſumit ſuam perfectionem ex maiori extenſione ad particulares actus, præſertim perfectiores, qui ſufficiunt perfectiorem conſtituere rationem communem ad æquatam eius, vt ratio adæquata potentiæ viſiuæ ex eo ſolum foret perfectior rationibus adæquatis aliorum ſenſuum, quia ſe extendit ad perfectiſſimam qualitatem, quæ eſt lux: ſufficit ergo quod actus adæquatus ſublunaris materiæ ſe extendat ad animam rationalem, & cæteras forma cæleſti perfectiores, vt perfectior cenſeatur actus adæquatus, quem reſpicit per ſe, actu adæquato cæleſtis formæ, quem reſpicit per ſe materia cæleſtis, & conſequenter eadem ipſa materia ſublunaris ſit perfectior.

Tertium argumentum: quia ſi materia cæli eſſet perfectior, ex eo quod, licet forma in entitate ſit minus perfecta, in modo tamen informandi inamiſſibiliter; ſubquo formaliter à materia reſpicitur, perfectior eſt, ex hoc ſequeretur, quod ſi materia lapidis foret capax ſolius formæ lapidis, & materia ſublunaris eſſet capax aliarum omnium, ſicut eſt modo, nihilominus materia lapidis foret perfectior ſublunari nunc exiſtenti, quod patet eſſe abſurdum. Sed probatur conſequentia, quia materia lapidis in eo caſu haberet perfectiorem modum informandi, cum informaretur modo inſeparabili, propriam tantum reſpicienti formam ſicut materia cæli.

Oppoſi

Oppoſitam ſententiam, quod materia cæleſtis ſit perfectior eſſentialiter ſublunari, tenet Richard.in 2. diſtinct.12.quæſt.2. & quodlibeto 3.quæſt.5. Durandus eadem diſtinct. 12. quæſtione prima, in eamque videtur inclinare Scotus quæſt. 2. in ſolutione argumen quamuis dubius permaneat, Argentina in 1.diſtinct.44.quæſt. prima, articulo ſecundo, & Abulenſis in ca.22. Matthæi quæſt. 222. & eſt communis in ſchola, & longe probabilior: nam in primis colligitur efficaciter ex doctrina Ariſtotelis 7.libro metaphyſicę cap.6.textu 22.vbi expreſſe docet, materiam ſublunarem eſſe principium corruptionis rerum his verbis: *Cuncta vero, quæ aut natura, aut arte fiunt habẽt materiam: poſſibile eſt enim eſſe, & non eſſe, eorum vnum quodque, hoc autem cuique materiæ.* Ex quibus ita arguo, corruptio rerum, cum tendat ad non eſſe, eſt maxima imperfectio earum: ſed ſublunaris materia eſt quaſi principium, & fons eius; ergo eſt imperfectiſſima, quam imperfectionem, cum non habeat materia cæleſtis, minus imperfecta erit. Præterea maxima illa imperfectio prouenit ei ex eo quod, habens vnam formam deſiderat alias, quas non habet; vnde ſequitur eſſe eis priuatam, immo, vt docet Ariſtot.1.lib.tex.81.infinitis ſubditur priuationibus, quarum ratione turpis, & malefica vocatur, & malum, hoc eſt corruptionem rei, in qua eſt, machinari dicitur: quibus omnibus imperfectionibus caret materia cæleſtis, quia vnam tantum formam habere poteſt, nec appetit aliam, immo nec capax eius eſt, ergo iuxta ſententiam Ariſtotelis eſſentialiter eſt perfectior. Probatur deinde ratione. Primo, quia materia ex propria natura eſt potentia paſſiua: ſed potentia paſſiua eſt imperfectiſſima (quam propterea Deo nullo modo tribuimus) ergo, quo materia fuerit magis paſſiua, erit

imperfectior, ſed conſtat, ſublunarem eſſe magis paſſiuam, quam cæleſtem, tum quia indifferens eſt, ad recipiendum omnes formas, & æquè poteſt viliſſimam, ac nobiliſſimam recipere, immo & eas, quas ſemel habuit, poteſt quantum eſt ex ſe, iterum recipere: vnde potentiam paſſiuam quaſi infinitam, hoc eſt, receptiuam ſine termino habet, cæleſtis vero minimum habet de potentia paſſiua, cum vnius dumtaxat formæ capax ſit, & ſemel tantum poſſit eam recipere: ergo longe minus imperfecta erit. Secundo, & efficacius probatur à priori, nam perfectio paſſiua materiæ ſumitur in ordine ad actum: ſed materia cæleſtis recipit actum eſſentialiter, atque formaliter perfectiorem, ergo eſſentialiter, ac poſitiue eſt perfectior. Probatur minor, quia propria, & formalis ratio actus ſumitur ex perfectiori modo actuandi potentiam: ſed forma cæleſtis perfectiori modo actuat materiam, ergo eſt perfectior actus formaliter, quare materia eum reſpiciens erit perfectior potentia, & materia perfectior. Minorem probo, quia forma cæleſtis actuat materiam ſatiando appetitum eius, & totam eius capacitatem complendo. Pręterea actuat ſe vniendo materię vnione indiſſolubili, & ſua natura perpetua, ſublunaris vero forma nec explet capacitatem materiæ, nec vnione indiſſolubili vnitur, ſed naturaliter diſſolubili, illa ergo erit longe perfectior.

Ad primum argumentũ, conceſſa maiori, diſtiguẽda eſt minor, quod materia ſublunaris reſpiciat perfectiorem actum, vel formã, nam conſiderãdo naturam eius, atque eſſentialia prædicata, verum eſt, ſed ſub ratione præciſa ac formali actus, & formæ, quæ ſumitur ex modo informãdi, falſum: nã licet forma ſublunaris perfectiorem naturam habeat, & perfectius eſſe tribuat materiæ, & compoſito, modũ informandi habet imper

imperfectiſſimum, nempe, ſeparabilem, non explendo capacitatem materiæ, cum tamen cæleſtis forma, quamuis imperfectiorem naturam habeat, & imperfectius eſſe materiæ tribuat, perfectiori modo ei vniatur, nempe inſeparabili, & ſatiando appetitum eius, explendoque omnem eius capacitatem.

Ad ſecundum reſpondetur, vt actus adæquatus formæ ſublunaris perfectior ſit, ſecundum eſſe, & quaſi materialiter, ſufficit, quod ſe extendat ad animam rationalem longe perfectiorem ſub hac conſideratione formæ cæleſti, non tamen ſufficit, vt ſit perfectior ſecundum modũ informandi, quod eſt, eſſe perfectiorem ſub formali, ac præciſa ratione formæ, ſub qua non eſt verum, quod eam excedat anima rationalis, immo ab ea exceditur, vt probauimus.

Ad tertium argumentum, de materia lapidis capaci ſolius formæ lapidis, reſpondent recentiores quidam, non eſſe caſum poſſibilem, quia cum forma lapidis corruptibilis ſit, repugnat, quod ſola reſpiciatur à materia, ſed eo ipſo, quod eam reſpicit, cæteras omnes corruptibiles, ac ſublunares reſpicere debet, cum conueniat cum eis eadem forma in modo informandi, ſed licet hoc verum ſit, non ſatisfacit argumento, quod non ſolum loquitur de materia lapidis, & forma eius, vt nunc ſe habent, ſed ſi per poſſibile, vel impoſſibile talis materia reſpiceret talem formam ſolum, & non alteram, nec eius capax foret, & forma eadem ſolam hanc materiam poſſet informare, & non alteram, tunc enim non foret eiuſdem rationis cum cæteris materiis ſublunaribus, nec etiam forma cum cæteris formis. Quo ſuppoſito, reſpondeo in eo caſu materiam lapidis fore eiuſdem conditionis, & ordinis cum cæleſti, atque etiam forma eius cum cæleſtibus formaliter, quia eodem modo inſeparabili in-

formaret, explendo capacitatem ſuæ materiæ, & ſe vniendo illi modo, ac modo indiſſolubili, & mediis diſpoſitionibus contrario carentibus, atque conſtituendo lapidem naturaliter incorruptibilem: hæc enim omnia ſequuntur per locum ab intrinſeco ex caſu ſic propoſito in argumento. Quod vero dicitur formam lapidis eſſe infimæ ſortis ſecundum eſſe verum eſt, non ſecundum modum informandi perfectiſſimum, quem haberet, & ex quo ſumitur formalis, ac præciſa ratio formæ vt forma eſt.

Si autem aliquis dubitet, an materia ſublunaris non ſolum ſit imperfectior cæleſti, ſed imperfectiſſima omnium, quas poteſt Deus creare, ita nec per potentiam Dei abſolutam creabilis ſit alia inferior, aut imperfectior. Reſpondeo, valde probabile eſſe, quod non ſit creabilis altera imperfectior, quia non videtur excogitabilis altera potentia magis paſſiua, cum poſſit recipere omnes formas corruptibiles: nam de incorruptibilibus euidens eſt, nullam eſſe poſſibilem materiam, quæ poſſit vtraſque recipere, ita vt tam corruptibilium, quam incorruptibilium naturaliter ſit capax, quia incorruptibiles ſua natura inſeparabiliter informant: quare vnam tantum earum reſpicit materia, ita vt plurium non ſit capax, cum eo ipſo quod capax plurium foret, non poſſet ab aliqua modo inſeparabili informari, nec ſatiari potentia eius: ſed conſtat eo eſſe materiam imperfectiorem, quo magis paſſiua eſt, & eo magis paſſiuam, quo ad plures formas reſpiciendas indifferens eſt, & plures recipere poteſt. Ergo ſublunaris materia à Deo creata omnium eſt imperfectiſſimà, quæ creari poſſunt per potentiam Dei abſolutam. Quod ſatis clare docuit D. Auguſtin. dicens, eſſe prope nihil, hoc eſt, nihil minus à nihilo diſtare, quod eſt, dari non poſſe

aliud

aliud intra genus ſubſtantiæ imperfectioris entitatis.

QVÆSTIO VIII.

An materiæ cælorum ſint diuerſæ ſpeciei inter ſeſe, vel ſolo numero diſtinguantur.

PRęſupponimus plures cęlos dari ſpecie diſtinctos, vel ſolo numero, vt oſtendetur inferius, & de eorum materiis controuerſiam inſtituimus, an ſpecie inter ſeſe diſtinguantur, vel ſolo numero.

Et prima opinio non ſpecie, ſed ſolo numero diſtingui docet, quam ſequuntur Capreolus in 2. diſtin. 13. quæſt. 3. Hiſpalenſis, ibidem Soncinas 12. Metaphyſicæ quæſt. 10. Iabellus, quæſt. 11. lib. 8. & vnica ratio eorum eſt, quia materiæ non diſtinguuntur ſpecie per ordinem ad formas ſpecie diſtinctas, ſecundum gradus eſſentiales, ſed ſecundum modum informandi: ſed formæ cælorum, etiam ſi ſpecie diſtinguantur ſecundum gradus eſſentiales, habent eundem modum informandi materiam, quia omnes informant eam modo inſeparabili, ſatiantes appetitum eius: ergo omnes ſunt eiuſdem ſpeciei, in ratione præciſa formarum: ergo omnes etiam materiæ erunt eiuſdem ſpeciei, cum reſpiciant actum eiuſdem ſpeciei formaliter. Quod argumentum ſic vrgeo, formæ ſublunares (vt elementorum) diſtinguuntur ſpecie ſecundum propriam naturam, & nihilominus non diſtinguunt ſpecie proprias materias, ſed eiuſdem ſpeciei cenſentur, quia formæ habent eundem modum informandi modo ſeparabili non ſatiantes appetitum materiæ: ergo nec cæleſtes quantumlibet ſpecie diſtinctæ ſecundum

propriam

propriam naturam diſtinguent ſpecie materias proprias, quia habent eundem modum informandi ſeparabilem. Quod facilius apparet iuxta aliquorum opinionem, exiſtimantium formas cælorum adhuc ſecundum ſe, & corpora ipſa cæleſtia non diſtingui inter ſe ſpecie, ſed ſolò numero, de quo infra. Si enim formæ ſecundum gradum eſſentialem ſunt eiuſdem ſpeciei, non poſſunt habere modum informandi ſpecie diuerſum, quia per eundem gradum eſſentialem non poteſt non ſatiari eodem modo appetitus materiæ.

Secunda opinio diſtinguit ſpecie materias cæleſtes inter ſe, atque etiam formas in modo informandi inſeparabiliter ſpeciali cuiuslibet, & videtur mihi vera, quam ſequuntur Albertus Magnus tractatu de quatuor coæuis, quæſt.2.art.6. Caietanus 1.part.quęſt. 66.artic.2.§. Ad euidentiam, Aquilinus lib.1.de orbibus, quæſt.2.P.Suarez 1.tom.ſuæ Metaphyſicæ diſputatione 13.ſectione 11.num.20.Patres Conimbricenſes 1.lib.de cælo cap.2.quæſt.6.artic. 1. & eſt iam fere communis inter recentiores, quam in primis colligo ex D.Thom.1.part.quæſt.66.artic. 2. in fine corporis, & 22.quæſt.24.artic. 11.quibus locis docet, formam corporis cæleſtis, ita replere totam capacitatem materiæ, vt nulla in ea remaneat potentia ad aliam formam: ſi autem omnes materiæ cælorum eſſent eiuſdem ſpeciei, quælibet eſſet capax formæ alterius, nam vbi eadem eſt natura materiæ eadem eſt capacitas: quælibet ergo eſſet capax non ſolum propriæ formæ, ſed aliarum, & ideo non ſatiaretur appetitus eius ab vna. Sed ratione efficaci probatur, non poteſt ſaluari incorruptibilitas cælorum, ſi omnes materiæ eorum ſint eiuſdem ſpeciei: ſed corpora cæleſtia ſunt incorruptibilia, vt concedit oppoſita ſententia: ergo erit

falſa

falſa ponens materias cælorum eſſe eiuſdem ſpeciei. Maiorem ſic probo. Omnes iſtæ materiæ ſunt eiuſdem ſpeciei;ergo habent capacitaté, potentiam & appetitum eiuſdem rationis: conſequentia euidens eſt, quia capacitas, potentia, & appetitus eadem ipſa materia ſunt, ſola ratione ab ea diſtincta, vt 1. Phyſicorum,tractatu de materia oſtendimus:ſed materia Lunæ capax eſt ſuæ formæ,ac diſpoſitionum,quibus medijs eam informat:ergo eiuſdem formæ, & earundem diſpoſitionum capax erit materia Solis,& in eius potentia contineri neceſſe eſt, cum ſit eiuſdem rationis cum potentia formæ Lunæ:ſed forma, quæ continetur in potentia naturali materiæ, poteſt naturaliter educi ex ea;ergo poterit educi forma Lunæ de potentia materiæ Solis, & ita poterit Sol ex materia Lunæ generari, & erit generabilis, & ex conſequenti Luna ipſa corruptibilis. Et vrgeo argumentum hoc modo; in materia Solis eſt potentia paſſiua naturalis ad formam Lunę,& diſpoſitiones eius:ergo neceſſe eſt poſſe dari agens naturale, à quo poſſit per diſpoſitiones conuenientes tali formæ diſponi, & per eductionem eiuſdem formæ reduci in actum,quod non poteſt fieri ſine corruptione compoſiti; probatur cõſequentia: quicunque enim potentiæ paſſiuę naturali correſpondere poteſt ac debet naturalis actiua, à qua poſſit reduci in actum,vel fruſtra erit talis potentia. Et ſi dicatur,talem potentiam paſſiuam eſſe remotam,nihil refert, quia etiam ſi remota ſit, dicit ordinem ad agens naturale,à quo poteſt fieri proxima;nulla eſt enim potentia paſſiua naturalis remota, quæ non poſſit fieri proxima ab agente naturali per diſpoſitiones:nam eo ipſo,quod non poſſet fieri proxima,eſſet fruſtra, cum non poſſet perduci ad actũ. Secundo probatur, quia ſi in materia Solis eſt capacitas,& potentia naturalis ad

formam

formam Lunæ, & diſpoſitionum eius; ergo ſicut à principio educta fuit de potentia eius forma Solis, poſſet educi naturaliter forma Lunæ;& induci diſpoſitiones eius,ad quas etiam recipiendas habuit, & habet naturalem potentiam, & modo educi poterit naturaliter eadem forma,& eædē diſpoſitiones, & ſi eadem forma educi potuit tunc,ac modo poteſt,impoſſibile eſt capacitatem eiuſdem materiæ ſatiatam eſſe per formam, quam habet,cum potuerit habere aliam. Et vrgeo argumentum, quia potentia materiæ ſublunaris habentis vnam formam, ad recipiendam aliam quamcunque, nondum tamen habentis diſpoſitiones alterius,ſed eius tantum,quam habet,eſt potentia, ſeu capacitas remota,ac radicalis;& tamen eſt principium ſufficiens corruptionis compoſiti per illam: ergo quælibet materia cæleſtis, habens eandem capacitatem(licet radicalem, atque remotam) reſpectu cuiuſcunque alterius formæ cæleſtis (vt concedit oppoſita ſententia, & conuincitur vi argumenti eam concedere) ergo erit principium corruptionis eiuſdem cæli. Quare euidenter conuincitur contra eam, per locum ab intrinſeco omnia corpora cæleſtia habere principium radicale corruptionis, eſſeque corruptibilia ex ſuis principiis eſſentialibus, ſi materiæ ſunt eiuſdem ſpeciei:falſum igitur reputandum hoc eſt.

Ad primum argum. reſpondetur cum diſtinctione minoris:omnes enim formę cælorum habent eundem modum inamiſſibiliter informandi genericum, per quem diſtinguuntur à ſublunaribus, non ſpecificum, per quem inter ſe formaliter diſtinguuntur; ac proinde earum materiæ,vt ex dictis conſtat.

Ad aliud reſpondetur,formas elementorum habere eundem modum ſpecificum, amiſſibiliter informandi: formæ vero cælorum licet habeant eundem modum

modum genericum, gaudere tamen diuerſo modo ſpecifico, in ordine ad quem materiæ diuerſitatem ſpecificam ſortiuntur.

QVÆSTIO IX.

An quantitas cælorum, & corporum ſublunarium ſint eiuſdem ſpeciei, vel diuerſæ.

VIdebitur ſtatim alicui, quæſtionem hanc difficultate carere, præſertim cum non ſit hucuſque in ſchola agitata, nec propoſita, nihilominus ex diſcurſu eius patebit, difficultate non carere: nam affirmatiuam partem videntur probare hæc argumenta. Primum quia quantitas eſt proprietas conſequens corpoream ſubſtantiam, vel materiam primam, ſed tam hæc, quam ſubſtantia corporea cæleſtis, & ſublunaris diſtinguuntur ſpecie; ergo quantitates vtriuſque ſpecie diſtingui debent. Secundo, ad rationem intrinſecam quantitatis ſpectat, eſſe receptiuam aliorum accidentium, ſed hæc potentia receptiua, aut paſſiua diuerſæ ſpeciei eſt in vtraque quantitate: ergo diſtinguuntur ſpecie: minorem probo, quia potentiæ paſſiuæ diſtinguuntur per diuerſos actus, quos reſpiciunt: ſed potentia paſſiua quantitatis cæleſtis ordinatur ad recipienda accidentia, neque actiua, neque contraria: quantitas vero ſublunarium corporum ſua natura eſt receptiua qualitatum actiuarum, & contrariarum; ergo habent potentias paſſiuas diuerſæ ſpeciei, & ideo ſpecie diſtinguuntur. Et vrgeo argumentum hoc modo: materia cæleſtis, & ſublunaris eundem modum hebent compoſitionis ex partibus ſublunaribus integrantibus,

grantibus,& nihilominus diſtinguuntur ſpecie per diuerſas capacitates, vel potentias paſſiuas, quas habent ad recipiendas formas ſubſtantiales: pari ergo ratione licet quantitates iſtæ habeant eundem modum habendi partes extra partes: poſſunt differre ſpecie per diuerſas capacitates, vel potentias paſſiuas recipiendi accidentia valde diuerſa.

Communis tamen, & vera ſententia eſt, quantitatem corpoream cæleſtium, & ſublunarium eſſe eiuſdem ſpeciei atomæ: ita Soncinas 8. libro Metaphyſicæ, quæſt. 13. ad 4. Probatur primo, quia ratio eſſentialis, & propria cuiuslibet accidentis colligitur euidenter ex effectu formali, quem tribuit ſubiecto; vt propria ratio caloris ex eo quod natus eſt conſtituere ſubiectum formaliter calidum: ergo eſſentialis, & propria ratio quantitatis intelligenda eſt ex effectu formali, quem nata eſt tribuere ſubſtantiæ: ſed eundem effectum prorſus tribuit ſubſtantiæ quantitas cæleſtis, & ſublunaris, ergo erunt eiuſdem ſpeciei. Probatur minor, quia formalis effectus quantitatis eſt, conſtituere partes ſubſtantiæ extenſas extenſione molis, aut quod idem eſt, conſtituere eas radicaliter impenetrabiles, quod conſtat eodem modo præſtare vtramque quantitatem ſuæ ſubſtantiæ: ergo erunt eiuſdem ſpeciei, nec diſtinguuntur ratione potentiæ paſſiuæ diuerſæ, per quam vna poteſt recipere qualitates actiuas, & contrarias, alia vero non: in quo decipitur plane prior ſententia, quia ſecundum ſe accipiantur quantitates iſtæ, vtraque poteſt eadem accidentia recipere, quod euidenter conſtaret, ſi Deus ſepararet vtramque à propria ſubſtantia, ſicut ſeparat quantitatem panis in Euchariſtia: tunc enim nulla poſſet ratio repugnantiæ aſſignari, cum circa quantitatem cæli poſſit naturaliter agere ignis ei applicatus, & produ-

cere

cere in ea calorem, ſicut producit naturaliter in quantitate hoſtiæ conſecratæ : ergo quod non poſſit naturaliter recipere ſimilia accidentia, dum eſt in proprio ſubiecto, non prouenit ex parte eius; ſed ſubſtantiæ cæleſtis, quæ non eſt eorum capax, vt mox oſtendetur: quare ex parte potentiæ paſſiuæ non poteſt ſumi differentia ſpecifica harum quantitatum. Et poteſt hoc exemplo valde ſimili oſtendi, quia quantitas ſublunaris corporis poteſt naturaliter diuidi in partes integrantes, & actu diuiditur, quoties eodem modo diuiditur ſubſtantia, in qua eſt, & tamen quantitas corporis cæleſtis dum in eo eſt, non poteſt diuidi naturaliter, quod non ex parte eius prouenire affirmant omnes, cum ſit euidens ſeparatam per miraculum à ſuo corpore poſſe diuidi naturaliter, ſicut diuiditur quantitas Euchariſtiæ; ſed ex incorruptibilitate ſubſtantiæ cæleſtis, cui inhæret, & quæ diuidi naturaliter non poteſt: ergo ex eadem cauſa prouenit, quod non poteſt ſuſcipere accidentia actiua, & contraria, & non ab eſſentia eius; quare non poteſt deſumi argumentum ex hoc, ad probandam diſtinctionem ſpecificam eius à quantitate ſublunari. Secundo probatur quia communis eſt, & vera ſententia in prædicamento quantitatis, quod tres illæ ſpecies quantitatis continuæ, videlicet, linea, ſuperficies, & corpus ſint atomę ſub genere quantitatis continuæ, ac permanentis, quia nec dantur lineæ diſtinctæ ſpecie, nec ſuperficies, nec corpora trinæ dimenſionis, ſed quantitas cęleſtis, & ſublunaris pertinent ad has ſpecies; ergo ſolo numero diſtingui poſſunt, ſpecie vero nullo modo.

Ad primum oppoſitæ partis diſtinguenda eſt minor: quantitas enim non conſequitur materiam primam, aut corpoream ſubſtantiam, in ſpecie, ſed in genere, communi quidem materiæ cæleſti, ac ſublunari,

vel vtrique ſubſtantiæ, non eiſdem, vt ſpecie diſtinctis. Itaque quaſi proprietas ſubalterna cenſetur, ſicut ſenſibilitas reſpectu hominis, & equi non atoma, vt eſt riſibilitas reſpectu hominis, vnde ex diuerſitate materiæ, aut ſubſtantiæ, non infertur diuerſitas ſpecifica quantitatis.

Ad ſecundum neganda eſt minor, iuxta doctrinam traditam, ex qua conſtat, potentiam paſſiuam vtriuſque quantitatis eſſe eiuſdem prorſus rationis, & eorundem accidentium per ſe receptiuam, licet quantitati cæleſti repugnet per accidens ſuſcipere qualitates contrarias diſponentes ad corruptionem, quia ſubſtantia cæli, cui inhæret quantitas incorruptibilis eſt, ex quo conſtat ad confirmationem.

CAPVT III.

Textus Ariſtotelis.

Quoniam autem hæc quidem ſupponuntur, hæc autem ex dictis oſtenſa ſunt, &c.

Breuis expoſitio textus.

ARiſtoteles in præſenti capit. intendit conſtituere diſcrimen inter cælum, & alia corpora, ex omnibus ſpeciebus motuum, & mutationum, localis videlicet, generationis, corruptionis, alterationis, augmenti, & diminutionis. Diuiditur autem caput hoc in duas partes, nam in priori id oſtendit rationibus; in poſteriori verò authoritatibus; & præter dicta in præcedentibus capitibus, vnum aliud aſſerit eſſe præſupponendum, videlicet, quid ſit corpus graue, quid leue, quid grauiſſimum, & quid leuiſſimum: quorum rationes ex profeſſo affert 4. lib. huius operis;

operis: graue corpus eſſe aſſerit,quod natum eſt moueri ad medium mundi, hoc eſt ad centrum leue, quod natum eſt moueri à medio,ſeu à centro:grauiſſimũ,quod natũ eſt eſſe ſub omnibus,quę ad medium, ſeu motu deorſum mouetur (vt terra)leuiſſimũ,quod natum eſt eſſe ſupra omnia, quæ ſurſum mouentur: hoc eſt, immediatè infra lunam. Hoc præſuppoſito probat,quod cęlum non ſit graue,aut leue,quia ſi haberet grauitatem, moueretur naturaliter ad medium, ſeu ad centrum motu recto, ſicut elementa grauia:ſed talis motus naturalis eſt elementis, vt terrę, & aquę: ergo cęlum eſſet eiuſdem naturę cum elementis. Si vero cælo conuenit motus deorſum præter naturam; ergo motus ſurſum contrarius motui deorſum erit ei naturalis, & ſi motus ſurſum ſit ei præter naturam, motus deorſum erit ei naturalis.Et ita ſequitur,cęlum eſſe de natura elementorum, quia cum procedat motus à natura mobilis, eiuſdem naturæ debent eſſe illa corpora,quibus idẽ motus eſt naturalis. Ex dictis colligit,non ſolum integrum corpus cæleſte carere grauitate,ac leuitate, ſed & quamlibet partem eius:quia eadem eſt natura totius,& partis, quantum ad hoc, & ideo ſi pars aliqua cæli ſepararetur ab eo, non moueretur ſeparata motu ſurſum, nec deorſum:quia motus iſti ſolum poſſunt conuenire corpori graui,aut leui.

Probat deinde,cælum non eſſe generabile,aut corruptibile,ſic:Generatio,& corruptio fiunt ex cõtrariis, & inter contraria:ſed cælo non conueniunt contrarij motus,vt inferius oſtendet;ergo nec poteſt ei conuenire,quòd generetur aut corrũpatur,vnde probat,non poſſe augeri aut diminui, quia quod augetur ex parte, generatur,& quod minuitur ex parte corrũpitur,cum hæc non accidant,niſi cum acquiſitione,vel perditione alicuius partis ſubſtantię.Inde etiam infert, repu-

gnare cælo alterationem propriam : quia hęc, iuter qualitates contrarias,diſponit ad corrupti

In poſteriori parte cap. authoritate probat, c eſſe ingenerabile,& diuerſę naturę à corporibus illud quidem, quia apud omnes nationes etiam baras,cælum ſedes Dei vocatum eſt, ex eo quod c nes arbitrantur,ęterno Deo,ęternam quoque,& nı quam interituram deberi ſedem. Cui accedit, qu Aſtronomi à principio,quo motum cæli, & aſtror cæperunt contemplari,nullam vnquam mutatione vel minimam adnotarunt,aut in motu ſupremi orb aut aliorum ſibi ſubditorum. Quod verò diuerſæ n turæ ſit cælum à ſublunaribus tenuerunt antiqui Ph loſophi, qui propterea vocarunt cæleſtia corpora ætherea, non quaſi ignita, vt malè interpretatus eſt Anaxagoras,& poſt eum Tullius lib.de natur.Deo.ſed quaſi ſemper,ac perpetuo currentia, tanquam ſua natura perpetua.

Colligit tandem Ariſtoteles, præter hæc quinque ſimplicia corpóra, nempe, cælum, & elementa, non dari aliud in natura rerum, quia nec datur alius motus ſimplex, præter circularem, & quatuor rectos; quare neceſſe eſt, perfectionem mundi in his quinque corporibus ſic ordinatis conſiſtere.

QVÆSTIO I.

An cæleſtia corpora ſint ex propria natura ingenerabilia, & incorruptibilia.

PRima ſententia fuit Platonis in Timæo, aſſerentis, cælos ſua natura corruptibiles eſſe, ſed liberè

berè Dei voluntate perpetuo conſeruandos: quare Deum ſic eos alloquentem introducit: *Natura veſtra eſtis diſſolubilia, voluntate autem mea indiſſolubilia: neutiquam tamen vos vlla mortis fata perimentmquia mea voluntas maius, potentiuſq; vobis eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam ad illud, quo fuiſtis, tunc cum gignebamini, colligata, &c.* Platonem ſequuti ſunt omnes illi Philoſophi à nobis citati, qui cæleſtia corpora eiuſdem naturæ cum elementis eſſe crediderunt. Immo ex ſanctis Patribus plures, atque grauiſſimi, Baſilius homilia 1. & 3. in Geneſim, Ambroſius lib. 1. Hexameron capite 6. Chryſoſtomus homilia 9. & 10. ad populum Antiochenum, Damaſcenus 2. libro Fidei, capite 6. Iuſtinus Philoſophus & Martyr oratione Paranetica ad Gentes, & in opuſculo contra Ariſtotelem, immo ex ſacris literis eam accepiſſe Platonem docet in paræn. ad Gentes, Irenæus libro 4. cap. 16. Theodoretus ſuper 8. caput Epiſtolæ ad Romanos, Genad. de Eccleſiaſt. dogmat. capit. 7. Eucum. & Catherin. in 2. Epiſtola D. Petri, cap. 3. Eug. lib. 7. perennis Philoſophiæ capite 49. Probatur primo ex ſacra pagina, in qua inſinuatur, cælos aliquando corrumpendos: ſed conſtat, Deum nihil prorſus ex propria natura incorruptibile deſtruere: ergo ſi deſtruendi ſunt à Deo, ſua ſunt natura corruptibiles. Probatur maior ex illo Iob 14. *Homo poſtquam dormierit, non reſurget donec atteratur cælum*, & Pſalmo 101. *Opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt.* Eſaiæ 24. & 51. *Tabeſcet omnis militia cælorum, & cæli ſicut fumus liqueſcent*, & Lucæ 21. *Cælum, & terra tranſibunt.* Apocalypſis 21. *Vidi cælum nouum, & terram nouam; prius enim cælum, & prior terra iam abiit.* Et tandem 2. Petri 3. vbi cæli, qui nunc ſunt, dicuntur igni reſeruati in diem iudicij: deinde additur: *Adueniet autem dies Domini, vt*

gnare cælo alterationem propriam: quia hęc, vtpotè inter qualitates contrarias, diſponit ad corruptionem.

In poſteriori parte cap. authoritate probat, cęlum eſſe ingenerabile, & diuerſę naturę à corporibus aliis: illud quidem, quia apud omnes nationes etiam Barbaras, cælum ſedes Dei vocatum eſt, ex eo quod omnes arbitrantur, ęterno Deo, ęternam quoque, & nunquam interituram deberi ſedem. Cui accedit, quod Aſtronomi à principio, quo motum cæli, & aſtrorum cæperunt contemplari, nullam vnquam mutationem, vel minimam adnotarunt, aut in motu ſupremi orbis, aut aliorum ſibi ſubditorum. Quod verò diuerſæ naturæ ſit cælum à ſublunaribus tenuerunt antiqui Philoſophi, qui propterea vocarunt cæleſtia corpora ætherea, non quaſi ignita, vt malè interpretatus eſt Anaxagoras, & poſt eum Tullius lib. de natur. Deo. ſed quaſi ſemper, ac perpetuo currentia, tanquam ſua natura perpetua.

Colligit tandem Ariſtoteles, præter hæc quinque ſimplicia corpóra, nempe, cælum, & elèmenta, non dari aliud in natura rerum, quia nec datur alius motus ſimplex, præter circularem, & quatuor rectos: quare neceſſe eſt, perfectionem mundi in his quinque corporibus ſic ordinatis conſiſtere.

QVÆSTIO I.

An cæleſtia corpora ſint ex propria natura ingenerabilia, & incorruptibilia.

PRima ſententia fuit Platonis in Timæo, aſſerentis, cælos ſua natura corruptibiles eſſe, ſed liberè

berè Dei voluntate perpetuo conſeruandos: quare Deum ſic eos alloquentem introducit: *Natura veſtra eſtis diſſolubilia, voluntate autem mea indiſſolubilia: neutiquam tamen vos vlla mortis fata periment, quia mea voluntas maius, potentiuſq; vobis eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam ad illud, quo fuiſtis, tunc cum gignebamini, colligata, &c.* Platonem ſequuti ſunt omnes illi Philoſophi à nobis citati, qui cæleſtia corpora eiuſdem naturæ cum elementis eſſe crediderunt. Immo ex ſanctis Patribus plures, atque grauiſſimi, Baſilius homilia 1. & 3. in Geneſim, Ambroſius lib. 1. Hexameron capite 6. Chryſoſtomus homilia 9. & 10. ad populum Antiochenum, Damaſcenus 2. libro Fidei, capite 6. Iuſtinus Philoſophus & Martyr oratione Parænetica ad Gentes, & in opuſculo contra Ariſtotelem, immo ex ſacris literis eam accepiſſe Platonem docet in paræn. ad Gentes, Irenæus libro 4. cap. 16. Theodoretus ſuper 8. caput Epiſtolæ ad Romanos, Genad. de Eccleſiaſt. dogmat. capit. 7. Eucum. & Catherin. in 2. Epiſtola D. Petri, cap. 3. Eug. lib. 7. perennis Philoſophiæ capite 49. Probatur primo ex ſacra pagina, in qua inſinuatur, cælos aliquando corrumpendos: ſed conſtat, Deum nihil prorſus ex propria natura incorruptibile deſtruere: ergo ſi deſtruendi ſunt à Deo, ſua ſunt natura corruptibiles. Probatur maior ex illo Iob 14. *Homo poſtquam dormierit, non reſurget donec atteratur cælum*, & Pſalmo 101. *Opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt.* Eſaiæ 24. & 51. *Tabeſcet omnis militia cælorum, & cæli ſicut fumus liqueſcent*, & Lucæ 21. *Cælum, & terra tranſibunt.* Apocalypſis 21. *Vidi cælum nouum, & terram nouam; prius enim cælum, & prior terra iam abiit.* Et tandem 2. Petri 3. vbi cæli, qui nunc ſunt, dicuntur igni reſeruati in diem iudicij: deinde additur: *Aduenict autem dies Domini, vt*

gnare cælo alterationem propriam : quia hęc, vtpotè inter qualitates contrarias, diſponit ad corruptionem.

In poſteriori parte cap. authoritate probat, cęlum eſſe ingenerabile, & diuerſę naturę à corporibus aliis: illud quidem, quia apud omnes nationes etiam Barbaras, cælum ſedes Dei vocatum eſt, ex eo quod omnes arbitrantur, ęterno Deo, ęternam quoque, & nunquam interituram deberi ſedem. Cui accedit, quod Aſtronomi à principio, quo motum cæli, & aſtrorum cæperunt contemplari, nullam vnquam mutationem, vel minimam adnotarunt, aut in motu ſupremi orbis, aut aliorum ſibi ſubditorum. Quod verò diuerſæ naturæ ſit cælum à ſublunaribus tenuerunt antiqui Philoſophi, qui propterea vocarunt cæleſtia corpora æthęrea, non quaſi ignita, vt malè interpretatus eſt Anaxagoras, & poſt eum Tullius lib. de natur. Deo, ſed quaſi ſemper, ac perpetuo currentia, tanquam ſua natura perpetua.

Colligit tandem Ariſtoteles, præter hæc quinque ſimplicia corpóra, nempe, cælum, & elèmenta, non dari aliud in natura rerum, quia nec datur alius motus ſimplex, præter circularem, & quatuor rectos; quare neceſſe eſt, perfectionem mundi in his quinque corporibus ſic ordinatis conſiſtere.

QVÆSTIO I.

An cæleſtia corpora ſint ex propria natura ingenerabilia, & incorruptibilia.

PRima ſententia fuit Platonis in Timæo, aſſerentis, cælos ſua natura corruptibiles eſſe, ſed liberè

berè Dei voluntate perpetuo conſeruandos: quare Deum ſic eos alloquentem introducit: *Natura veſtra eſtis diſſolubilia, voluntate autem mea indiſſolubilia: neutiquam tamen vos vlla mortis fata periment, quia mea voluntas maius, potentiuſq́, vobis eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam ad illud, quo fuiſtis, tunc cum gignebamini, colligata, &c.* Platonem ſequuti ſunt omnes illi Philoſophi à nobis citati, qui cæleſtia corpora eiuſdem naturæ cum elementis eſſe crediderunt. Immo ex ſanctis Patribus plures, atque grauiſſimi, Baſilius homilia 1. & 3. in Geneſim, Ambroſius lib. 1. Hexameron capite 6. Chryſoſtomus homilia 9. & 10. ad populum Antiochenum, Damaſcenus 2. libro Fidei, capite 6. Iuſtinus Philoſophus & Martyr oratione Parænetica ad Gentes, & in opuſculo contra Ariſtotelem, immo ex ſacris literis eam accepiſſe Platonem docet in paræn. ad Gentes, Irenæus libro 4. cap. 16. Theodoretus ſuper 8. caput Epiſtolæ ad Romanos, Genad. de Eccleſiaſt. dogmat. capit. 7. Eucum. & Catherin. in 2. Epiſtola D. Petri, cap. 3. Eug. lib. 7. perennis Philoſophiæ capite 49. Probatur primo ex ſacra pagina, in qua inſinuatur, cælos aliquando corrumpendos: ſed conſtat, Deum nihil prorſus ex propria natura incorruptibile deſtruere: ergo ſi deſtruendi ſunt à Deo, ſua ſunt natura corruptibiles. Probatur maior ex illo Iob 14. *Homo poſtquam dormierit, non reſurget donec atteratur cælum*, & Pſalmo 101. *Opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt.* Eſaiæ 24. & 51. *Tabeſcet omnis militia cælorum, & cæli ſicut fumus liqueſcent*, & Lucæ 21. *Cælum, & terra tranſibunt.* Apocalypſis 21. *Vidi cælum nouum, & terram nouam; prius enim cælum, & prior terra iam abiit.* Et tandem 2. Petri 3. vbi cæli, qui nunc ſunt, dicuntur igni reſeruati in diem iudicij: deinde additur: *Adueniet autem dies Domini, vt*

gnare cælo alterationem propriam: quia hęc, vtpotè inter qualitates contrarias,diſponit ad corruptionem.

In poſteriori parte cap. authoritate probat, cęlum eſſe ingenerabile,& diuerſę naturę à corporibus aliis: illud quidem, quia apud omnes nationes etiam Barbaras,cælum ſedes Dei vocatum eſt, ex eo quod omnes arbitrantur,ęterno Deo,ęternam quoque,& nunquam interituram deberi ſedem. Cui accedit, quod Aſtronomi à principio,quo motum cæli, & aſtrorum cæperunt contemplari,nullam vnquam mutationem, vel minimam adnotarunt,aut in motu ſupremi orbis, aut aliorum ſibi ſubditorum. Quod verò diuerſæ naturæ ſit cælum à ſublunaribus tenuerunt antiqui Philoſophi, qui propterea vocarunt cæleſtia corpora ætherea, non quaſi ignita, vt malè interpretatus eſt Anaxagoras,& poſt eum Tullius lib.de natur.Deo.ſed quaſi ſemper,ac perpetuo currentia, tanquam ſua natura perpetua.

Colligit tandem Ariſtoteles, præter hæc quinque ſimplicia corpora, nempe, cælum, & elementa, non dari aliud in natura rerum, quia nec datur alius motus ſimplex, præter circularem, & quatuor rectos: quare neceſſe eſt, perfectionem mundi in his quinque corporibus ſic ordinatis conſiſtere.

QVÆSTIO I.

An cæleſtia corpora ſint ex propria natura ingenerabilia, & incorruptibilia.

PRima ſententia fuit Platonis in Timæo, aſſerentis, cælos ſua natura corruptibiles eſſe, ſed libere

berè Dei voluntate perpetuo conſeruandos: quare Deum ſic eos alloquentem introducit: *Natura veſtra eſtis diſſolubilia, voluntate autem mea indiſſolubilia: neutiquam tamen vos vlla mortis fata periment, quia mea voluntas maius, potentiuſq; vobis eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam ad illud, quo fuiſtis, tunc cum gignebamini, colligata, &c.* Platonem ſequuti ſunt omnes illi Philoſophi à nobis citati, qui cæleſtia corpora eiuſdem naturæ cum elementis eſſe crediderunt. Immo ex ſanctis Patribus plures, atque grauiſſimi, Baſilius homilia 1. & 3. in Geneſim, Ambroſius lib. 1. Hexameron capite 6. Chryſoſtomus homilia 9. & 10. ad populum Antiochenum, Damaſcenus 2. libro Fidei, capite 6. Iuſtinus Philoſophus & Martyr oratione Paranetica ad Gentes, & in opuſculo contra Ariſtotelem, immo ex ſacris literis eam accepiſſe Platonem docet in paræn. ad Gentes, Irenæus libro 4. cap. 16. Theodoretus ſuper 8. caput Epiſtolæ ad Romanos, Genad. de Eccleſiaſt. dogmat. capit. 7. Eucum. & Catherin. in 2. Epiſtola D. Petri, cap. 3. Eug. lib. 7. perennis Philoſophiæ capite 49. Probatur primo ex ſacra pagina, in qua inſinuatur, cælos aliquando corrumpendos: ſed conſtat, Deum nihil prorſus ex propria natura incorruptibile deſtruere: ergo ſi deſtruendi ſunt à Deo, ſua ſunt natura corruptibiles. Probatur maior ex illo Iob 14. *Homo poſtquam dormierit, non reſurget donec atteratur cælum*, & Pſalmo 101. *Opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt.* Eſaiæ 24. & 51. *Tabeſcet omnis militia cælorum, & cæli ſicut fumus liqueſcent*, & Lucæ 21. *Cælum, & terra tranſibunt.* Apocalypſis 21. *Vidi cælum nouum, & terram nouam; prius enim cælum, & prior terra iam abiit.* Et tandem 2. Petri 3. vbi cæli, qui nunc ſunt, dicuntur igni reſeruati in diem iudicij: deinde additur: *Aduenie t autem dies Domini, vt*

gnare cælo alterationem propriam: quia hęc, vtpotè iuter qualitates contrarias, diſponit ad corruptionem.

In poſteriori parte cap. authoritate probat, cęlum eſſe ingenerabile, & diuerſę naturę à corporibus aliis: illud quidem, quia apud omnes nationes etiam Barbaras, cælum ſedes Dei vocatum eſt, ex eo quod omnes arbitrantur, ęterno Deo, ęternam quoque, & nunquam interituram deberi ſedem. Cui accedit, quod Aſtronomi à principio, quo motum cæli, & aſtrorum cæperunt contemplari, nullam vnquam mutationem, vel minimam adnotarunt, aut in motu ſupremi orbis, aut aliorum ſibi ſubditorum. Quod verò diuerſæ naturæ ſit cælum à ſublunaribus tenuerunt antiqui Philoſophi, qui propterea vocarunt cæleſtia corpora ætherea, non quaſi ignita, vt malè interpretatus eſt Anaxagoras, & poſt eum Tullius lib. de natur. Deo. ſed quaſi ſemper, ac perpetuo currentia, tanquam ſua natura perpetua.

Colligit tandem Ariſtoteles, præter hæc quinque ſimplicia corpora, nempe, cælum, & elementa, non dari aliud in natura rerum, quia nec datur alius motus ſimplex, præter circularem, & quatuor rectos; quare neceſſe eſt, perfectionem mundi in his quinque corporibus ſic ordinatis conſiſtere.

QVÆSTIO I.

An cæleſtia corpora ſint ex propria natura ingenerabilia, & incorruptibilia.

PRima ſententia fuit Platonis in Timæo, aſſerentis, cælos ſua natura corruptibiles eſſe, ſed liberè

berè Dei voluntate perpetuo conſeruandos: quare Deum ſic eos alloquentem introducit: *Natura veſtra eſtis diſſolubilia, voluntate autem mea indiſſolubilia: neutiquam tamen vos vlla mortis fata periment, quia mea voluntas maius, potentiuſq́, vobis eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam ad illud, quo fuiſtis, tunc cum gignebamini, colligata, &c.* Platonem ſequuti ſunt omnes illi Philoſophi à nobis citati, qui cæleſtia corpora eiuſdem naturæ cum elementis eſſe crediderunt. Immo ex ſanctis Patribus plures, atque grauiſſimi, Baſilius homilia 1. & 3. in Geneſim, Ambroſius lib. 1. Hexameron capite 6. Chryſoſtomus homilia 9. & 10. ad populum Antiochenum, Damaſcenus 2. libro Fidei, capite 6. Iuſtinus Philoſophus & Martyr oratione Parænetica ad Gentes, & in opuſculo contra Ariſtotelem, immo ex ſacris literis eam accepiſſe Platonem docet in paræn. ad Gentes, Irenæus libro 4. cap. 16. Theodoretus ſuper 8. caput Epiſtolæ ad Romanos, Genad. de Eccleſiaſt. dogmat. capit. 7. Eucum. & Catherin. in 2. Epiſtola D. Petri, cap. 3. Eug. lib. 7. perennis Philoſophiæ capite 49. Probatur primo ex ſacra pagina, in qua inſinuatur, cælos aliquando corrumpendos: ſed conſtat, Deum nihil prorſus ex propria natura incorruptibile deſtruere: ergo ſi deſtruendi ſunt à Deo, ſua ſunt natura corruptibiles. Probatur maior ex illo Iob 14. *Homo postquam dormierit, non reſurget donec atteratur cælum*, & Pſalmo 101. *Opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt.* Eſaiæ 24. & 51. *Tabeſcet omnis militia cælorum, & cæli ſicut fumus liqueſcent*, & Lucæ 21. *Cælum, & terra tranſibunt.* Apocalypſis 21. *Vidi cælum nouum, & terram nouam; prius enim cælum, & prior terra iam abiit.* Et tandem 2. Petri 3. vbi cæli, qui nunc ſunt, dicuntur igni reſeruati in diem iudicij: deinde additur: *Adueniet autem dies Domini, vt*

fur, in quo cæli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſoluentur, & poſt pauca: *Cæli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent*. Quibus verbis excluſa videtur expoſitio eorum, qui cælorum nomine aerem intelligi hac in parte docent, nam cum cæli diſtinguantur ab elementis, non poteſt locum habere talis expoſitio, quamuis aliis in locis admittatur. Et tandem D. Clemens libro 2. & 3. recognitionum, refert Petrum dixiſſe, ſupremum cælum, quod ſedes eſt beatorum, omnino immutatum permanſurum; ſydereum vero, quod aſpicimus, in conſummatione ſæculi diſſoluendum. Probatur etiam ratione ex principio illo Ariſtotelis 8. libro Phyſicorum, capite 10. textu 78. quod virtus finita non poteſt perſiſtere in motu tempore infinito, cum proportio ſeruari debeat inter virtutem mouentem, ac tempus, quo durat motus; ſed conſtat, virtutem cæleſtis corporis eſſe finitam; ergo repugnat durare in motu tempore infinito à parte poſt, & ex conſequenti repugnabit durare tempore infinito in ſuo eſſe, à quo emanat motus: quare neceſſe eſt aliquando fore corrumpendam. Quod poteſt vrgeri hoc modo, cœlum non ſolum eſt finitæ virtutis; ſed habentis contrarium: ergo erit corruptibile: probatur antecedens ex accidentibus eius, vt ex denſitate, & raritate naturali, enumerata ab Ariſtotele 2. libro de generatione, inter ſecundas qualitates, quæ naturaliter oriuntur ex permixtione primarum: neceſſe eſt igitur, has ponere in cælo, quæ cum ſint proprie contrariæ, & actiuæ, mutuo poſſunt ſe expellere; quod non fiet ſine corruptione ſubiecti.

Secunda opinio tenet, corpora cæleſtia non poſſe naturaliter corrumpi, quia naturalis corruptio fieri

fieri debet ab agente naturali, per inductionem contrariarum diſpoſitionum in materia, quibus expellatur forma præexiſtens, & introducatur alia, & ideo corrumpatur compoſitum, & generetur aliud, aut etiam per diuiſionem totius compoſiti in partes integrantes, in quibus non poſſit conſeruari eius forma: ſed neutro ex his modis poteſt corrumpi cælum, nec generari; quia forma cæli informat materiam omnino independenter à contrariis diſpoſitionibus, vt à primis qualitatibus, quia neque his mediis introducta fuit à principio, neque ab eis conſeruatur, ſed à propriis contrario carentibus: ergo non poteſt ab aliquo agente naturali per eandem inductionem corrumpi, ſed nec per diuiſionem in partes integrantes, quia nullum eſt ſublunare agens, potens ſua virtute cælum diuidere. Vnde fit, quod ſi aliquo ex his modis corrumperetur, non foret naturalis, ſed ſupernaturalis corruptio, à Deo immediate efficienda: nihilominus verum non eſt, corpora cæleſtia ſua natura eſſe ingenerabilia, & incorruptibilia, quia naturale principium corruptionis habent, nempe, materiam ex ſe capacem contrariis diſpoſitionibus: facta enim ſunt à Deo in principio ex materia præexiſtente ſub forma aquæ per generationem, & in die Iudicij innouanda ſunt per aduentum nouæ formæ ſuſtantialis, ſola antiqua materia aquæ in eis permanente, & ideo ſubſtantialiter corrumpenda, vt plane ſignificant teſtimonia ſacræ paginæ, in confirmationem primæ ſententiæ relata. Ita ſentiunt nonnulli de omnibus corporibus cæleſtibus, præter Empyræum, quos ſequitur noſter Molina 1. part. tractatu de opere ſex dierum, diſputatione 2. 3. 5. & 10. addens, non repugnare doctrinæ Ariſtotelis, quia ſolum loquitur de generatione, & cor-

ruptione ab agente naturali facienda.

Communis tamen, & longe probabilior ſententia affirmat, corpora cæleſtia ex principiis intrinſecis ſuæ naturæ ingenerabilia, atque incorruptibilia eſſe, ita vt non poſſint deſinere per introductionem alterius formæ in materia eorum, etiam per potentiam Dei abſolutam, ſed ſolum per realem ſeparationem miraculoſam formæ à materia à Deo immediatè efficiendam, vel per annihilationem, & hęc nobis placet, quam tenet expreſſe Ariſtoteles; capit. 3. huius libri, vt vidimus, & libro 2. capit. 1. atque etiam in libro de mundo ad Alexandrum capit. 2. & cui euidens eſt repugnare expoſitionem Patris Molinæ, cum expreſſe teneat his locis Ariſtotelis, id prouenire ex parte materiæ diuerſæ rationis à materia ſublunari, & prorſus incapaci alterius formæ ab ea, quam habet: quare ex principiis propriæ naturæ repugnare cenſet. Ita ſentit tota ferè Peripatetica Schola, & in primis D. Thomas lib. 1. de cælo, lectione 6. lib. 2. lectione 1. & 2. libro contra Gentes cap. 40. & 1. parte quæſt. 66. artic. 2. & quæſt. 75. art. 6. & cęteri Scholaſtici in 4. diſtinct. 44. D. Dionyſius 4. cap. de diuinis nominibus, & tota iam Schola Philoſophica. Quod abſque dubio ſenſerunt D. Auguſtinus 14. libro, de Ciuitate Dei, capit. 24. D. Hieronymus in illud Iſaiæ 51. *Cæli ſicut fumus liqueſcent*, & ad illa verba capitis 69. *Ecce ego creo cælos nouos.* Et D. Gregorius libro 17. Moralium, cap. 5. quibus locis docent, cælos duraturos in perpetuum, cum eadem ſubſtantia, & ſolum habituros mutationem circa aliqua accidentia, & propterea D. Paulum 1. ad Corinthios 7. dixiſſe, *Præterit enim figura huius mundi*: nihil de ſubſtantia eorum locutus, vtpote in perpetuum duratura.

Sed ratione probatur primo, quia ſi cæli ex principiis

cipiis naturalibus fieri poſſunt per generationem, & deſinere per corruptionem : ergo habent materiam natura ſua tranſmutabilem per diuerſas formas, ita vt habens vnam,recipiat alteram;immo omnes, vt euidenter probatur in materia ſublunari, & præterea ſua natura capacem quarumlibet diſpoſitionem earum; ſed cuiliber potentiæ paſſiuæ naturali debet correſpondere naturalis actiua, à qua poſſit reduci in actum ; ergo poteſt talis potentia paſſiua reduci in actum ab agente naturali, & ab eodem diſponi pro ſua forma recipienda, atque introducenda naturaliter : quare ſequitur eſſe naturaliter corruptibilis. Quod hoc modo vrgeri poteſt; ſi materia cæli Lunæ fuit naturaliter ſub forma aquæ, & conſequenter ſub diſpoſitionibus eius, vt affirmat ſecunda opinio, vel ex ſua natura potuit eſſe, vt affirmat prima, ſequitur euidenter, fuiſſe tunc naturaliter capacem materiæ ignis, ac diſpoſitionum eius, & nunc eſſe,& cum natura eius eadem perſeueret,ſed elementum ignis contiguum eſt idem cælo , eique proinde ſufficienter approximatum, agente vero, & paſſo approximatis,ſequitur neceſſitate naturæ actio, paſſio, introductio diſpoſitionum, & formæ ſubſtantialis, atque expulſio præexiſtentium : ergo abſque dubio foret iam corruptum cælum illud nimia actiuitate ignis,ſi haberet naturale principium corruptionis.Quod vero Plato aiebat,ſola voluntate diuina,à corruptione præſeruari,ſola etiam voluntate humana abſque vllo rationis fundamento aſſeritur, immo contra ipſam rationem naturalẽ admittendo perpetuũ quoddam miraculũ ſine neceſſitate.Nec minus friuola eſt ſolutio ſecũdæ opinionis,quod forma cæli informet materiam aquæ (ex qua factũ eſt) independenter à diſpoſitionibus contrariis primarũ qualitatũ,

te verbum incorruptibile deſumpſerunt, vt ſignificat omnimodam neceſſitatem eſſendi,& ſoli Deo conuenit,iuxta Paulum 2. ad Timotheum 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*, in quo ſenſu nulla creatura incorruptibilis eſſe poteſt.

Ad argumentum reſpondeo, virtutem finitam in materia exiſtentem, & quæ defatigatur in mouendo, non poſſe moueri tempore infinito,& de hac ſola loquitur Ariſtoteles : ſi vero ſpiritualis ſit, vel prorſus incorruptibilis,bene poteſt,& ideo abſque fine poteſt moueri cælum ab Angelo, vel poſſet à principio intrinſeco efficiente,ſi illud haberet,quantumlibet finitum, ſecundum virtutem intenſiuam : non eſt enim neceſſaria proportio inter eiuſmodi principia,& tempus durationis motus, vt attente conſideranti facile conſtare poteſt.

QVÆSTIO II.

An aliquando noua aliqua ſtella, vel mutatio alia in cælo apparuerit, & quomodo id contigerit.

AVctores primæ opinionis relatæ,ſententiæ,quæſtione 1. vt adſtruſtuãt cælorum corruptibilitatem,obiicere nobis ſolent aliquas reales mutationes, in cælo deprehenſas,ex quibus inferri videtur,cælum generari,& corrumpi, & ideo de illis nobis ex inſtituto agendum eſt,in hac quæſtione, vt præcedentis veritas magis eluceat. Et in primis anno noſtræ ſalutis milleſimo,quĩtegẽteſimo ſeptuageſimo ſecũdo,omnibus Aſtrologis illius temporis conſentientibus, immo & vniuerſis hominibus ſpectantibus, apparuit in

Caſſio

Caſſiopea noua quædam ſtella, quæ poſt biennium euanuit:interim tamen in gentem omnibus, qui rei nouitatem percepere, admirationem attulit; & ideo Aſtrologos ad ſententiam de ea ferendam compulit. Quæ,vt ipſi notarunt, initio ſtellam Veneris magnitudine, & claritate vincere videbatur. Præterea poſt aliquot menſes adeo decreuit, vt deinceps toto ſuæ exiſtentiæ tempore non maior, quam aliud ſydus tertiæ magnitudinis apparuerit, nec alio, quàm diurno motu ſimul cum primo mobili fieri videbatur.

In ferenda tamen de hac ſtella ſententia diſtracti ſunt huius temporis Aſtrologi (quorum hæ partes maxime ſunt) nonnulli exiſtimârunt hoc iubar, non ſtellam, ſed cometam fuiſſe infra Lunæ globum degentem: huiuſmodi ſunt Maurolicus Abbas Meſſanenſis,Paulinus,Pridianus, P. Chryſtoforus Clauius, Thadeus,& Ageſius. Quorum fundamentum eſſe poteſt cæli incorruptibilitas, & ingenerabilitas, quæſt. præcedenti ſtabilita, quæ ſtare nequit, ſi aliquid de nouo productum in ipſo cælo admittamus. Horum tamen ſententia admittenda non eſt:quia omnes qui in elementari mundo ſub Lunæ globo videntur, non poſſunt eodem modo, & ſub eodem aſpectu, omnibus vndecunque cernentibus apparere,nec in eodem loco ab omnibus notari, ſi cum ſtellis inerrantibus conferantur,vt ratum eſt apud Aſtronomos,& per ſe apparet manifeſtũ, cum lineæ viſuales per quas fit viſio, ex diuerſis, & fere oppoſitis partibus circumferentiæ ductæ nequeant idem medium ſeruare,ac proinde nec viſiones per eas factæ,poſſint corpus interruptum,præſertim maxime diſtans ab alio, quaſi vltimo terminante,eiuſmodi viſiones ſub eodem aſpectu & poſitione cum illo pertingere.At omnes Aſtrologi ſtellam illam denuo ortam ſub eodem aſpectu, & di-

Digitized by Google

& ideo non poſſit eas recipere ab agente naturali, nam ſiue dependeat ab eis, vel non, certum eſt, vt præſupponit eadem ſententia, tales diſpoſitiones habuiſſe eandem materiam, dum fuit ſub forma aquæ, & ideo non minus poſſe modo eas habere. Probatur euidenter conſequentia, quia forma, quæuis illa ſit, non tollit capacitatem naturalem materiæ, immo nec impedit actionem agentis naturalis potentis ei imprimere diſpoſitiones ſibi naturales, quas habuit naturaliter, vt euidenti inductione poteſt probari in quibuſcunque materiis. Ex quo efficaciter colligitur, non poſſe impedire diſpoſitiones cæli, nec formam eius, quin ignis approximatus imprimat materiæ quondam aquæ, & ideo capaci caloris, & ſiccitatis, has qualitates, & conſequenter propriam formam.

Secundo, quia Deus condidit immediate mundum, & præcipua corpora eius naturali modo, & ordine, hoc eſt, vt natura eorum poſtulabat; ergo ſicut ſingulis corporibus contulit formas naturales iuxta naturam ſpeciei, in qua ea condere volebat, quia forma ſubſtantialis tribuit ſpeciem, ita eiſdem formis contulit diſpoſitiones ſibi naturaliter conuenientes, quibus medijs adaptaretur naturaliter materia ad receptionem formæ. Sed formæ cælorum, & diſpoſitiones, quas habent in materia carent contrariis, vt probauit Ariſtoteles 1. lib. de cælo, cap. 3. docetque experientia, & fatentur oppoſitæ ſententiæ: ergo tales formæ, & tales diſpoſitiones poſtulant naturaliter materiam incapacem formæ, & diſpoſitionum habentium contrarias, alioqui non foret accommodata materia naturæ formæ, ac diſpoſitionum, nec poſſet modo naturali componere cum ea compoſitum, ſed talis debet eſſe, vt non ſit capax contrariæ formæ, ac diſpoſitionum, & ita conſtituat cum eis compoſitum ex ſuis naturali-

bus

bus principiis indiſſolubile.

Teſtimonia ſcripturæ adducta in fauorem Platonis duo continent:vnum pertinens ad diſſolutionem, aut corruptionem cælorum , alterum ad immutationem eorum. Ad primum quidem non de cælo pro ſupremis corporibus,ſed pro aëre accipiendum eſſe,docet D.Aug.3.libro de Gen.ad litteram,cap.2.& 3.& in expoſitione Pſalm. 101. in quo etiam ſenſu de cælis iuxta eiuſdem Sacræ paginæ conſuetudinem , quæ Pſalm. 103.*Volucres cæli*:ait,hoc eſt aëris, & alibi ſæpè, loquitur D. Petrus , vt verba antecedentia euidenter oſtendunt.Poſtremum vero de cælis poſterioribus in fine mundi innouandis,aut immutandis , pro corporibus cęleſtibus accipit D.Petrus,ſicut cætera ſcripturæ teſtimonia:ſed immutationem,aut innouationem, non de ſubſtantiali, ſed de accidentali intelligendam eſſe docent idem Auguſt.14.lib.de Ciuitate Dei , cap. 24.D.Hieronymus in illud Iſaiæ 51.*Cæli ſicut fumus liqueſcent*,& ad illa verba, cap. 69. *Ecce ego creo cælos nouos*,& D.Gregor.lib.17. Moralium cap. 5. & ſic exponendum eſt teſtimonium Clementis.Eiuſmodi autem accidentalis mutatio, quantum ad lucem erit. nam tunc maiori luce fulgebunt,mutabuntur etiam quantum ad motum,& modum influendi , & elementa igne purgabuntur à vaporum , & aliarum qualitatum permixtione,atque etiam ab immunditiis,quas ex malo vſu iniquorum hominum ſuſceperunt, permanente quidem integra ſubſtantia , tam elementorum, quam cœlorum ; quare nihil ex ſacris literis probare poteſt incorruptibilitatem eorum ex ſuis principiis intrinſecis,ſed neque ex ſanctis Patribus, qui oppoſitum videntur docuiſſe. Nam,vt docet D.Thomas 1. part.quæſt.66.artic.2.ex mente Platonis,cuius doctrinam ſequuti ſunt in hac parte,id protulerunt,niſi forte

& ideo non poſſit eas recipere ab agente naturali, nam ſiue dependeat ab eis, vel non, certum eſt, vt præſupponit eadem ſententia, tales diſpoſitiones habuiſſe eandem materiam, dum fuit ſub forma aquæ, & ideo non minus poſſe modo eas habere. Probatur euidenter conſequentia, quia forma, quæuis illa ſit, non tollit capacitatem naturalem materiæ, immo nec impedit actionem agentis naturalis potentis ei imprimere diſpoſitiones ſibi naturales, quas habuit naturaliter, vt euidenti inductione poteſt probari in quibuſcunque materiis. Ex quo efficaciter colligitur, non poſſe impedire diſpoſitiones cæli, nec formam eius, quin ignis approximatus imprimat materiæ quondam aquæ, & ideo capaci caloris, & ſiccitatis, has qualitates, & conſequenter propriam formam.

Secundo, quia Deus condidit immediate mundum, & præcipua corpora eius naturali modo, & ordine, hoc eſt, vt natura eorum poſtulabat; ergo ſicut ſingulis corporibus contulit formas naturales iuxta naturam ſpeciei, in qua ea condere volebat, quia forma ſubſtantialis tribuit ſpeciem, ita eiſdem formis contulit diſpoſitiones ſibi naturaliter conuenientes, quibus medijs adaptaretur naturaliter materia ad receptionem formæ. Sed formæ cælorum, & diſpoſitiones, quas habent in materia carent contrariis, vt probauit Ariſtoteles 1. lib. de cælo, cap. 3. docetque experientia, & fatentur oppoſitæ ſententiæ: ergo tales formæ, & tales diſpoſitiones poſtulant naturaliter materiam incapacem formæ, & diſpoſitionum habentium contrarias, alioqui non foret accommodata materia naturæ formæ, ac diſpoſitionum, nec poſſet modo naturali componere cum ea compoſitum, ſed talis debet eſſe, vt non ſit capax contrariæ formæ, ac diſpoſitionum, & ita conſtituat cum eis compoſitum ex ſuis naturali-
bus

bus principiis indiſſolubile.

Teſtimonia ſcripturæ adducta in fauorem Platonis duo continent: vnum pertinens ad diſſolutionem, aut corruptionem cælorum, alterum ad immutationem eorum. Ad primum quidem non de cælo pro ſupremis corporibus, ſed pro aëre accipiendum eſſe, docet D. Aug. 3. libro de Gen. ad litteram, cap. 2. & 3. & in expoſitione Pſalm. 101. in quo etiam ſenſu de cælis iuxta eiuſdem Sacræ paginæ conſuetudinem, quæ Pſalm. 103. *Volucres cæli*: ait, hoc eſt aëris, & alibi ſæpè, loquitur D. Petrus, vt verba antecedentia euidenter oſtendunt. Poſtremum vero de cælis poſterioribus in fine mundi innouandis, aut immutandis, pro corporibus cęleſtibus accipit D. Petrus, ſicut cætera ſcripturæ teſtimonia: ſed immutationem, aut innouationem, non de ſubſtantiali, ſed de accidentali intelligendam eſſe docent idem Auguſt. 14. lib. de Ciuitate Dei, cap. 24. D. Hieronymus in illud Iſaiæ 51. *Cæli ſicut fumus liqueſcent*, & ad illa verba, cap. 69. *Ecce ego creo cælos nouos*, & D. Gregor. lib. 17. Moralium cap. 5. & ſic exponendum eſt teſtimonium Clementis. Eiuſmodi autem accidentalis mutatio, quantum ad lucem erit. nam tunc maiori luce fulgebunt, mutabuntur etiam quantum ad motum, & modum influendi, & elementa igne purgabuntur à vaporum, & aliarum qualitatum permixtione, atque etiam ab immunditiis, quas ex malo vſu iniquorum hominum ſuſceperunt, permanente quidem integra ſubſtantia, tam elementorum, quam cœlorum; quare nihil ex ſacris literis probare poteſt incorruptibilitatem eorum ex ſuis principiis intrinſecis, ſed neque ex ſanctis Patribus, qui oppoſitum videntur docuiſſe. Nam, vt docet D. Thomas 1. part. quæſt. 66. artic. 2. ex mente Platonis, cuius doctrinam ſequuti ſunt in hac parte, id protulerunt, niſi forte

& ideo non poſſit eas recipere ab agente naturali; nam ſiue dependeat ab eis, vel non, certum eſt, vt præſupponit eadem ſententia, tales diſpoſitiones habuiſſe eandem materiam, dum fuit ſub forma aquæ, & ideo non minus poſſe modo eas habere. Probatur euidenter conſequentia, quia forma, quæuis illa ſit, non tollit capacitatem naturalem materiæ, immo nec impedit actionem agentis naturalis potentis ei imprimere diſpoſitiones ſibi naturales, quas habuit naturaliter, vt euidenti inductione poteſt probari in quibuſcunque materiis. Ex quo efficaciter colligitur, non poſſe impedire diſpoſitiones cæli, nec formam eius, quin ignis approximatus imprimat materiæ quondam aquæ, & ideo capaci caloris, & ſiccitatis, has qualitates, & conſequenter propriam formam.

Secundo, quia Deus condidit immediate mundum, & præcipua corpora eius naturali modo, & ordine, hoc eſt, vt natura eorum poſtulabat; ergo ſicut ſingulis corporibus contulit formas naturales iuxta naturam ſpeciei, in qua ea condere volebat, quia forma ſubſtantialis tribuit ſpeciem, ita eiſdem formis contulit diſpoſitiones ſibi naturaliter conuenientes, quibus medijs adaptaretur naturaliter materia ad receptionem formæ. Sed formæ cælorum, & diſpoſitiones, quas habent in materia carent contrariis, vt probauit Ariſtoteles 1. lib. de cælo, cap. 3. docetque experientia, & fatentur oppoſitæ ſententiæ: ergo tales formæ, & tales diſpoſitiones poſtulant naturaliter materiam incapacem formæ, & diſpoſitionum habentium contrarias, alioqui non foret accommodata materia naturæ formæ, ac diſpoſitionum, nec poſſet modo naturali componere cum ea compoſitum, ſed talis debet eſſe, vt non ſit capax contrariæ formæ, ac diſpoſitionum, & ita conſtituat cum eis compoſitum ex ſuis naturali-

bus

bus principiis indiſſolubile.

Teſtimonia ſcripturæ adducta in fauorem Platonis duo continent:vnum pertinens ad diſſolutionem, aut corruptionem cælorum, alterum ad immutationem eorum. Ad primum quidem non de cælo pro ſupremis corporibus,ſed pro aëre accipiendum eſſe,docet D.Aug.3.libro de Gen.ad litteram,cap.2.& 3.& in expoſitione Pſalm. 101. in quo etiam ſenſu de cælis iuxta eiuſdem Sacræ paginæ conſuetudinem, quæ Pſalm. 103.*Volucres cæli*:ait,hoc eſt aëris, & alibi ſæpè, loquitur D. Petrus, vt verba antecedentia euidenter oſtendunt.Poſtremum vero de cælis poſterioribus in fine mundi innouandis,aut immutandis, pro corporibus cęleſtibus accipit D.Petrus,ſicut cætera ſcripturæ teſtimonia:ſed immutationem,aut innouationem, non de ſubſtantiali, ſed de accidentali intelligendam eſſe docent idem Auguſt. 14.lib.de Ciuitate Dei, cap. 24.D.Hieronymus in illud Iſaiæ 51.*Cæli ſicut fumus liqueſcent*,& ad illa verba, cap. 69. *Ecce ego creo cælos nouos*,& D.Gregor.lib.17. Moralium cap. 5. & ſic exponendum eſt teſtimonium Clementis.Eiuſmodi autem accidentalis mutatio, quantum ad lucem erit. nam tunc maiori luce fulgebunt,mutabuntur etiam quantum ad motum,& modum influendi, & elementa igne purgabuntur à vaporum, & aliarum qualitatum permixtione,atque etiam ab immunditiis,quas ex malo vſu iniquorum hominum ſuſceperunt, permanente quidem integra ſubſtantia, tam elementorum, quam cœlorum; quare nihil ex ſacris literis probare poteſt incorruptibilitatem eorum ex ſuis principiis intrinſecis,ſed neque ex ſanctis Patribus, qui oppoſitum videntur docuiſſe. Nam,vt docet D.Thomas 1. part.quæſt.66.artic.2.ex mente Platonis,cuius doctrinam ſequuti ſunt in hac parte,id protulerunt,niſi forte

& ideo non poſſit eas recipere ab agente naturali, nam ſiue dependeat ab eis, vel non, certum eſt, vt præſupponit eadem ſententia, tales diſpoſitiones habuiſſe eandem materiam, dum fuit ſub forma aquæ, & ideo non minus poſſe modo eas habere. Probatur euidenter conſequentia, quia forma, quæuis illa ſit, non tollit capacitatem naturalem materiæ, immo nec impedit actionem agentis naturalis potentis ei imprimere diſpoſitiones ſibi naturales, quas habuit naturaliter, vt euidenti inductione poteſt probari in quibuſcunque materiis. Ex quo efficaciter colligitur, non poſſe impedire diſpoſitiones cæli, nec formam eius, quin ignis approximatus imprimat materiæ quondam aquæ, & ideo capaci caloris, & ſiccitatis, has qualitates, & conſequenter propriam formam.

Secundo, quia Deus condidit immediate mundum, & præcipua corpora eius naturali modo, & ordine, hoc eſt, vt natura eorum poſtulabat; ergo ſicut ſingulis corporibus contulit formas naturales iuxta naturam ſpeciei, in qua ea condere volebat, quia forma ſubſtantialis tribuit ſpeciem, ita eiſdem formis contulit diſpoſitiones ſibi naturaliter conuenientes, quibus medijs adaptaretur naturaliter materia ad receptionem formæ. Sed formæ cælorum, & diſpoſitiones, quas habent in materia carent contrariis, vt probauit Ariſtoteles 1. lib. de cælo, cap. 3. docetque experientia, & fatentur oppoſitæ ſententiæ: ergo tales formæ, & tales diſpoſitiones poſtulant naturaliter materiam incapacem formæ, & diſpoſitionum habentium contrarias, alioqui non foret accommodata materia naturæ formæ, ac diſpoſitionum, nec poſſet modo naturali componere cum ea compoſitum, ſed talis debet eſſe, vt non ſit capax contrariæ formæ, ac diſpoſitionum, & ita conſtituat cum eis compoſitum ex ſuis naturali-

bus

bus principiis indiſſolubile.

Teſtimonia ſcripturæ adducta in fauorem Platonis duo continent:vnum pertinens ad diſſolutionem, aut corruptionem cælorum, alterum ad immutationem eorum. Ad primum quidem non de cælo pro ſupremis corporibus,ſed pro aëre accipiendum eſſe,docet D.Aug.3.libro de Gen.ad litteram,cap.2.& 3.& in expoſitione Pſalm. 101. in quo etiam ſenſu de cælis iuxta eiuſdem Sacræ paginæ conſuetudinem, quæ Pſalm.103.*Volucres cæli*:ait,hoc eſt aëris, & alibi ſæpè, loquitur D. Petrus, vt verba antecedentia euidenter oſtendunt.Poſtremum vero de cælis poſterioribus in fine mundi innouandis,aut immutandis, pro corporibus cęleſtibus accipit D.Petrus,ſicut cætera ſcripturæ teſtimonia:ſed immutationem,aut innouationem, non de ſubſtantiali, ſed de accidentali intelligendam eſſe docent idem Auguſt.14.lib.de Ciuitate Dei, cap. 24.D.Hieronymus in illud Iſaiæ 51.*Cæli ſicut fumus liqueſcent*,& ad illa verba, cap. 69. *Ecce ego creo cælos nouos*,& D.Gregor.lib.17. Moralium cap. 5. & ſic exponendum eſt teſtimonium Clementis.Eiuſmodi autem accidentalis mutatio, quantum ad lucem erit. nam tunc maiori luce fulgebunt,mutabuntur etiam quantum ad motum,& modum influendi, & elementa igne purgabuntur à vaporum, & aliarum qualitatum permixtione,atque etiam ab immunditiis,quas ex malo vſu iniquorum hominum ſuſceperunt, permanente quidem integra ſubſtantia, tam elementorum, quam cœlorum; quare nihil ex ſacris literis probare poteſt incorruptibilitatem eorum ex ſuis principiis intrinſecis,ſed neque ex ſanctis Patribus, qui oppoſitum videntur docuiſſe. Nam,vt docet D.Thomas 1. part.quæſt.66.artic.2.ex mente Platonis,cuius doctrinam ſequuti ſunt in hac parte,id protulerunt,niſi for-

te

te verbum incorruptibile deſumpſerunt, vt ſignificat omnimodam neceſſitatem eſſendi, & ſoli Deo conuenit, iuxta Paulum 2. ad Timotheum 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*, in quo ſenſu nulla creatura incorruptibilis eſſe poteſt.

Ad argumentum reſpondeo, virtutem finitam in materia exiſtentem, & quæ defatigatur in mouendo, non poſſe moueri tempore infinito, & de hac ſola loquitur Ariſtoteles: ſi vero ſpiritualis ſit, vel prorſus incorruptibilis, bene poteſt, & ideo abſque fine poteſt moueri cælum ab Angelo, vel poſſet à principio intrinſeco efficiente, ſi illud haberet, quantumlibet finitum, ſecundum virtutem intenſiuam: non eſt enim neceſſaria proportio inter eiuſmodi principia, & tempus durationis motus, vt attente conſideranti facile conſtare poteſt.

QVÆSTIO II.

An aliquando noua aliqua ſtella, vel mutatio alia in cælo apparuerit, & quomodo id contigerit.

AVctores primæ opinionis relatæ, ſententiæ, quęſtione 1. vt adſtruſtuā: cælorum corruptibilitatem, obiicere nobis ſolent aliquas reales mutationes, in cælo deprehenſas, ex quibus inferri videtur, cælum generari, & corrumpi, & ideo de illis nobis ex inſtituto agendum eſt, in hac quæſtione, vt præcedentis veritas magis eluceat. Et in primis anno noſtræ ſalutis milleſimo, quingēteſimo ſeptuageſimo ſecūdo, omnibus Aſtrologis illius temporis conſentientibus, immo & vniuerſis hominibus ſpectantibus, apparuit in

Caſſio

Caſſiopea noua quædam ſtella, quæ poſt biennium euanuit:interim tamen in gentem omnibus, qui rei nouitatem percepere, admirationem attulit; & ideo Aſtrologos ad ſententiam de ea ferendam compulit. Quæ,vt ipſi notarunt, initio ſtellam Veneris magnitudine, & claritate vincere videbatur. Præterea poſt aliquot menſes adeo decreuit, vt deinceps toto ſuæ exiſtentiæ tempore non maior, quam aliud ſydus tertiæ magnitudinis apparuerit, nec alio, quàm diurno motu ſimul cum primo mobili fieri videbatur.

In ferenda tamen de hac ſtella ſententia diſtracti ſunt huius temporis Aſtrologi (quorum hæ partes maxime ſunt) nonnulli exiſtimârunt hoc iubar, non ſtellam, ſed cometam fuiſſe infra Lunæ globum degentem: huiuſmodi ſunt Maurolicus Abbas Meſſanenſis,Paulinus,Pridianus, P. Chryſtoforus Clauius, Thadeus,& Ageſius. Quorum fundamentum eſſe poteſt cæli incorruptibilitas, & ingenerabilitas, quæſt. præcedenti ſtabilita, quæ ſtare nequit, ſi aliquid de nouo productum in ipſo cælo admittamus. Horum tamen ſententia admittenda non eſt;quia omnes qui in elementari mundo ſub Lunæ globo videntur, non poſſunt eodem modo, & ſub eodem aſpectu, omnibus vndecunque cernentibus apparere,nec in eodem loco ab omnibus notari, ſi cum ſtellis inerrantibus conferantur,vt ratum eſt apud Aſtronomos,& per ſe apparet manifeſtű, cum lineæ viſuales per quas fit viſio, ex diuerſis, & fere oppoſitis partibus circumferentiæ ductæ nequeant idem medium ſeruare,ac proinde nec viſiones per eas factæ,poſſint corpus interruptum,præſertim maxime diſtans ab alio, quaſi vltimo terminante,eiuſmodi viſiones ſub eodem aſpectu & poſitione cum illo pertingere. At omnes Aſtrologi ſtellam illam denuo ortam ſub eodem aſpectu, & diſtantia

ſtantia ad inerrantia aſtra ex diuerſis mundi plagis conſpexerunt. Ergo ſequitur manifeſte iubar illud non in elementari regione, ſed in ætherea apparuiſſe. Præterea cometæ non eadem velocitate, qua ſydera circunferuntur, vt in omnibus aliis liquido conſtat; ſiquidem aër, in quo degunt (etiam ſi ad motum cæli rapi dicamus) non eadem celeritate circumuoluitur; vt omnibus compertum eſt; ratione enim fluidę naturæ totum cæli rapientis impulſum non excipit. Igitur cum illud iubar eadem, qua cælum velocitate circumageretur, non cometa aëri iuſidens, ſed vera ſtella cælo affixa, vel certe illic reſidens, cenſenda eſt.

Aliorum ſententia fuit, ſtellam illam in regione æthérea apparuiſſe, non tamen fuiſſe de nouo productam, ſed quæ prius ibi quaſi occulto conſtiterit, & tùm denuo nobis apparuerit: ſed non eodem modo id explicant: quidam enim eorum exiſtimarunt, illud aſtrum fuiſſe vnum è tredecim, quibus Caſſiopeæ Sydus conſtat: quod eo tempore ob ingentem exhalationum copiam, inter ipſum, & noſtrum aſpectum interceptam, maius, & ſplendidius ſolito viſum fuerit. Alij vero ſibi perſuaſum habuerunt, ſtellam illam fuiſſe aliquam ex minimis octaui orbis, quæ præ exiguitate aliàs non cadit ſub noſtrum aſpectum; tunc autem plurium exhalationum interuentu ſeſe in conſpectum dedit. Hæc ſententia ſtabiliri poteſt argumentis, quibus nos priorem refellimus.

Verum enimvero horum auctorum placitum nobis placere non poteſt, quippe quod veritatis ſcopum non attigit. Et in primis priorum via præcluditur ex eo, quod plerique Aſtronomi per otium rem attentę inſpicientes, ſe obſeruaſſe teſtantur, alias tredecim ſtellas in Caſſiopea, præter illud nouum aſtrũ, quod excitandæ controuerſiæ occaſionem præbuit:

quibus

quibus ſane in hac re fides eſt adhibenda: alias eadem facilitate omnibus poſſemus inficiari apparitionem illam nouæ ſtellæ, vt nos à difficultatum tricis expediremus. Deinde contra omnes poſſumus argumentari. Nequit intelligi naturaliter, quod tam inſignis exhalationum copia inter ſtellam aliquam, & noſtrum aſpectum intercedat, quin etiam interuicinum aliud Sydus, & eundem aſpectum interiaceat: ac proinde ſi hæc expirationum terreſtrium multitudo in cauſa fuiſſet, vt ſtella illa ſolito ſplendidior, & maior apparuiſſet, effeciſſet quidem, vt propinquior alia lucidior, quàm antea, videretur, quod Aſtrologi omnes vno ore inficiantur. Præterea credibile non eſt, tam longo temporis tractu tãtam exhalationum multitudinem in eodem ſitu, & poſitione, in illa ſtella perſeueraſſe, & eadem celeritate continuo fuiſſe motam. Obeſt enim eadem exhalationis conditio, quæ ſuapte natura ſenſim euaneſcit, & à quolibet contrario abſumitur, vel diſtrahitur, nec non inquieto, & inæquabili, motu, huc illuc fertur: ac denique etiam ſi tanto temporis ſpatio in eadem quantitate perſeueraſſet, ac conſtanti, & æquabili motu ſemper moueretur, nihil prodeſſet ad præſens inſtitutum: quia illa exhalatio, ſeu exhalationum multitudo moueretur ad motum aëris, vel ignis, in quibus eſſet, vt per ſe patet: ſed hæc elementa non eadem velocitate cientur, ac ſtellatum cælum, nec eadem proportione, & commenſuratione ad illud, nec huius extat aliquod fundamentum: ergo neque exhalatio illa, in illis reſidens, quæ proinde non poſſet eſſe cauſa conſtantis apparitionis diuerſæ eiuſdem ſtellę. Tandem contra hanc ſententiam etiam militat efficax argumentum primo loco factum contra priorem. Quia ſi propter exhalationem exiſtentem in ſublunari plaga alterantem medium

dium potentiæ viſiuæ, ſtella illa diuerſo modo appa-ruiſſet cum ex diuerſis¦cum ex diuerſis terrę partibus, diuerſa media ad eandem ſtellam conſpiciendam oc-currãt, nõ vndique ſtella illa noua, aut quaſi innouata videretur, vt per ſe patet; quod contradicit omni-bus Aſtrologis illius temporis. Niſi quis ex ſuo cere-bro plures velit in medio confingere exhalationes, pro diuerſitate locorum, ex quibus Aſtronomi nouam illam ſtellam obſeruarunt: verum hoc naturaliter eſt impoſſibile; & plane commentitium, ad eludendum argumentum: priorum tamen vim non effugit, niſi aliam fabricetur chimeram.

Tertia ſententia eſt aliorum, qui conuicti argu-mentis à nobis factis contra duas præcedentes ſtatue-runt, hoc iubar¦effulſiſſe in octaua Sphęra, non tamen fuiſſe veram ſtellam, ſed cometam ſolis naturæ viri-bus productum per tranſmutationem cæleſtis orbis. Hi tamen Auctores vere conſtituunt cælum corru-ptibilę natura ſua, contra Peripateticam Scholam, & ea, quæ in prima quæſtione ſtabilita ſunt, quibus re-felli facile poſſunt, priuatim tamen, & breuiter refu-tandi ſunt, quia nequit aſſignari in cælo cauſa natu-turalis eiuſmodi effectus, etſi adſtruatur, non poterit non naturaliter ſimiles effectus frequentius habere, quos Aſtronomi experti non ſunt. Signum ergo eſt manifeſtum, talem cauſam fictitiam eſſe, ac proinde realem effectum in eam reduci non poſſe. Præterea ille cometa naturaliter genitus in octauo cælo, pro-duceretur ex cæli materia, quæ tenuiſſima eſt, quod non videtur poſſe contingere, neque intelligi, niſi aliquæ partes cæli denſarentur pro illius productio-ne, aliæ rareſcerẽt. At hoc nequit per naturam contin-gere, cum cælum non ſit naturæ fluidæ, ſed ſolidæ, & conſiſtentis, vt alibi diximus, ſuffragante Iob:

alias

alias ſtellæ fixæ aliquando magis ſibi appropinquarent, vt interdum à ſe recederent,& orbes inferiores non æquali celeritate à primo mouerentur, vt in elementis contingit, quæ cum plane falſa ſint,falſa quoque cenſenda eſt prædicta ſententia.

His igitur efficaciter confutatis ſententiis quarta, & vltima, quippe quæ veriſimilior longe apparet,nobis amplectenda eſt: nempe nouam hanc ſtellam à Deo fuiſſe productam in octaua Sphæra, ſupernaturali virtute, à communi, & ſtatuta lege libera. Hanc ſententiam tradunt Patres Conimb. cum aliis in 1. libro de cælo, capit. 13. quæſt. 1. artic.4. Quæ ſufficienter probata manet ex refutatione præcedentium, illis namque exploſis, nulla alia ſupereſſe videtur, præter iſtam. Præterea hoc modo recte potuit ortum habere ſtella illa,& omnia,quæ apparuerunt optime conſtant: neque contra eſt difficultas alicuius momenti. Supereſt ergo, vt hac ratione contigiſſe pleno ore fateamur. Quod vno è duobus modis intelligi poteſt: aut ita vt producta fuerit per creationem nouæ materiæ, ex qua educeretur forma, & ſimul penetraretur cum aliqua parte octauæ Sphæræ, in qua apparuit: qua ratione integre, & perfectè ſaluatur incorruptibilitas cæli, & omnimoda incorruptio, etiam reſpectu abſolutæ potentiæ Dei, quapropter hic modus videtur congruentior, & magis conſonus naturæ cæli. Aliter etiam potuit hoc euenire, videlicet ſi corrupta à Deo aliqua parte cæli formæ, in eius partiali ſubiecto, & materia, induceretur ab agenti ſupernaturali forma illius ſtellæ, quæ biennio tranſacto ab eodem agente corrumperetur, informata iterum materia, alia partiali forma, cum reliquis partibus formæ cæli integram conſtituunt, qui modus, vel alius ſimilis, etſi minus conſonet na-

turæ cæli, non tamen adeo diſſonat, vt comparatione agentis ſupernaturalis aliquam contradictionem inuoluat. In hoc enim ſtat cælum eſſe per ſe incorruptibile natura ſua, & comparatione cuiuſlibet agentis naturalis. Nec mirum eſt, ſi difficultatis expediendæ gratia ad miraculum confugiamus. Cum enim effectus inſolens, & præter conſuetum earum naturalium curſum euenit, in quod, niſi in primum efficiens à communi lege liberum illud reſeruemus. Id quod non ſemel ab omnibus neceſſario admittendum eſt, & ſimili ratione philoſophandum cenſeo in alia cæleſti apparitione, ſi vera fuit, quam ex libris Marc. Varr. refert D. Auguſtinus 20. de Ciu. c. 8. fertur enim ſtella Veneris ſemel mutaſſe magnitudinem, curſum, & figuram: id quod Rege Ogyge contigiſſe Mathematici non vulgaris auctoritatis teſtantur, Adraſtus Cycianus, & Dionyſius Creapolites, id namque non in naturæ vim, cauſarumque naturalium curſum referendum eſt, ſed in abſolutam primæ cauſæ potentiam, quæ non ſine cauſa licet frequentius nobis ignota, talia exhibet portenta, vt ex ſacris literis didicimus. Legimus enim Ioſuæ 10. Solem diuina virtute conſtitiſſe, vt Ieſus Naue inchoatam victoriam ad perfectum vſque ſtatum perduceret, Iſaiæ 38. eundem Solem retrorſum commeaſſe ad longioris Regis Ezechiæ vitam denotandam, & Chriſto Domino moriente Solem fuiſſe obſcuratum Euang. teſtatur hiſtoria. Hæc igitur ad diuinam, & abſolutam Dei potentiam præter leges rebus creatis ſtatutas operantem referenda eſſe, quis ambiget? Ex his tamen non licet colligere, orbium cæleſtium naturam ex ſe eſſe corruptioni obnoxiam, contra quod ſupra ſtabilitum reliquimus.

QVÆ

QVÆSTIO III.

An inſint cælo vera raritas, & denſitas eiuſdem rationis cum ſublunaribus.

OCcaſione alterius arg. quod 1 addidimus quæſt. 1. pro opinione Plat. de rarit. & denſita. exorta eſt q. 3. in qua duo quæruntur: vnum eſt, an vera raritas, & denſitas ſint in cælo: alterum an ſint eiuſdem ſpeciei, cum his quę reperiuntur in corporibus ſublunaribus, vt in aere, & aqua. Et circa primum ſentiunt recentiores quidam, veram raritatem pro qualitate, quæ in corporibus ſublunaribus reperitur, non eſſe in cælo, nec denſitatem, ſed quadam tantum ratione impropria pro maiori multitudine partium, ſub minori præſentia, vel prō minori multitudine ſub præſentia maiori. Probant primo, quia raritas, ſi vera eſt ſeparat partes corporis inter ſeſe, & quaſi eas cōpellit ad maiorem locum ſe extendere, & denſitas magis eas coniungens, quaſi cogit, vt ad minorem locum, ſed omnia hæc repugnant partibus cæli, quod cum ſit ſua propria natura incorruptibilis, non poteſt pati ſimiles mutationes ex ſe tendentes ad corruptionem: ergo etiam repugnat cælo vera raritas, & denſitas.

Secundo vera raritas, & denſitas ſunt ſecundæ qualitates ortum habentes ex permixtione primarum, vt docet Ariſtoteles 2. libro de generatione, capit. 2. textu 8. Præterea ſunt cauſæ grauitatis, & leuitatis, atque etiam mollitudinis, & duritiei, vt docet 4. lib. Phyſicorum, capite 9. textu 85. Sed corpus cæleſte caret primis qualitatibus, atque etiam grauitate, & leuitate, duritie, ac mollitudine, ergo carebit vera raritate, ac denſitate.

Nihilominus poſterior ſententia longe probabi-

lior ponit veram raritatem, & denſitatem, in corpore cæleſti non minus, quam in ſublunaribus. Ita Ægidius libro 2. Hexameron, capite 35. Patres Conimbricenſes 1. lib. de generatione, cap. 5. quæſt. 17. articul. 1. ad finem, & plures alij, quod ratione probatur à priori, ex natura harum qualitatum. Effectus formalis veræ raritatis, & denſitatis in corporibus ſublunaribus repertæ reperitur in cælo: ergo vera ipſa raritas, & denſitas euidens eſt conſequentia ab effectu formali ad inhærentiam formæ. Sed probatur antecedens, quia effectus formalis raritatis eſt, partes corporis ſeparare inter ſeſe, & conſequenter, & quaſi ſecundario ad maiorem præſentiam localem eas extendere; ſed vtrumque reperitur in cælo; ergo vera raritas, & denſitas. Minorem probo, quia in Sole, Luna, & ſtellis videmus plus materiæ reperiri ſub minoribus dimenſionibus, quàm in partibus intermediis cæli, ſicut in modo tabulæ reſpectu aliarum partium, ſed non poteſt reperiri plus materiæ ſub minoribus dimenſionibus, niſi reperiantur plures partes inter ſe coniunctæ, vt in corporibus ſublunaribus conſtat: ergo reperitur in cælo formalis effectus raritatis, & denſitatis, ac proinde vera ipſa raritas, & denſitas.

Circa ſecundum vero an raritas, & denſitas cæli ſint eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei, cum raritate, & denſitate corporum ſublunarium. Non deſunt, qui negent eſſe eiuſdem ſpeciei propter teſtimonia illa Ariſtotelis oppoſita in fauorem primæ opinionis: nam diuerſitas ſpecifica effectuum procedentium ab vna & altera cauſa conuincit diuerſitatem ſpecificam earundem cauſarum; cum procedant per ſe ex virtutibus earum; ſed raritas & denſitas corporum ſublunarium habent effectus per ſe in eis diuerſæ ſpeciei,

ſpeciei, nempe grauitatem, & leuitatem, mollitudinem, ac duritiem, quos repugnat habere raritatem & denſitatem cælorum: ergo diuerſæ ſunt ſpeciei. Quod etiam probari poteſt, ex diuerſitate cauſarum per ſe, ex quibus procedit vtraque: nam raritas, & denſitas ſublunaris procedit ex permixtione primarum qualitatum, ex qua non poſſunt procedere in cælo, in quo nec ſunt primæ qualitates; nec permixtio earum, ſed ex aliis virtutibus, ac diſpoſitionibus in materia requiſitis, ad vnionem formæ valde diuerſis, vel ex forma ipſa.

Oppoſitam ſententiam merito tenent omnes citati pro poſteriori opinione, de exiſtentia veræ, ac propriç raritatis, & denſitatis in cælo. Probatur vero primum, ex vtriuſque raritatis, ac denſitatis effectu formali, hoc modo. Qualitates conferunt effectum formalem ſubiecto, cui inhęrent iuxta propriam naturam, & eſſentiam, vt calor facit ſubiectum formaliter calidũ, & albedo formaliter album: ergo implicat contradictionem, conferre eundem effectum formalem illa, quę ſunt diuerſę ſpeciei, vel diuerſum, ſi ſint eiuſdem ſpeciei. Sed raritas, & denſitas cęleſtis corporis, & ſublunaris, conferunt ſubiectis effectum formalem eiuſdem rationis: ergo repugnat eſſe diuerſæ ſpeciei: minorem probo, quia effectus formalis raritatis eſt ſeparatio partium quantitatis inter ſeſe; ita vt pauciores partes, & minor multitudo materiæ contineantur ſub maioribus dimenſionibus; & effectus formalis denſitatis, coniunctio eſt partium inter ſeſe; ita vt plures partes, maiorque multitudo materiæ contineatur ſub minoribus dimenſionibus, vt probaui 1. libro de generatione, capit. 5. tractatu de rarefactione, quæſt. 1. Sed tam raritas, & denſitas cæleſtis, quam ſublunaris pręſtant hos

effectus ſuis corporibus, quod non eſt minus manifeſtum in cælo, quàm in quocumque corpore ſublunari, ergo ſunt eiuſdem ſpeciei. Addendum vero eſt, quod raritas, & denſitas cæleſtis, nec ſunt prima, nec ſecunda qualitas, nec ſequuntur omnino ex commixtione primarum. Quod facile probari poteſt, nam ſi in cælo non ſunt qualitates veræ contrariæ, & actiuæ, vt ferè omnes admittunt, & probabitur inferius, ſequitur, nec dari in eo permixtionem earum, & ideo nec raritatem nec denſitatem, quæ ſit qualitas prima, vel ſecunda: nam ſecundæ qualitates dicuntur, quia ex prioribus oriuntur: primæ, ex quibus conſurgunt aliæ: ſed ſe habere, ſicut ſe habet lux, de qua oſtẽdimus 2. lib. de anima, cap. 7. nec eſſe primam, nec ſecundam qualitatem, nec diuiſionem qualitatis in primam, & ſecundam eſſe adæquatam, ſub quo proinde comprehendantur omnes.

Ad primum argumentum oppoſitæ ſententiæ diſtinguenda eſt maior; nam ſi ita ſint cauſæ productiuæ effectuum diuerſorum, vt per ſe adæquate, ac ideo ſemper producant diuerſos, & in quocumque ſubiecto: arguit quidem diſtinctionem ſpecificam earum, ſi vero nec eos producant ſemper, nec ſemper eodem modo; ſed iuxta capacitatem & diſpoſitionem ſubiecti, ſolum arguit diſtinctionem accidentalem, vt patet in cæteris qualitatibus, & ideo certiſſima regula cognoſcendi ſpecificam diſtinctionem, ex ſolo effectu formali primario ſtatuenda eſt, quem implicat contradictionem non tribuere cuicumque ſubiecto in quo inhærent, & eodem modo ſemper, & cum raritas, ac denſitas, nec ſemper, nec eodem modo producant illos effectus, ſed ſecundum diſpoſitionem ſubiecti, non poteſt ex illis colligi diſtinctio ſpecifica cæleſtis à ſublunari, etiamſi in cælo eos non producant: ſicut

lux

lux cęli non producit calorem in cęlo, producit tamen in inferioribus, ob ſpecialem eorum capacitatem, cum tamen ipſa ſit eiuſdem ſpeciei.

Ad ſecundum negandum eſt, quod raritas, & denſitas per ſe procedant ex permixtione, aut concurſu primarum qualitatum, ſed talem cauſam efficientem habere, accidentale eſt eis, atque etiam hoc vel illo modo, ſecundum hunc, vel illum gradum à talibus cauſis procedere, quod prouenit ex tali diſpoſitione ſubiectorum, & ſecundum diuerſum modum eius variatur proceſſio, & modus procedendi; quare licet procedant in corporibus ſublunaribus ex permixtione, aut concurſu primarum qualitatum, & in cælo non ex hac, ſed ex alia cauſa diuerſa, nempe, ex diſpoſitione, aut forma eius, non bene colligitur eſſe diuerſæ ſpeciei. Et poſſumus exemplum ſumere in diaphaneitate, aut tranſparentia corporum, quæ in elementis procedit ex cócurſu duarum qualitatum primarum, in mixtis, ex permixtione quatuor, vt in cryſtallo, & in pupilla oculi, in cælo vero ex nulla cauſa harum, ſed ex alio diuerſa, & tamen in omnibus (abſque dubio eſt) eiuſdem ſpeciei, & pari ratione in opacitate eſt manifeſtum. Ariſtoteles ergo in omnibus illis teſtimoniis loquitur de raritate, & denſitate, quantum ad cauſam à qua procedit, & effectus, quos producit non in toto ſuo ambitu, ſed ſolum de ea, quæ eſt in corporibus ſublunaribus; quare non poteſt colligi ex eis, quod ſpecie diſtinguantur à raritate, ac denſitate cæleſti, quamuis procedant à diuerſis cauſis efficientibus, & diuerſos effectus habeant; iuxta diuerſam diſpoſitionem corporum.

* * *

APPENDIX DVBIVM.

An cælum poſſit ſua natura alterari.

DVplicem alterationem in primis oportet diſtinguere, communem, & propriam: communis eſt illa, per quam producitur qualitas, ita alterans ſubiectum, vt non diſponat ad introductionem formæ contrariæ, & expulſionem propriæ; ſed potius ipſum perficiat, vt conſtat de lumine, quare illuminatio non eſt propria alteratio, ſed communis. Alteratio propria illa, per quam producitur qualitas, diſponens ſubiectum, ad introductionem formæ contrariæ, & expulſionem propriæ, vt calefactio, aut infrigidatio, per quas calor, aut frigus producuntur, diſponentia ſubiectum, ad expulſionem propriæ formæ, ac introductionem contrariæ. Et de altera impropria certa res eſt, cælum ex propria natura eſſe alterabile, cum conſtet experientia illuminari à Sole; & illi, qui tenent, cælum habere principium corruptionis; quia conſtat materia aquæ, ex qua à principio fuit factum, conſequenter tenentur fateri, quod poſſit ſua natura ſuſcipere qualitates, per quas diſponatur materia eius ad ſuſcipiendas formas elementares, vel ſaltem, quod talis alteratio non repugnet naturæ eius, ſi adſit naturale agens approximatum, à quo alterari poſſit: cuius ratio eſt manifeſta, quia ſi habet materia eius naturalem capacitatem ad formam aquę, & aliorum elementorum, neceſſe eſt eandem habere ad diſpoſitiones per ſe ordinatas ad illam, quales ſunt eædem qualitates elementorum. Et hoc idem tenentur concedere, qui tenent, materiã cæli eiuſdem rationis

rationis eſſe cum ſublunari, vt ſuperius probauimus. Vel dicendum eſt, capacitatem, ſeu potentiam paſſiuam naturalem, quam neceſſe eſt habere materiam cæli ad ſublunares formas,& conſequenter ad earum diſpoſitiones,ocioſam,ac fruſtraneam eſſe, cum non poſſit ab aliquo agente naturali reduci ad actum.

Nihilominus dicendum nobis eſt, materiam cæli, cum ſit diuerſæ naturæ à ſublunari, incapacem eſſe omnium formarum ſublunarium, & conſequenter repugnare illi naturaliter ſuſcipere qualitates contrarias earum,per propriam alterationem.Quod ſic probo. Qualitates iſtæ contrariæ ex propria natura ſunt diſpoſitiones materiæ ad introductionem formarum, à quibus emanant, vt calor ignis eſt diſpoſitio per ſe ordinata ad introductionem formæ ignis in materia & expulſionem præexiſtentis in ea. Præterea eędem qualitates, cum ſint ſua natura actiuæ, ſunt etiam inſtrumenta ſubſtantialium formarum,per quas alias ſimiles educunt de potentia ſubiecti, eaſque in eo producunt, vt per eas expellant formas oppoſitas: ſed materia cæli non eſt capax ſubſtantialium formarum ſublunarium,ſed ei repugnant: ergò repugnabunt etiam diſpoſitiones per ſe ordinatæ ad introductionem, & expulſionem pręexiſtentium.Probatur conſequentia,quia cui repugnat finis,non poteſt non repugnare medium per ſe ordinatum ad illum, quare repugnabunt cælo quæcunque alterationes propriæ, quæ media ſunt per ſe ordinata ad eaſdem qualitates producendas, in cælis autem ipſis non ſunt ſimiles qualitates actiuæ, & propriæ contrariæ, quare neque alterationes propriæ ad eas producendas. Quare non poteſt vnum cælum alterari ab alio,neque alterare aliud propria alteratione. An vero alteretur vnum cælum ab altero per impulſum, quem ab eo recipiat,vt mo-

ueatur, vel quodcunque cælum à ſua intelligentia, à qua mouetur, per impulſum ab ea impreſſum, vel ſine tali impulſu moueatur ab ea, per immediatam applicationem ſuæ virtutis, diſcutietur in ſecundo libro: illa tamen alteratio, ſi datur, non eſt propria, ſed communis.

Ex dictis colligitur, in cælo non eſſe grauitatem, nec leuitatem, nec minus colores, odores, & ſapores, vt communis omnium ſenſus tenet: quia hæ omnes ſecundæ qualitates ortum habent neceſſario ex quatuor primarum permixtione. Et ideo cum cæli primarum qualitatum capaces non ſint, nec affici poſſunt ſecundis ex illis naturaliter ortis, quod de grauitate & leuitate in ſpecie probat Ariſtot. hic: quia corpus graue mouetur ad medium, & leue à medio, quorum neutrum cælo conuenit, vt conſtat & latius proſequitur ipſe.

CAPVT IV.

Textus Ariſtotelis.

Quod autem non eſt circulari lationi contraria, alia latio, &c.

Breuis expoſitio textus.

PRæſuppoſuit Ariſtoteles capite præcedenti, motum circularem non habere cōtrarium, & hoc intendit probare capite præſenti vnica ratione prolixa ſatis, quam hoc modo placuit ad breuitatem ſimul, ac methodum cōtrahere. Si motui circulari foret contrarius alter motus, aut eſſet rectus, aut circularis (nam ad hos reducentur omnes motus locales) ſed neuter horum

horum eſt ei contrarius, ergo nullum contrarium habebit. Minorem probat primo de motu recto hoc modo: vnus motus rectus eſt contrarius alteri, vt motus ſurſum motui deorſum; ſi ergo idem motus rectus contrarius eſt circulari, habebit idem rectus duos motus cõtrarios, videlicet alium rectum, atque circularem, ideo vni eſſent duo contraria, quod ſuppoſuit impoſſibile in præcedentibus. Probat deinde, quod circularis non habeat pro contrario alium circularem, quia quocunque ex quatuor modis hi motus conſiderentur, nunquam proprie contrariantur, cum nunquam tendant in terminos ad quos proprie contrarios, quod facile conſtat, & fuſius proſequitur Ariſtoteles, & quæſtione ſequenti nos altius expendemus.

QVÆSTIO VNICA.

An probauerit Ariſtoteles efficaciter, quod motui circulari nihil ſit contrarium.

D. Thomas 1. lib. de cælo, lectione 8. inter exponendam literam huius capitis, tria, vel quatuor argumenta profert ad probãdum infirmum, aque inefficacem eſſe hunc diſcurſum Ariſtotelis, & ideo non bene probare, quod motus circularis cæli careat contrario: & primum eſt aduerſus illud, quod tanquam principium videtur præſupponere, videlicet vni vnum tantum contrarium eſſe: quod tamen videtur falſum, quia eadem virtus liberalitatis habet duo vitia ſibi contraria, nempe auaritiam, & prodigalitatem; hanc quidem per exceſſum, quia prodigus excedit in dando,

do, nam vel plus tribuit, quam ſecundum rectam rationem tribuendum eſt, vel ſine modo, quia ei tribuit, cui non eſt tribuendum, vel tali loco, aut tempore, quibus dandum non eſt. Auaritiam vero per defectum quia auarus non tribuit vllo modo. Secundò contra ſecundum dictu, quod ſcilicet, ſi diuerſi motus facti per diuerſos ſemicirculos conſtitutos ſuper extrema eiuſdem rectæ lineæ, modo oppoſito, hoc eſt, ab hoc puncto extremo ad aliud, & rurſus ab hoc extremo ad primũ, forent contrarij: ſequeretur, eundem motũ habere poſſe infinitos motus cõtrarios, quia ab vno puncto extremo rectæ lineæ ad aliud, infiniti poſſunt duci ſemicirculi. Cõtra hoc igitur ſic argui poteſt. Sicut inter duo extrema rectæ lineæ poſſunt duci infiniti ſemicirculi, ſic etiam poſſunt duci infinitæ lineæ rectæ: ergo poſſunt fieri ſuper eas infiniti motus recti. Sed ex his motibus, quidam poſſent fieri ſurſum, & alij deorſum, vt ſi fierent quidam à puncto centri terrę ad punctum deſignatum in concauo Lunæ: alij verò deorſum ab hoc puncto ad centrum: eſſent igitur contrarij, & ideo quilibet motus ſurſum eorum haberet infinitos motus deorſum ſibi contrarios, & quilibet motus deorſum infinitos alios motus ſurſum. Vel ergo hoc reputatur inconueniens, & ita probaretur eadem ratione, motum rectum non habere contrarium, ſicut probatur de circulari: quod tamen conſtat eſſe falſum: vel non reputatur inconueniens, & ita non probabitur hoc argumento, quòd circularis contrario careat, vt intendit Ariſt.

Aduerſus tertium, quod Ariſtoteles præſupponit, motus ſcilicet contrarios fieri debere inter terminos, à quo, & ad quem maximè diſtantes, quia contraria ſunt, quæ maximè diſtant, obiicitur tertiò, quia motus à medio, & motus ad medium, hoc eſt, motus à centro

centro terræ ad concauum Lunæ, & motus à concauo Lunæ ad centrum terræ, ſunt contrarij ex omnium ſententia: & tamen non verſantur inter terminos maxime diſtantes: nam maior diſtantia eſt inter polos mundi, cum diſtent per integrum diametrum eiuſdem mundi, quam inter centrum terræ & concauum Lunæ, quæ ſolum diſtant per ſemidiametrum: ergo motus inter hæc extrema non ſunt contrarij, cum non verſentur inter maximè diſtantia, quod cum ſit falſum, falſum quoque erit principium ab Ariſtotele præſuppoſitum, & ideo corruit argumentum ſuper illud fundatum.

Vltimo intulit Ariſtoteles, quod ſi motus circularis facti per oppoſitam partem integri circuli, forent contrarij, mutuo ſe impedirent mobilia, & ideo vnum vel alterum, aut etiam vtrumque eſſet fruſtra, quia motum non poſſet conficere.

Contra hoc tamen poteſt opponi, quòd idem ſequatur incommodum in motibus rectis contrariis ſurſum & deorſum per eandem lineam factis, & ideo mutuo ſe impedientibus: & tamen hoc non tollit, quin motus contrarij ſint: ergo non probabitur tali argumento, quod motus circulares non ſint contrarij, præſertim, cum ipſemet Ariſtoteles 8. lib. Phyſicorum, cap. 8. textu 64. id docuerit, probaueritque tales motus circulares eſſe contrarios, quia mutuo ſe impediunt, & cap. 9. textu 72. motum factum per ſemicirculum ab vno puncto extremo rectæ lineæ ad aliud, non poſſe continuari cum motu facto ab extremo ad primum, quia ſunt contrarij, & contraria non poſſunt continuari. Conſtat vero, duo hæc oppoſita eſſe his quæ docet capite pręſenti, nempe motum circularem nullum habere contrarium.

His tamen non obſtantibus, ipſemet Diuus Thomas,

mas, & cæteri omnes interpretes huius capitis ſequuntur ſententiam Ariſt. quòd motus circularis non habet contrarium & rationes,quibus id probauit, recipiunt, quare non oportet multiplicare aliquas, ſed ſufficit, argumenta aduerſus eas ſoluere, ex quorum ſolutionibus conſtabit, non parum efficacitatis habere. Pro ſolutione igitur primi(omiſſis aliis ſolutionibus,quas ex aliorũ, ac propria ſententia afferũt Patres Conimbricẽſes tãquã inſufficiẽtibus) adnotare oportet,contrarietatẽ duplicẽ eſſe, adæquatam, & inadæquatam; illa cenſetur adæquata, quæ eſt oppoſitio, quaſi completa,& integra, ita vt vnum oppoſitorum contrarietur completæ,atque integrę rationi alterius, & non partiali,& quaſi incompletæ.Inadæquata vero vocatur ea, quæ eſt quaſi dimidiata oppoſitio, quia, non ex toto, ſed ex parte inter duo aliqua intercedit. Adæquata cenſetur contrarietas intêr ignem, & aquã ratione qualitatum, quia per vtramque opponuntur, videlicêt,pêr calorem,& ſiccitatem ex parte ignis,per frigiditatem, & humiditatem ex parte aquæ; inadæquata vero inter ignem, & aerem, qui per vnam tantum qualitatem contrariantur, videlicet per ſiccitatem ex parte ignis,& humiditatem ex parte aeris,non per calorem. Principium igitur ab Ariſtotele præſuppoſitum,quod vni vnum tantum contrarium eſſe poſſit, de contrarietate tantum adæquata accipiendum eſt, quæ cum ſit completa, vna tantum eſſe poteſt in quolibet contrario,& ideo reſpectu vnius tantum extremi;inadæquata vero, cum ſit incompleta, & quaſi partialis multiplex, quia completa ratio eiuſdem extremi, pluribus partibus, aut rationibus partialibus conſtare poteſt,& iuxta ſingulas ſingulis opponi,pluraque habere contraria inadæquata,& ita ſe res habet in liberalitate,cuius integra, & quaſi completa ratio

obie

obiectiua,eſt dare,cui,quomodo,quando, & vbi dare, oportet:prior igitur ratio ei oppoſita eſt,non dare vllo modo, & hæc eſt ratio auaritiæ. Poſterior vero conſiſtit in tribuendo ſine ordine, hoc eſt, non cui tribuendum eſt,neque eo tempore, vel loco,aut modo,quibus tribui debet:in quo conſiſtit ratio prodigalitatis, longe diuerſa à ratione auaritiæ. Et ecce tibi duo vitia eidem virtuti liberalitatis contraria, ſed inadęquata ratione,quia quodlibet non opponitur ei ſecundum totam eius rationem,ſed ſecundum rationem partialem, & incompletā,ita quidem vt ſicut ex vtraque complétur integra ratio talis virtutis,ſic ex vtroque vitio oppoſitò conſtet quaſi vnum integrum, atque completum, quo pacto ſumi debent, quæcunque alia contraria vni,& eidem rei:nam multa opponi eidem ſecundum adęquatam eius rationem repugnat:& ex hac doctrina ſoluitur primum argumentum,& declaratur principium,quod pręſupponit Ariſtoteles.

Ad ſecundum,concedendum eſt antecedens, quod inter duo puncta extrema rectæ lineæ poſſunt duci aliæ in infinitum,ſicut poſſunt infiniti ſemicirculi;ſed diuerſo modo ſe habent iſti,& illæ: nam lineæ rectæ habent eandem diſtantiam, & ideo ſunt eiuſdem rationis,& pariter motus ſuper eas facti,quare licet ſint contrarij, ſolum ſequitur, quod vni poſſint infinita opponi, ſolo numero, & non ſpecie diſtincta, quod nullum incommodum habet,ſuppoſito quod talia infinita ſint poſſibilia, lineæ vero curuæ, quæ in modum ſemicirculorum ducerentur ab extremis eiuſdem lineę rectę,non haberent eandem diſtantiam,ſed maiorem,nec proinde forent eiuſdem rationis,ſed diuerſæ,& ideo ſi admittatur,eſſe contrarias, ſtatim infertur,vni infinita contraria diuerſæ ſpeciei dari poſſe,quod eſt maximum inconueniens.

Ad

Ad tertium reſpondetur, motus contrarios verſari quidem inter terminos maxime diſtantes non qualicunque diſtantia, ſed ea, in qua poteſt fieri naturaliter motus, & talis eſt diſtantia inter centrum terræ, & concauum Lunæ; qua quidem maior eſt diſtantia inter polos mundi, ſed per hanc non poteſt naturalis motus fieri, quia nullum eſt naturale corpus, nec naturaliter poſſibile, quod motu naturali ab vno polo in alterum moueri poſſit: quare in ordine ad motum naturalem illa eſt maxima, & cui non eſt comparabilis diſtantia inter polos, maxime quia maxima diſtantia requiſita ad conſtituendos motus contrarios, debet ſumi formaliter, hoc eſt, ex oppoſito modo formali attingendi terminum.

Ad vltimum reſpondeo, diuerſam eſſe rationem de motibus rectis, & circularibus: nam motus recti, ſurſum, & deorſum etiam ſi non fiant per eandem lineam, ſed per diuerſas, contrarij ſunt, dummodo vnus à centro terræ ad concauum Lunæ fiat, & ex oppoſito alter, cum verſentur inter contrarios terminos: ergo neceſſarium non eſt, vt mobilia ſe impediant, nec vt alterum eorum ſit fruſtra. Motus vero circularis eſt ab eodem in idem punctum: quare vt duo motus circulares contrarij ſint ab eodem in idem punctum eiuſdem circuli inuerſo ordine fieri debent, quod non eſt poſſibile, niſi fiat ſuper eãdem lineam, & vtrunque corpus per eam motum idem prorſus percurrat ſpatium: ex quo euidẽter colligitur, ſe impedire, & vnum eorum, vel vtrunque fruſtra eſſe, vt intulit Ariſtoteles, cuius argumentum efficax eſt.

Ad teſtimonia Ariſt. adducta in eodem argumento dicendum eſt, diuerſo modo ſumere contrarietatem motuum in eis locis, ac ſumpſit capite præſenti, ibi enim improprie pro quacunque repugnãtia, hic vero

pro

pro contrarietate propria, iuxta leges contrarietatis motus à ſe latas 5. lib. phyſicorum, quo pacto verum eſt, & à ſe efficaciter probatum, quod motus circularis nullum contrarium habeat, ſed iuxta primam acceptionem impropriam contrarium habere poteſt. Bene tandem adnotauit D. Thom. circa eandem vltimam rationem, ex ea colligi, quod ſenſerit plane Ariſt. corpora cæleſtia facta eſſe à Deo, quod ex tota eius doctrina vix forte colligi poſſet. Quod vero colligatur, oſtendit, quia ſi motus circulares duorum corporum cæleſtium forent contrarij, mutuo ſe impedirent, & ideo vnum eorum, vel vtrunque fruſtra foret; quod ait Ariſtot. eſſe falſum, quia Deus, & natura nihil fruſtra faciunt, eiuſmodi autem conſequutio in corporibus cæleſtibus fruſtra eſſet, niſi ſupponeret, corpora cæleſtia facta eſſe à Deo, vt conſideranti facile patebit.

CAPVT V.

Textus Ariſtotelis.

Sed quoniam manifeſtum eſt de his, & de reliquis conſiderandum eſt, & primum, vtrum ſit quoddam corpus infinitum.

Breuis expoſitio textus.

INcipit iam Ariſtoteles agere de perfectione vniuerſi, & ad eam cognoſcendam inquirit, an aliquod ex quinque corporibus infinitum ſit, vt ex hac parte conſtet, an infinitus ſit mundus; & in hoc capite aliquibus prælibatis, docet, non dari corpus infinitũ magnitudine, quod circulariter moueatur, quia ſi corpus tale eſſet infinitum, lineæ ductæ à centro eius ad

circũferentias,infinitũ diſtarent,quia quo magis protrahuntur,magis diſtãt, ergo non poſſet vna ad ſitum alterius prouenire,hoc autem eſt neceſſarium;vt corpus circulariter moueatur, nequit igitur dari infinitũ corpus,& idem conuincitur,ſi ponamus lineam deductam à centro in infinitum,& aliam ſecanté corpus infinitum per centrum vſq; ad circumferẽtias:illa enim neceſſario per motum attinget partes alterius,quę ſecant totũ corpus,& tamen ponimus claudere infinitũ ſpatium.Pręterea ſi cęlum eſſet infinitę magnitudinis, non poſſet moueri ſpatio viginti quatuor horarum, contra experientiam,quia ſi linea ducatur à centro cęli,& alia infinita ponatur iuxta cælum quieſcens,linea illa recta ſpatio finito tranſiret ſucceſſiue aliá, & ſpatium infinitum, quod eſt abſurdũ,& eandem vim habent argumenta,à quocumq; puncto corporis infiniti ducãtur lineę,ſi ibi nõ eſt aſſignabile centrũ. Vlterius, cælũ infinitũ non poſſet tẽpore finito circulariter trãſire corpora finita ſub ſe contenta:nec poteſt non corpus claudi extręmis, quia figura importat extrema, & inſeparabilis eſt à quãtitate: ergo nequit eſſe infinitũ. Deniq; cælum infinitum infinito moueretur tempore,cum infinitum deberet ſpatium tranſire, quod experimento pugnat:nequit ergo cælum,aut aliud corpus circulariter motum eſſe infinitum.

CAPVT VI.

Textus Ariſtotelis.

Sed adhuc neque quod ad medium, neque quod à medio fertur infinitum erit, &c.

Breuis expoſitio.

INtendit Ariſtoteles, non poſſe dari elementum actu infinitum, & probat duplici ratione, quia corpo

corpora, quorum loca finita ſunt, finita etiam erunt, vt patet; ſed loca elementorum ſunt finita, quod de terra, & igne probatur, quia vt pote contraria maxime diſtant ſub eodem genere, ſed maxima diſtantia eſt determinata, nempe, vltra quam non eſt maior, & quando vnum contrarium eſt finitum, ſimiliter & aliud: At locus terræ finitus eſt, cum illum poſſit corpus per motum attingere, nec poteſt vltra procedere, niſi eum deferendo, vt patet: de aere vero, & aqua facilius, nam quidquid extremis clauditur, finitum eſt, ſed media elementa, & eorum loca clauduntur extremis, ergo ſunt finita: nam ſi infinita forent, nullum corpus moueri poſſet ab vno extremo elemento ad aliud, quia oporteret eadem media pertranſire, & hoc patet eſſe impoſſibile, quia infinitum non eſt petranſibile.

Secundo, ſi aliquod elementum foret infinitum ſecundum magnitudinem, ſequeretur, fore etiam infinitũ ſecũdum virtutem motiuam, & ideo habere grauitatem, aut leuitatem actu infinitam, cum eadem ſit proportio magnitudinis, & grauitatis, vel leuitatis, ſiquidem addita parte magnitudinis, additur pars grauitatis, aut leuitatis, & ex oppoſito aliqua inferuntur abſurda. Sed impoſſibilis eſt grauitas, aut leuitas actu finita: ergo impoſſibile quoque erit, dari elementum magnitudine infinitum. Minor probatur, quia quo maior eſt grauitas, vel leuitas, velocior eſt motus, hac ergo creſcente in infinitum, ſimiliter creſcet velocitas, ac proinde fiet motus in non tempore, ſeu inſtanti, quod implicat.

CAPVT IV.

Textus Ariſtotelis.

Neceſſe itaque, corpus omne aut infinitum eſſe aut finitum.

Breuis expoſitio textus.

TRibus diuiſionibus præſuppoſitis corporis,in infinitum, & infinitum partium, in homogeneas, & heterogeneas, & harum infinitas & infinitas quaſi continuato ſermone proſequitur Ariſtoteles idemmet intentum præcedentis capitis, nempe probare, quod non detur in mundo corpus aliquod magnitudine infinitum. Diuiditur vero caput in duas partes, in prima probat non dari corpus actu infinitum diſſimilarium,nec ſimilarium partium ex motu locali:in ſecunda probat ex actione, & paſſione, & aliis argumentis dialecticis,& in fine refutat opinionem quandam antiquorum. Primo probat, quia ſi partes illius corporis heterogeneæ eſſent infinitæ, cum debeatur cuilibet proprius motus diſtinctus, eſſent infiniti ſpecie motus: ſi vero eſſent finitæ aliquæ earum,vel omnes deberent eſſe infinitæ magnitudinis, ac proinde infinitæ grauitatis, quod ſupra probatum eſt abſurdum:præterea occuparet infinitum locũ, immo nullum reliquis ſpatium relinquerẽt:ſi vero partes eſſent eiuſdẽ rationis, corpus infinitũ eſſet infinitæ grauitatis,vel leuitatis,vt ſupra intulit, & non poſſet moueri.

Secũdo probat,quia corpus infinitũ nõ poteſt mouere aliud corpus finitũ,vel infinitũ finito,aut infinito tempore, neque ab eorum aliquo moueri: vtrinque enim manifeſta inferuntur abſurda ex dictis,ſiue moueatur motu recto, ſiue circulari, & cum quidquid moue

mouetur ab alio moueatur, deberet poni aliud corpus infinitæ virtutis ad mouendum illud, quod fuſius refellit Ariſtoteles, & ex eiſdem, & aliis abſurdis refutat opinionem Democriti, & Leucippi, ponentium corpus infinitum conflatum ex infinitis atomis indiuiſibilibus, medio vaco.

CAPVT VIII.

Textus Ariſtotelis.

Cum autem, neque plures eſſe cælos, poſſibile eſt, dicamus, &c.

Breuis expoſitio textus.

INtendit Ariſtoteles hoc capite probare, non eſſe plures mundos, quia ſi plures darentur, quilibet haberet ſuum cælum, ſuam terram, cæteraque elementa diſtincta à cælo, terra, & elementis alterius; ergo terra alterius mundi moueretur ad centrum terræ huius, vel ergo moueretur naturaliter, aut violenter, non naturaliter, alioqui in proprio loco quieſceret violenter, quod patet eſſe falſum: ſed neque moueretur violenter, alioqui motus à centro huius terræ ad proprium foret ei naturalis, quod patet etiam falſum, quia impoſſibile eſt, corpori graui naturalem eſſe motum à centro; ſed terra illa foret grauis, ergo non poſſet, naturaliter moueri à centro. Confirmatur quia motus huius, & alterius mũdi eiuſdem eſſent ſpeciei, ergo motus ſurſum ab eodem centro & deorſum ad idem centrum fierent; quod in eo euentu ſtare non poſſet. Præterea corpora vtriuſque mundi eandem haberent inclinationem, & virtutem motiuam. Ergo ad eundem locum naturaliter mouerentur, &

extra illum eſſent violenta.

In fine capitis refutat Ariſtoteles opinionē aliquorum aſſerentium, corpora naturalia nō habere vllum motum naturalem, ſed ab extrinſeco: quia quæ ab extrinſeco per violentiam mouentur, quo maioris ſunt magnitudinis, eo tardius mouentur, ſed oppoſitum conſtat in grauibus: ergo. Præterea nullum corpus mouetur violenter ad locum, à quo violenter extrahitur, ſed grauia, & leuia extrahuntur violenter à loco infimo, & ſupero: ergo ad ea non violenter, ſed naturaliter mouentur. Cōfirmatur, quia hoc motu velocius mouentur in fine, quam in principio, cuius oppoſitum violentis accidit. Quæ maior velocitas prouenit, inquit Ariſt. ex augmento grauitatis, & leuitatis, quod non de grauitate naturali, ſed de acquiſita, nempe impulſu, intelligendum eſt. Tandem probat Ariſtot. vnitatem mundi ex vnitate primi motoris, & primi motus circularis, & ex locis determinatis, in quibus ſunt corpora hunc mundum conſtituentia.

CAPVT IX.

Textus Ariſtotelis.

Quod autem non ſolum vnus eſt; ſed & impoſſibile eſſe plures, &c.

Breuis expoſitio textus.

INtentum Ariſtotelis in hoc capite eſt, probare, non eſſe plures mundos poſſibiles, quod pręmiſſa ratione dubitandi pro oppoſita parte hoc argumento confirmat, quo ſimul rationem in contrarium adductam ſoluit. Quia non poteſt alius mundus fieri ſine noua materia, ſed hic mundus continet omnem materiam

poſſibi

poſſibilem, vltra quam non eſt poſſibilis alia, cum comprehendat omnia corpora cæleſtia elementaria, & mixta, ergo non datur alia ratio materiæ, per quam ratio mundi contrahi poſſit. Quod vero extra cælum non ſit vllum corpus, probat, quia ſupremum cælum continet omnes alios, & elementa, ac proinde omnia mixta, quæ ex elementis generantur, & eorum locis continentur. Vnde infert Ariſtoteles, extra cælum, & mundum non dari locum, quia cum ex ſe ſit receptaculum corporis, fruſtra eſſet, vbi non poteſt eſſe corpus, vnde nec dari poteſt vacuum, cum hoc ſit locus nō repletus corpore, ſed aptus repleri. Tandem, ibi nequit dari tempus: quia eſt numerus motus, ergo nō poteſt eſſe, vbi eſſe nō poteſt mobile & motus. Addit tamen Ariſtot. extra mundum eſſe entia quædam perfectiſſima incorporea, & vitam indefectibilem, & perfectiſſimam habentia, quorum nomine intelligit Ariſtot. ſupremam intelligentiam, nempe, Deum, & alias inferiores à prima factas, & dependentes.

Tractatus de mundo, ſeu vniuerſo, & his, quæ ad ipſum pertinent.

QVÆSTIO I.

An ſit vnus mundus, vel plures.

AD priorem ſententiam reduci poſſunt omnes illi philoſophi, qui plures mundos poſuere, quamuis alij affirmauerint, infinitos dari vt Metrodorus; Xenophanes, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Ariſtarchus, Diogenes, Leucippus, Epicurus, & Anaxarchus, quem (vt Plutarchus retulit, in

libro de tranquillitate animi) cum Alexander Macedo de mundorum infinitate diſſerentem audiuiſſet, illachrymaſſe fertur: rogantibuſque amicis, num aliquid ei dignum lachrymis accidiſſet? An indignum eſt, inquit, nos flere, ſi cum infiniti mundi eſſe probentur, nondum vnius domini ſumus? Alij vero finitos quidem, ſed penè innumerabiles, vt Democritus ponens in eis magnam diuerſitatem, ita vt in quibuſdam, neque Sol eſſet, neque Luna; in aliis vero ſplendidiora longe ſydera, quam quæ in hoc noſtro ſunt; quoſdam etiam animalibus carerent, & plantis, & alios eiſdem rebus abundarent, & hæc & alia veterum philoſophorum placita referunt Diuus Ambroſius libro 1. Hexameron, capite 1. Diuus Auguſtinus libro 18. de Ciuitate Dei capit. 14. Theodoretus in libro de materia, & mundo. Plutarchus primo libro de placitis philoſophorum capite 5. Albertus Magnus in ſumma de homine q. de hominis habitaculo art. 2.

Poſterior vero ſententia omnino oppoſita vnicum profitetur mundum, quam tenuerunt Thales, Pythagoras, Hipaſſus, Anaxagoras, Parmenides, & Meliſſus, Heraclitus, Zeno, Plato, atque Ariſtot. cum tota Peripatetica ſchola, quam poſteri omnes ſequuti ſunt. Sed duo argumentorum genera attulerunt antiqui, ad probandam hanc veritatem mundi. Plato quidem in Timæo (vt teſtatur Alcinous in libro de doctrina eius capite 12.) ex duobus eam probat, nempe ex vnitate ſui principij, atque exemplaris intelligibilis; Deus enim, à quo tanquam à ſuo principio, & fonte prodiit, vnus eſt; vnus item intellectus diuinus, à quo ordinatæ ſunt res omnes, ex quibus conflatus eſt mundus, er-

go eandem quoque vnitatem participare debet. Secundo ex propria ratione, ac perfectione mundi, quem propterea vniuerſum vocamus, quia in ſe complectitur vniuerſa à Deo condita: ergo vel non eſt, vel vnicus eſt: quia eo ipſo, quod ponantur multi, nullus poterit vniuerſum vocari, cum non omnia comprehendat.

Ariſtoteles vero ex natura, & inclinatione corporum (præſertim ſublunarium) atque ex motibus eorum naturalibus proceſ.

Ex quibus hoc vnum incommodum inferre voluit ex multitudine mundorum, quod elementa cuiuſque naturaliter mouerentur ad loca aliorum, quod videtur impoſſibile, cum non poſſint ad ea moueri, niſi deſerendo propria, à quibus repugnat motu naturali diſcedere, & hoc argumentum eſt quaſi aliorum ſumma, quare non eſt neceſſarium, ea in particulari repetere.

Circa hanc quæſtionem dicendum eſt primo, nec ratione Philoſophica, nec Metaphyſica, vel alia quacunque euidenti, immo nec efficaci probari poſſe, quod non ſint plures mundi, ſed coniecturis tantum probabilibus. Quod ſic oſtendo: creatio vnius mundi, vel plurium eſt opus liberum Dei; ergo quod vnus, vel multiplex ſit conditus, ex ſola eius voluntate libera dependet, & non ex aliquo principio vel cauſa naturali, ſed ſecluſa experientia, & clara reuelatione Dei non poteſt conſtare nobis euidenter de effectibus liberis voluntatis liberæ ſuæ, an in natura rerum ſint, vel non: ergo nec poſſumus euidenti ratione cognoſcere, quod vnus mundus tantum, aut plures ſint ab eo facti, immo nec ratione efficaci, quia nullum inueniret argumentum ex principiis euidentibus efficaciter deductum, quo id oſtendi poſſit, vt ſtatim patebit.

Sola igitur coniectura probabili deduci poteſt ex duobus, nempe, ex vnitatę ordinis, quo diſpoſita ſunt ab eo ſuperiora, & inferiora corpora per eundem modum dependentiæ horum ab illis, quod certe congruum ſatis fuit, vt ex hoc mirabili effectu, ex tot, ac tantis diuerſis rebus compoſitis, vno, eodemque modo ordinatis oſtenderetur ab vno artifice per vnam, eandemque ſapientiam eius conditum fuiſſe, quam rationem attigerunt Diuus Athanaſius in oratione contra idola, & Diuus Thomas 1. parte, quæſt. 47. art. 3. Quod ex alio etiam deduci poteſt, quia nullum prorſus indicium inuenietur, ex quo diuinare quiſpiã poſſit plures mundos eſſe à Deo factos. Temere ergo excogitatum eſt, & abſque vllo rationis fundamento, ab antiquioribus Philoſophis, immo præter communem omnium hominum exiſtimationem, dari plures mundos. Vnde ſequitur argumenta Platonis pro coniecturis dumtaxat eſſe recipienda, primum enim ſolum probat, ex quadam congruentia deſumpta, ex vnitate principij effectiui, à quo tamen plures mundos non proceſſiſſe, non conuincit: ſicut nec ſecundum argumentum; quamuis enim ad rationem vniuerſi eſſentialem requirantur omnes gradus eſſendi in aliquibus generibus, ſpeciebus, & indiuiduis conſiſtentes, non tamen neceſſario exiguntur omnia genera, ſpecies, & omnia indiuidua, vnde poſſet quis excogitare eoſdem gradus eſſendi ſub aliis ſpeciebus, & indiuiduis conſtituentes alium mundum ſub alia ordinatione, & collocatione. Argumentum Ariſtotelis futile prorſus eſt. Nam ſi ponantur alia corpora cęleſtia, & alia elementa, & mixta, diſtincta ſpecie, vel numero, à conſtituentibus hunc mundum, & inter ſeſe ordinata, ſicut ſunt modo corpora huius mundi, manifeſtum foret, corpora illius mundi nullum ordinem

habitura

habitura dependentiæ, ſubordinationis loci, aut ſitus cum corporibus huius mundi, ſed ſolum inter ſe, ſicut ſi hic mundus non ſtaret: ergo non mouerentur naturaliter ad idem centrum, vel locum, ſed vnumquodque ad proprium proprij mundi, quo adepto quieſceret naturaliter, & à quo violenter extraheretur.

Secundo dicendum eſt, conſonum valde eſſe noſtræ fidei, quod vnicus ſit mundus, nec plures dentur, quare temerarium, vt minimum fore exiſtimo, plures admittere. Ita Diuus Thom. 1. parte quæſt. 47. artic. 3. Probatur, quia ſacra pagina ſemper de mundo in ſingulari loquitur, præſertim Ioannis primo, & mundus per ipſum factus eſt: Matthæi vltimo, & Marci etiam vltimo, dum Apoſtoli ad propagandam fidem mittuntur, dictum eſt eis: Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Quod ex ordine etiam creationis colligitur; poſt cuius enarrationem dicitur Gen. 1. vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: & poſtquam omnia fecit ceſſaſſe dicitur ab vniuerſo opere: quaſi dicatur, præter continuam propagationem rerum omnium conditarum, nihil nouum amplius condidiſſe. Et cum conſtet illa omnia, quæ ex ſex dierum ſpatio creauit, ad vnicum hunc mundum pertinere, colligitur non eſſe alterum à Deo cõditum. Præterea Actuum 17. ad Ro. 5. docuit Paulus, feciſſe Deum ex vno homine genus humanum, & per vnum etiam hominem peccatum in hunc mundum introiſſe: conſtat vero ex fide omnes homines infectos fuiſſe peccato eiuſdem hominis, ita vt abſque erroris nota admitti non poſſit, quod homines alij præter eos, quos mundus iſte continet, dentur ab originali peccato immunes; ergo nec poteſt admitti alter mundus præter iſtum, niſi aliquis dicere velit, ab hoc mundo in alterum fuiſſe aliquos homines

Digitized by Google

nes tranſlatos, quod ridiculum eſt. Quare D. Auguſt. in libro de hæreſibus hæreſi 77. & D. Iſidorus 8. libro ethymolog. cap. 5. inter errores contra fidem enumerant poſitionem de multitudine mundorum, & quod amplius eſt 24. quæſt. 3. cap. Quidam autem hæretici circa finem, numerant pro hæreſi inter alias, ponere mundos innumerabiles.

QVÆSTIO II.

An per potentiam Dei abſolutam poſſibiles ſint plures mundi, ſpecie, aut numero diſtincti.

PRius quam diuerſas auctorum ſententias referamus excludi debet impius error Vviclephi, & Abaylardi, quem refert, & reiicit Vualdenſis capit. 10. doctrinalis antiquæ fidei, aſſerentium, Deum non poſſe quidquam aliud facere, præter ea, quæ facit, quia non libere, ſed ex neceſſitate naturæ operatur, ſicut calefacit ignis, naturales autem cauſæ quidquid poſſunt, operantur, & nihil aliud poſſunt, præter ea, quæ faciunt: ſed conſtat, Deum vnum tantum feciſſe mundum; ergo impoſſibile eſt plures facere, nam ſi plures poſſet facere, iam omnes produxiſſet.

Quem errorem impium voco, quia omnia ferme noſtræ fidei myſteria euertit, & licet eum velint aliqui Ariſtoteli tribuere, putantes eum propterea negaſſe, quod plures mundi dari poſſent, ex eius tamen doctrina plane colligitur, modum libere agendi Deo nō denegaſſe, nec propterea, quòd ſenſerit agere ex neceſſitate naturæ, docuiſſe, quod non poſſet plures mundos facere, ſed quia re ipſa illi viſum eſt, repugnare

gnare, ex eo, quod exiſtimauerit poſſibilem non eſſe aliam materiam ſpecie diſtinctam, ac proinde omnia corpora ex materia hac conflata eandem habitura inclinationem ad locum eundem, & eandem virtutem motiuam ad ipſum; vnde corpora vtriuſque mundi ad eundem locum naturaliter mouerentur, quod eſt impoſſibile: non tamen negauit Ariſtoteles, vt aliqui putant, eſſe poſſibilem aliam materiam numero diſtinctam. Cognouit enim materiam fuiſſe factam immediate à Deo, proinde Deum poſſe aliam producere: ſed eſſe poſſibilem materiam ad corpora diſtinctæ naturæ conſtituentia alium mundum, vt conſtat ex fundamentis ipſius & in hoc ſenſu ſequuntur ſententiam Ariſtotelis, Alexander, Simplicius, & Auerroes, immo D. Thomas hic ad finem lectionis 19. & expreſſius 1. par. quæſt. 87. artic. 3. ad 3. ſic: *Mundus conſtat ex ſua tota materia: non eſt enim poſſibile, eſſe aliam terram, quam iſtam, quia omnis terra fertur naturaliter ad hoc medium, vbicunque eſt, & eadem eſt ratio de aliis corporibus, quæ ſunt partes mundi*: fundamenta huius ſententiæ iacta ſunt in præcedentibus.

Secunda opinio communis, & vera tenet, poſſe Deum ſua abſoluta potentia plures mundos efficere Ita Albertus Magnus 1. lib. de cælo, tractatu 3. cap. 6. Saxonia ibidem quæſt. 11. Pater Clauius ad caput primum ſphæræ pag. 28. Patres Conimbricenſes 1. lib. de cælo 9. cap. quæſt. 1. artic. 2. & ex ſcholaſticis, D. Thomas in 1. diſtinct. 44. quæſt. 1. artic. 2. D. Bonau. quæſt. 1. Durandus, quæſt. 3. Gabriel & Okam quæſt. 1. art. 2. Maior quæſt. 1. Capreolus in 1. diſtinct. 43. quæſt. vnica art. 2. quam tanquam veram præſupponit Caietanus 1. parte quæſt. 47. artic. 3. & tandem ſancti Patres eam profitentur: Præſertim Athanaſius in oratione contra Idola, Ambroſius 2. lib. Hexameron cap. 2. Baſilius

lius homilia ſecunda Hexamer. Iuſtinus martyr. in lib. de quorundam decretorum Ariſtotelis reprehenſione, iuxta quam reſpondemus quæſtioni duabus aſſertionibus, quarum prima eſt.

Poſſibiles ſunt plures mundi ſpecie, ac numero diſtincti: probatur vtrumque hoc argumento: non repugnat ex parte diuinæ omnipotentiæ, neque ex parte rei faciendæ, ergo poſſibile eſt, vtroque modo fieri plures. Antecedens, quantum ad diuinam omnipotentiam, per ſe eſt euidens, cum ſe extendat ad omne illud, quod non inuoluit contradictionem: ergo ſolum reſtat probandum, quod ex parte effectus non inuoluat contradictionem, vt eo ipſo probatum ſit poſſo fieri. Probatur autem primo, nõ repugnare, quod plures mundi fiant ſpecie diſtincti, quia mundus dicit ordinationem multorum corporum ſimplicium inferiorum, ac ſuperiorum, hoc eſt, elementorum, ac cælorum ſub vno primo mobili, & vno primo mouente, nempe Deo, à quo dirigente, & gubernante inferiora per ſuperiora mouentur omnia, diriguntur, omnia, multiplicantur, & conſeruantur omnes ſpecies mixtorum ex ſimplicibus factis: ſed poteſt Deus aliam congregationem corporum ſpecie diſtinctorum efficere, & ordine ſpecie diſtincto ea ordinare; ergo poteſt efficere alium mundum ſpecie diſtinctum ab iſto. Minorem probo, quia ordo huius mundi conſiſtit in ſitu corporum grauium, & leuium ſub cælo: ſed poterit Deus producere, alios cælos habentes alias virtutes, & influentias, ita vt ſine motu, vel medio alio motu diuerſo valde operentur, atque etiam alium numerum elementorum, ſeu corporum ſimplicium, quæ ſub cęlo illo contenta haberent naturas, & conditiones, potentiaſque motiuas diuerſas à grauitate, & leuitate, & alio modo longe diuerſo ordinarentur inter ſeſe, &

:um cælo, in quo nulla poteſt excogitari repugnantia alicuius momenti: ergo poſſibiles cenſendi ſunt plures mūdi ſpecie diuerſi. Quod cum hac ſola limitatione intelligendum cenſeo, vt ex parte ſpeciei humanæ (eo modo, quo ad mundum pertinet) non ſit poſſibile, quod fiant plures mundi ſpecie diſtincti, quia non videtur mihi poſſibile fieri alium hominem ſpecie diſtinctum. Quod vero non repugnet fieri plures mundos eiuſdem ſpeciei probatur, quia nulla poteſt oſtendi repugnantia in eo, quod fiat aliud elementum terrę eiuſdem ſpeciei cum iſto; nam ſicut hoc fecit Deus ex nihilo, & ideo abſque vlla prorſus difficultate, ita vt ſola ſua libera, & efficaci volūtate, qua voluit fieri, factum ſit, & pariter cætera elementa, ita poteſt terram aliam, aliaque elementa eiuſdem naturæ cum his ex nihilo condere, & alios etiam cælos, & modo etiam ſimili talia corpora inter ſe ordinare, ita vt ſub alio primo mobili inter ſe ordinentur alia corpora cęleſtia, & ſub eis elementa alia, modo etiam ſimili inter ſe ordinata; & ecce tibi aliam congregationem corporum ſimplicium ordinatorum ſub vno primo principio, & ad vnum, eundemque finem, & ideo alterum mundum numero diſtinctum ſub eadem ſpecie. Et argumenta Ariſtotelis in contrarium præfata, nullam prorſus repugnantiam in hac multiplicatione dari probant, vt vidimus, & mox copioſius oſtendemus.

Aſſertio poſterior: ſententia Ariſtotelis, quod non ſint poſſibiles plures mundi in eo ſenſu, quem ipſe tenuit, accepta, nec eſt error contra fidem, nec etiam contra principia Philoſophiæ, ſed opinio minus probabilis, quam oppoſita. Quamuis enim hanc impoſſibilitatem reducere in defectum potentiæ Dei, ab initio producentis, neceſſario quidquid poteſt producere, vt ſomniarunt Vviclephus, & Abaylardus, aut etiam

ſam efficientis libere ab initio quantum potuit,ſit error contra fidem,vt oſtendit D.Auguſt.12.de Ciuitate,cap.17.& D.Thomas 1.parte quæſt.25.artic.5.cùm etiam de homine libere operante ſtultiſſimum ſit,hoc dicere.Tamen aſſerere,non poſſe fieri alium mũdum, quia etiam ſi aliæ creaturæ denuo fiant,repugnant,eas ordinari alia ordinatione diſtincta, ac proinde conſtitui alium nouum mundum, tametſi minus verum, nihil tamen erroris habet: & hoc ſolum docuit Ariſtoteles,vt rationes eius allatæ ſupra demonſtrant,& tenet D.Thomas,ſupra probatur non eſſe errorem, quia nullam imperfectionem Deo tribuit,neque inde aliquid in fidei præiudicium infertur,ſed totum reducitur in defectum poſſibilitatis alterius ordinationis, & rationis diſtinguendi: in quo locus poteſt dari opinionibus:& qui opinionem Ariſtotelis damnant, in alio ſenſu ex duobus prioribus eum intellexerunt, ſecus D.Thomas,& alij,quorum plures docent, Ariſtotelem loqui de potentia ordinata; & ſic vera eſſet eius ſententia,& hoc modo traditur à D.Thoma.

Fundamenta autem Ariſtotelis non conuincunt pluralitatem mundi eſſe impoſſibilem. Hæc enim eſt ratio(inquit S.Thomas 1.parte quæſt.47.art.3.ad 1.) quare mundus eſt vnus,quia debent omnia eſſe ordinata vno ordine ad vnum,hoc eſt,vnitas mundi deſumi debet ex ordinatione corporum inter ſe ab vno principio,& ad vnum finem, ſed poſſunt eſſe ordinationes ſpecie diſtinctæ, & ſolo numero: nihil enim obſtat quominus diuerſa numero,aut ſpecie corpora producantur,& inter ſe,& ad finem diuerſo modo ordinentur,vt patet:corpora autem, vt ordinata in vno mundo ad proprium locum in illo occupandum, naturaliter mouerentur, & licet ſecundum ſe ſublato hoc ordine in hoc mundo poſſent moueri ad centrum

trum alterius mundi, quatenus ordinata ad hoc non inclinantur, ſed ad proprium locum mundi, cuius partes ſunt: falſo ergo Ariſtoteles putauit, quodcumque elementum, & corpus aliud idem centrum appetere ſub quauis ordinatione, ac ſi in eodem mundo eſſet, & alias non ſatiari, neque quieſcere: qui etiam ex nullo capite hoc implicare probat, vt conſideranti argumenta illius allata patebit.

QVÆSTIO III.

An Deus poſſit efficere alios atque alios mundos in infinitum perfectiores.

Senſus quæſtionis eſt, an ſit poſſibilis alius, atque alius mundus eſſentialiter, vel indiuidualiter perfectior in infinitum ſincathegorematice, vt aiunt, hoc eſt, ita vt datis quibuſcumque poſſint ſemper alij perfectiores fieri, non enim agimus de infinito actu, de quo diximus ad 3. Phyſicorum.

Prior ſententia affirmat, hoc eſſe poſſibile de multiplicatione perfectionis indiuidualis, non tamen eſſentialis, quam tenet Durandus in 1. diſtinct. 44. quæſtione 2. quod etiam tenere debent neceſſario omnes qui opinantur, non eſſe producibiles ſpecies in infinitum, ſed ad aliquam neceſſario perueniendum, vltra quam nō ſit alia producibilis, vt tenet Aureolus apud Capreolum in 1. diſtinct. 44. quæſt. 2. & ita ſenſiſſe Scotum in 3. diſtin. 13. quæſt. 1. teſtatur merito Caietanus 1. part. quæſt. 25. art. 6.

Ex hoc enim ſequitur, non poſſe mundos eſſentialiter perfectiores multiplicari in infinitum, & quod dicitur de perfectione indiuiduali, infra probabitur, aliud vero de perfectione eſſentiali, probatur effica-

citer hoc argumento; ſi poſſibiles forent plures mundi eſſentialiter perfectiores in infinitum, ita vt nunquam perueniri poſſit ad mundum ita perfectum, quin alter poſſit produci eſſentialiter perfectior, ſequitur omnes mundos factibiles eſſentialiter perfectiores non habere vltimum, & ex conſequenti eſſe infinitos, & cum omne factibile, omneque poſſibile reduci poſſit ad actum, dari poterunt in rerum natura infiniti mundi perfectiores eſſentialiter actu producti, actuque exiſtentes. Ex quo duo ſequuntur: primũ, quod detur infinitum in actu ſecundum multitudinem; poſtremum, quod detur ſpecies aliqua infinita ſecundum perfectionem eſſentialem, & quod ſequatur primum, euidens eſt, vt cuique patet, quod vero ſequatur poſtremum, ſic probant: Si dantur mundi actu infiniti, & ſpecie diſtincti; ergo dantur ſpecies actu infinitæ. Tota igitur latitudo eſſentialis perfectionis ſpecificæ earum erit actu infinita: ſed latitudo hæc infinitæ perfectionis eſt in eiſdem ſpeciebus: ergo neceſſe eſt dare aliquam ſpeciem determinatam, aut vage ſumptam, actu infinitam, & quouis modo detur, abſurdum eſt: quia infinita perfectio eſſentialis actualis in ſolo Deo reperiri poteſt, creaturæ vero eſſentialiter repugnat, quia ex intrinſeca ratione creaturæ habet perfectionem eſſentialem participatam, & ideo limitatam, & actu finitam. Sed probatur conſequentia, quia ſpecies (vt ſæpe inculcat Ariſtoteles, & repetit D. Thomas) ſunt ſicut numeri, & ideo inæqualis perfectionis, quia ſicut non dantur duo numeri æquales, ſed vnus neceſſario addit vnitatem ſupra alium, ratione cuius variatur ſpecies, ita ſpecies quælibet addit generi eſſentialem differentiam diſtinctam ab ea, quam addit altera, ratione cuius variatur alia ſpecies, & neceſſe eſt non dari duas

æquales

æquales in perfectione, aut gradu eſſentiali, ſed inæquales eſſe omnes: ergo ſi ſint actu infinitæ, neceſſe eſt aliquam tandem euadere actu infinitam in perfectione eſſentiali, quemadmodum ſi in infinitum multiplicentur numeri, & numerus actu infinitus detur, neceſſe erit eſſe vnum numerum actu infinitum, cum infinita ſit ei additio vnitatum facta. Ex quo non ſequitur potentiam Dei eſſe finitam, ſemper enim ipſa poterit facere, quiquid non implicat contradictionem; ex parte enim ſolius effectus eſt repugnantia, ex modo etiam operandi ſine vlla independentia & immediatione ſuppoſiti, ſatis colligitur infinitas potentiæ Dei.

Nihilominus, etſi probabilis ſit prior ſententia, valde probabile cenſeo, poſſe Deum ſua potentia abſoluta producere alios, & alios mundos perfectiores, ſecundum numerum, & ſpeciem in infinitum, ita vt quibuſcumque productis poſſit nouos alios, ac diſtinctos vtroque modo producere. Quod in primis elicio ex doctrina D.Thomæ, 1. parte. quæſt. 25. artic. 6. ad 1. ſine limitatione aſſerentis, poſſe Deum quacumque data creatura, aliam producere meliorem, idque confirmat Caietanus ibidem. Ex hoc enim ſequitur poſſibiles eſſe alios mundos in infinitum perfectiores, nam ſicut poſſunt aliæ creaturæ perfectiores in infinitum produci à Deo, ita poſſunt diuerſis modis ſub eo, ac inter ſeſe ordinari, ita vt qualibet data ordinatione, poſſit dari alia perfectior in infinitum, & proinde alius, atque alius mundus perfectior ſine termino, quia mundus non eſt aliud, quam ordinatio diuerſarum creaturarum ſub vno principio ac inter ſeſe. Probatur deinde ratione, quia poſſibile eſt à Deo fieri, quidquid nõ inuoluit cõtradictionem, ſed nullam contradictionem inuoluit,

H 2

quod datis quibuſcunque creaturis, aut etiam mundis, perfectiores aliæ fiant à Deo ſecundum numerum, & ſpeciem: ergo poſſibile iudicandum eſt: maiorem ſic oſtendo, ex parte diuinæ omnipotentiæ, cum infinita ſit, nulla poteſt dari repugnantia in quibuſlibet rebus producendis, ſed nec ex parte ipſarum rerum repugnat, nouas ſemper poſſe produci, ſicut nulla potuit aſſignari repugnantia ex parte productarum, vt producerentur, quia ſicut materia harum ex nihilo creata eſt, & ex potentia eius eductæ ſunt omnes formæ non poteſt oſtendi repugnantia in creanda noua materia ac educendis aliis formis diuerſæ ſpeciei ex ea, ſed neque terminus aliquis in vtroque præſtando, quia nulla apparebit maior, aut noua repugnantia ex parte ipſarum in producendis nouis, aut ſequentibus, neque poteſt cum fundamento excogitari: ergo ſine pondere aliquo rationis ponitur diuinæ omnipotentiæ terminus in nouis creaturis, aut nouis mundis numero, aut ſpecie diuerſis, ac perfectioribus, ſemper in infinitum producendis: quod ex ſolutione oppoſiti fundamenti clarius conſtabit.

Ad quod conceſſo antecedente, diſtinguendum eſt conſequens prioris conſequentiæ, videlicet, quod mundi factibiles ſint infiniti, nam de infinito in potentia verum eſt, de infinito in actu falſum, quod patet in diuiſionibus continui poſſibilibus, & non habentibus vltimam, quia datis quibuſcunque aliæ ſunt poſſibiles in infinitum: pari ergo ratione mundi factibiles infiniti ſunt non actu, ſed potentia, quia factibile, vt ſic non actum ſed potentiam ſignificat. Poſterior vero pars argumenti procedit ab infinito in potentia, ad infinitum actu, quia omnis potentia eſt reducibilis ad actum: ergo ſi infiniti

finiti mundi ſunt creabiles in infinitum perfectiores, cum hæc potentia poſſit reduci ad actum, poterunt dari infiniti mundi actu creati, & actu infiniti perfectiores ſecundum ſpeciem. Reſpondent illi, qui tenent, infinitum actu eſſe poſſibile, vtrumque dari poſſe, & mundos actu infinitos, & quemlibet perfectiorem alio ſecundum ſpeciem. Nos vero, qui nullum infinitum actu admitti poſſe probauimus 3. lib. phyſicorum, non putamus argumentum hoc probare, quod ſit poſſibile, immo nullius roboris eſſe, ex hoc ipſo, quod procedit ab infinito in potentia ad infinitum in actu.

Quare ad formam eius diſtinguendum eſt; quod omne producibile, vel poſſibile poteſt reduci ad actum: nam potentia duplex eſt, vna imperfecta, & quaſi inferior, quia partem actus includit, & partem potentiæ, & ideo incompleta etiam vocari poteſt, qualis eſt immobile reſpectu motus ſucceſſiui, hæc enim partem actus dicit, & partem potentiæ, hoc eſt aliquem gradum termini productum, & alium, vel alios producendos, & hoc genus potentiæ non poteſt totaliter reduci ad actum, & talis eſt etiam potentia in continuo, & partibus eius ad actum diuiſionis, & per eam diffiniuit Ariſtoteles infinitum in potentia 3. libr. Phyſicorum, textu 63. dicens eſſe id, cuius ſecundum quantitatem accipientibus, ſemper aliquid accipere extra eſt. Talis eſt etiam potentia, quaſi paſſiua producibilitatis in tota latitudine creaturarum, reſpectu diuinæ potentiæ actiuæ ad producendum, quia ſi repugnat potentiam paſſiuam reſpectu diuiſionis, reduci ad actum, aut reductam eſſe, ita repugnat, omnes creaturas poſſibiles actu produci, aut eſſe productas, ſed quibuſcumque productis ſuperſunt aliæ, quæ produci poſſint, etiam ſi

Digitized by Google

per poſſibile, vel impoſſibile producantur, actu infinitæ, vel infinities infinitæ, cum non ſit maior ratio vnius, quàm alterius. Quod hac ratione ſatis efficaci oſtendo, productis quibuſcumque creaturis non diminuitur potentia actiua infinita Dei ad producendum, nec exhauſta dici poteſt, ſed ſic integra, atque infinita manebit, ac prius potens producere de nouo quidquid non implicat contradictionem, nec diminuitur potentia paſſiua in tota latitudine creaturarum, vt produci poſſint, quia creaturæ iam productæ, etiam ſi eſſent infinitæ non addunt, aliis nondum productis, implicationem cõtradictionis, vt producantur, vel vt ſint in rerum natura, ſed ſic permanent poſſibiles produci noſtro modo intelligendi, ac erant prius, immo ac erant illæ, quæ iam fuerunt productæ antequam producerentur: ergo non eſt intelligibile vllo modo, omnes producibiles eſſe productas: ex quo efficaciter ſequitur, nec eſſe potentiã hanc paſſiuam producibilitatis totaliter reductam ad actum, ſed ſemper & neceſſario ſupereſſe ei aliquid reducendum. Quare non ſequitur ex eo quod poſſibile ſit alios, & alios mundos perfectiores in infinitum fieri à Deo, poſſe fieri actu infinitos: ex quo conſtat ad primum incommodum argumenti.

Poſtremum vero incommodum erat, quod ſi forent poſſibiles mundi perfectiores in infinitum, daretur aliquis mundus infinitæ perfectionis, quod repugnat, ſed negandum eſt id ſequi, quia licet vnus ſit altero perfectior, non datur vltimus, & ideo non datur aliquis infinite perfectus, immo etiam ſi darentur actu infiniti, nullus talis daretur, quia nec daretur vltimus. Et ſi dicatur, ſaltem dari infinitam perfectionem extra Deum, reſpondeo, non ſequi in noſtra ſententia, in qua totum, quod datur extra produ-

ctum

ctum ſemper eſt finitum, qui vero admittunt infinitum dari poſſe, reſpondent non dari vnam aliquam perfectionem actu infinitam, neque vnum aliquod infinite perfectum, ſed quamlibet perfectionem, & quodlibet perfectum finitum eſſe, quod vero infinita ſit perfectio per infinitos mundos ſparſa, nullum eſt incommodum, quia ſolum ex hoc habetur dari infinitum numerum perfectionum, aut rerum finitarum, ex quo nulla implicatio contradictionis ſequi, aiunt.

QVÆSTIO IV.

An ſit Deo poſſibile, hunc mundum perfectiorem reddere.

COnueniunt Doctores, hunc mundum non poſſe perfici eſſentialiter, quia vt arguit D. Thomas, 1. parte, quæſt. 25. artic. 6. eo ipſo, quod mundus, vel partes illius quoad eſſentialia perficiantur, non erit idem mundus, ſicut non erit eadem ſpecies numeri v.g. variata differentia eſſentiali. Præterea certum eſt, non poſſe mundum perfici accidentaliter, ex parte modi, quo à Deo fit, vt tradit Sanctus Thomas ſupra, quia repugnat, Deum ex meliori ſapientia, & bonitate mundum, & partes eius facere, Difficultas vero eſt, an poſſit mundus accidentaliter perfici ex parte ipſarum rerum, ſiue materialiter, ex eo, quod aliquæ partes accidẽtaliter perficiantur, ſiue formaliter, ex eo, quod ordo, & proportio partium inter ſe, & ad totum perfectior reddatur.

His præmiſſis aſſerit prima opinio non eſſe vllo modo poſſibile, hunc mundum perfici à Deo, quam

tenuerunt illi, qui vniuerſaliter docebant, non eſſe poſſibile Deo, quidquam producere melius his, quæ producit, quos (ſuppreſſis nominibus) citant Patres Conimbricenſes ex Hugone Victorio, poteſtque probari primo ex illis verbis Geneſis 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona; quaſi dicere voluerit, perfectiſſima eſſe, quibus proinde nihil perfectionis addi poſſit. Probatur deinde ratione, quia ſi corpora hæc, & mundus iſte perfectior fieri potuit, iniuria quodammodo videretur ei irrogata à Deo, qui talem perfectionem ei potuit conferre, & non contulit, quemadmodum fieret ei iniuria, ſi aliqua ei deeſſet eſſentialis perfectio, quam non tribuens ei Deus, cum potuerit, inuidia argui poſſet.

Secunda ſententia aſſerit, vniuerſum non poſſe perfici formaliter, hoc eſt, ex parte ordinationis formalis rerum, licet poſſint ex parte aliquarum rerum, ac proinde materialiter reddi perfectius. Ita videtur ſentire Diuus Thomas prima parte, quæſtione 25. articulo 6. atque etiam in prima diſtinctione 44. quæſtione prima, articulo ſecundo, & cum eo Capreolus ibidem, atque etiam Alexander ſecunda parte quæſt. 18. membro 3. Antiſiodorenſis libro primo Summæ, capite 12. quæſt. 7. & ratio Diui Thomæ eſt, quia ordo eſt perfectio formalis vniuerſi, ſed ordo quem Deus hiſce rebus contulit, ex quibus fecit vniuerſum, non poteſt eſſe melior, ergo neque res ipſæ poſſunt eſſe melius ordinatæ, & ideo ex hac parte non poteſt vniuerſũ, hiſce rebus permanentibus melius fieri: vnde ſequitur, quod neque poſſit ex parte rerum melius fieri, niſi res omnes perficiantur, quia ſi vna tantũ, aut altera melior fiat, cæteris eodem modo permanentibus, deſtrueretur ordo conſiſtens in proportione

tione omnium,& conſequenter deſtrueretur vniuerſum formaliter in ordine rerum , & quaſi harmonia ex eo reſultante conſiſtens. Quemadmodum , inquit D.Thomas , ſi ex chordis citharæ vna vel altera plus debito intenderetur,corrũperetur melodia,conſurgẽs ex proportione ſonorum omnium attemperatorum. Huic rationi adiungi poteſt teſtimonium D. Aug.lib. 3.de libero arbitrio cap. 5. vbi ſic ait. Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit , ſcias feciſſe tanquam bonorum omnium conditorem,& in Enchyridio ca. 10.Bona ſunt ſingula, quæ Deus fecit , ſed ſimul vniuerſa valde bona,quia ex omnibus conſiſtit vniuerſitatis admirabilis pulchritudo:ergo ſentit,nihil melius hiſce rebus,& huic mundo addi poſſe, quod eis , non contulerit Deus.

Vltima ſententia admittit , partes aliquot huius vniuerſi meliores effici poſſe ; ſecundum aliqua accidentia,& mundum ipſum accidentaliter perfici , non ſolum quantum ad eaſdem partes,ſed etiam quantum ad ordinationem earum ; ſic ſentiunt Durandus in 1. diſtin.44.quæſt.3.Argentina,quæſt.vnica,artic.3. Aureolus apud Capreolum in 1.diſtin. 43. quæſt.1.art.2. Patres Conimbricenſes 1.lib.de cælo cap.9. quæſt.ſecunda,art.2.atque etiam Pater Vaſquez tomo 1. in 1. partem,diſputatione 107.c.3.Probant primo,quia prẹſtantiſſima creatura eſt homo,qui deterior effectus eſt per peccatum,& meliorem ſtatum haberet , ſi in ſtatu innocentiæ perſeueraſſet, ex quo etiam quandam accidentalem perfectionem inferiores creaturæ ſuſcepiſſent,quia meliori creaturæ ſubeſſent, atque obedirent, & conſequenter non ſolum non diſſolueretur ordo vniuerſi , ſed perficeretur potius , & vniuerſum ipſum accidentaliter perfectius foret. Secundo,quia aliquæ ſpecies,in paucis indiuiduis,quæ habent,ſuſci-

piunt mutationes accidentales,vel iniuria temporum vel alia ex cauſa, & nihilominus non ob id diſſoluitur ordo vniuerſi,quamuis ex parte illarum aliqua ratione deterius fiat idem vniuerſum,ergo non eſt cenſendum impoſſibile,quod ſecundum rationes accidentales varietur,& idemmet ſuſcepta tali variatione permaneat.

Noſtra ſententia hac diſtinctione explicanda eſt: Dupliciter excogitari poteſt quod partes huius vniuerſi perficiantur ſecundum rationes accidentales: priori quidem,ita vt ex eo,quod vna vel altera perfectior fiat, non varietur naturalis collocatio aliarum, vel certe eius cum illis, vel aliqua earum, quamuis modo aliquo accidentali perficeretur idem ordo, eademque collocatio, ſed eodem modo permaneant iuxta propriam naturam,ac modo collocata ſunt, videlicet in infimo loco terra,ſupra eam aqua,ſupra hãc aer,ſupra aerem ignis,& iſte ſub concauo Lunæ, cæleſtiaque corpora,vt modo ſunt collocata. Et ſimilem variationem videtur accepiſſe mũdus poſt peccatum: nam licet inferiores creaturæ non ita obediant homini,ac in ſtatu innocentiæ obediebant, & obedient, perſeuerante eodem ſtatu,nihilominus ei(licet minus bene)ſubiiciuntur,vt perfecta natura eius, & inferiores naturæ earum poſtulat;& pari ratione ordo, atque collocatio elementorum perfectior accidentali modo conſiſteret maiori puritate elementorum conſeruata &perfectiore ſubordinatione corporum inter ſe,& ad alia, excellentiorique virtutis communicatione; & hac ratione perfici poteſt mundus accidentaliter;non variato,& deſtructo ordine principali, & quaſi eſſentiali,quem habent,& ſemper habuerunt corpora inter ſe, & ad primum motorem,& primum mobile,quod non negat Sanctus Thomas,& hoc ſolum probat tertia

tia

tia ſententia: modo vero poſteriori poſſet vna, vel altera pars mundi ita perfici intra rationem accidentalē, vt ex tali perfectione variaretur naturalis collocatio aliarū, vel eius cum eis, aut aliqua earū, quo pacto variaretur, ſi hoc idem elementum aquæ rarius, aut ſubtilius aere efficeret Deus, vel aërem ſubtiliorem igne, quod conſtat poſſe fieri inuariatis eiſdem elementis ſecundum ſubſtantiam, vel ſubſtantiales formas: ſi vero id fieret, abſque dubio variaretur collocatio, quam nunc habent, & quam à principio ſuæ conditionis habuerunt eadē corpora, quia natura eorum poſtularet, leuiora eſſe ſupra minus leuia, & hæc ſub illis. Poſtularet igitur eadem natura, ſuppoſita tali mutatione, vt aqua leuior aere facta ſuper eum collocaretur, & in locum eo ſuperiorem per motum ſurſum tenderet, & aër leuior igne factus ſupra illum, & per motum tenderet in concauum Lunæ. Ex quo conſtat, naturalem collocationem, quam nunc habent, & habuerunt à principio variari, & hac variata, variari cōſequenter ordinem, & proportionem eorundem corporū, immo deſtrui, ſicut deſtrueretur cytharę harmonia hebetiori, aut groſſiori eius chorda acutiori, aut ſubtiliori omnibus facta, vt acute ſatis loco ſuperius relato aſſerit D. Thomas: ac proinde mundus hic conſiſtens formaliter in hoc ordine, & ſubordinatione hac corporum non poſſet ſubſiſtere cum tali variatione, & per conſequens huiuſmodi perfectione accidentali partium perfici, & hoc ſenſu amplectitur hanc ſententiam D. Thomas, & citati cum ipſo, quæ nobis probabilior apparet, neque quidquam in contrarium probat tertia ſententia, neque forte intendit plus quam noſtra prior concluſio.

Ad primum argumentum ſecundæ opinionis dicemus, verba illa ſacræ paginæ noſtram potius ſententiam

tentiam ita expoſitam continere, nam vt D. Auguſtin. ea exponit de partibus huius vniuerſi, non tam ſecundum ſubſtantiam, quam ſecundum ordinem reſultantem ex ſitu & collocatione naturali earum, quo nec poteſt melius fieri, nec excogitari. Prӕterea ſecundum ordinem ad finem, qui eſt Deus, non enim poſſunt in meliorem finem ordinari, quare merito dicitur Deo ea inſpicienti, quaſi reflexa cognitione, valde bona apparuiſſe, hoc eſt in ſummo gradu bonitatis conſtituta. Quem ordinem modo quodam valde accidentali perfici dumtaxat poſſe dicimus.

Ad ſecundum vero dicendum inuidiam ſolum habere locum in his, quę ex debito aliquo, aut ex neceſſitate naturæ tribui debent: Deus vero nemini quidquam debet, ſed quaſi ex gratia, hoc eſt, ex mera liberalitate, & non ex debito tribuit eſſe quibuſcunque creaturis, & præterea perfectio illa accidentalis, ſecundum quam creſcere poſſunt, non eſt eis debita, vt ſatis eſt per ſe manifeſtum.

CAPVT X.

IN his tribus cap. 10. 11. & 12. quæ hoc lib. ſuperſunt, quæſt. hanc proponit ac diſſoluit Ariſt.

An mundus ſit generabilis, & corruptibilis.

CApite hoc 10. varias philoſophorum antiquorum ſententias proponit: cap. vero 11. quædam pro eiuſdem quæſt. diſſolutione adnotat; & tandem capite 12. ex propria ſententia eam diluit, & hoc eſt intentum horum capitum.

Diuiditur vero caput 10. in duas partes, in quarum prima quæſtione propoſita affert opinionem Platonis

&

& aliorum, eamque duplici ratione confutat: in poſtrema vero refert, & reiicit duas alias. Aſſerit ergo Ariſt. omnes ferme Philoſophos ſe antiquiores conuenire circa productionem mundi, in eo, quod genitum, ſeu productum fuiſſe aſſerebant; differre vero, quia Plato ſequutus Orphæum, & Heſiodum, eum ponebat incorruptibilem: alij verò corrumpendum eſſe aliquando cenſuerunt, quamuis non eodem, ſed diuerſis modis. Sententiam igitur Platonis & aliorum, quòd mũdus fuerit genitus, & incorruptibilis duplici argumẽto refutat, quorum primum ita habet: Illud cenſetur in Philoſophia certum, quod vt plurimum euenit, ſed fere ſemper videmus, genita tandem corrumpi, immo in ſe habere principium ſuæ corruptionis: ergo ſi mũdus fuit genitus (vt aſſerit hæc ſentẽtia) neceſſe eſt, aliquando fore corrumpẽdum: falſum ergo eſt, eum ponere genitum, & non corruptibilem. Secundo, ſi mundus fuit genitus: ergo ex aliquibus principiis: nam ex nihilo nihil poteſt fieri. Vel ergo principia illa, prius quam ex eis gigneretur mundus, potuerunt aliter ſe habere, vel non: ſi hoc ſecundum dicatur, plane ſequitur, quod ſi ex eis non fuit prius conſtitutus mundus, ita nec poſtea potuit conſtrui: quia idem, in quantum idem, & eodem modo ſe habens, ſemper facit idem. Si vero dicatur, prius quã ex eis gigneretur mundus, potuiſſet aliter ſe habere, non minus bene infertur, poſſe etiam aliter ſe habere, poſtquam mundum conſtituerunt, & ideo poſſe mundum ex eis conſtitutum aliter ſe habere, quod eſt poſſe nõ eſſe, & corrumpi. Vtrumque hoc argumẽtum procedit de generatione phyſica. Deinde reiicit expoſitionem mentis Platonis adductam à Xenocrate, & aliis audioribus Platonis, & teſte D. Tho. hîc, bene Ariſtoteles impugnat, quod verba Platonis ſonant, ſiue id Plato conceperit, ſiue non.

Secunda

Secunda ſententia fuit Democriti, aſſerentis ex caſuali atomorum concurſu genitum fuiſſe mundum aliquando, eſſe vero corruptibilem, & aliquando corrumpendum, nec iterum reproducendum, ſicut contingit cæteris corporibus ex elementis genitis. Hanc ſententiam impugnat Ariſtoteles hoc argumento, ſi mundus genitus eſt; ergo ex aliquo præexiſtente, quia ex nihilo non poteſt aliquid fieri (ſcilicet, generatione phyſica) vel ergo illud ex quo factus eſt, prius quam ex eo fieret, potuit generationi ſubiici, ita vt ex eo gigneretur mundus, vel non potuit ſi dicatur hoc ſecundum euidenter ſequitur, non potuiſſe mundus ex eo fieri, ſi vero potuit generationi ſubiici: ergo deſtructo mundo ex eo genito permanebit, vt poſſit iterum generationi ſubiici ſicut potuit, prius quam ex eo fieret mundus, cum à mundo non dependeat, ſicut nec prius.

Tertia tandem ſententia fuit Empedoclis, & Heracliti, qui mundum non ſolum genitum poſuere, atque etiam corruptibilem, ſed ita generari, & corrumpi dixerunt, vt poſt corruptionem iterum generetur, iterumque corrumpatur, & quaſi perpetuus quidam circulus ex viciſſitudine generationis, & corruptionis eius conſtituatur, nam amicitia congregante elementa, generatur mundus, & lite eadem ſeparante corrumpitur, & ita lite ſuccedente amicitiæ, & hac illi in perpetuum, perpetua quædam viciſſitudo generationis, & corruptionis mundi efficitur. Quã ſentẽtiam hoc argum. refutat Ariſtoteles: Eiuſmodi viciſſitudo perpetua generationis, & corruptionis mũdi conſtare non poteſt, niſi ſalua ſemper eadem ſubſtantia mundi, hoc eſt, eiſdem elementis per amicitiam coniunctis, & per litem ſeparatis, & in propria loca redeuntibus, quod ſi ita eſt ſequitur, nec proprie mundum gene

generari,nec proprie corrumpi, ſed quaſi inſeneſcere & iterum repueraſcere, vel ex puero ſenem fieri, & iterum ex ſene in puerum reuerti, quod patet eſſe abſurdum.

CAPVT XI.

Textus Ariſtotelis.

Primum autem diuidendum eſt, quomodo generabilia, & ingenerabilia dicimus, &c.

Breuis expoſitio textus.

QVædam prænotat Ariſtoteles capite præſenti, vt commodius poſſit in ſequenti explicare propriam ſententiam:& primò explicat, quot modis accipiantur generabile & corruptibile, & conſequenter ingenerabile,& incorruptibile.Deinde explicat ſignificationes vocum, poſſibilis, & impoſſibilis: conſequenter docet,quonam modo definiendæ ſint potentiæ actiuæ.

Tribus igitur modis (ait) accipi ſolet ingenerabile. Primo pro eo quod incipit eſſe,cum prius non fuerit non tamen per veram generationem, ſed alio modo, quo pacto incipit eſſe motus,atque etiam tactus, non enim generatur,aut fit motus,quia ad motum nec generatio,nec motus terminantur, vt docuit idemmet Ariſtoteles 5. libro phyſicorùm, cap. 2. nec etiam ad ſenſationem tactus,& propterea vterque ingenerabilis dicitur in hac prima acceptione. Secundo modo dicitur ingenerabile illud,quod quidem incipere poteſt

teſt per generationem, ſed nondum eſt genitum: vt ignis, vel aqua craſtino die generanda, dicitur hodie ingenerabilis, quia licet gigni poſſit, nondum tamen eſt genita. Tertio modo dicitur ingenerabile illud, quod non poteſt incipere eſſe, cum prius non fuerit, nec per generationem, nec alio modo, quo pacto cæleſtia corpora, & prima materia apud Ariſtotelem dicuntur ingenerabilia, quia ſine vlla inceptione ea poſuit, immo talis eſſe naturæ videtur cenſuiſſe, vt æterna ſint, & nullo modo poſſint incipere eſſe. Apud nos vero ſolus Deus hoc modo ingenerabilis dicetur, quia non per generationem, vel alio modo, ſed ex propria natura habet eſſe æternum, & totidem modis accipitur incorruptibile, vt cuique patebit facilè applicatis eiſdem acceptionibus ſignificationi eius. Totidem etiam modis dicuntur generabile & corruptibile, vt ex accommodatione earundem acceptionum ſit manifeſtum. Sed vt clarius pateat ſignificatio poſſibilis & impoſſibilis, docet id quod alicui poſſibile eſt, ſeu id, quod poteſt, intelligendum eſſe atque explicandum ſeu definiendum per maximum, hoc eſt, non per quamcunque partem eius, ſed per vltimam, aut ſummam, vltra quam non ſe extendit potentia eius: hoc enim explicat integram rationem potentiæ, & non quod eſt minus, quæ namque tantum poteſt, minus etiam poterit, non contra. Impoſſibile vero, hoc eſt, id, quod aliquis non poteſt, ex oppoſito ait explicandum, ſeu definiendum eſſe per minimum, quod non, vt ſi quiſpiam poteſt portare decem libras dumtaxat minimum, quod non poteſt, erit vndecima, per quam explicari debet illud, quod ſibi reputatur impoſſibile, vel, quod idem eſt, potentia eius, quantum ad id, quod non poteſt per minimum quod non, eſt explicanda, ſeu definienda. Adnotat tamẽ Ariſtoteles, in aliquibus

poten

potentiis maximum ſumi ſecundum exceſſum magnitudinis, vt conſtat in potentia portandi pondus: in aliis vero per exceſſum paruitatis; ſed in quibuſlibet eodem modo veram eſſe doctrinam, quod per maximum ſit potētia actiua explicanda, ac definienda: nam ſicut maximum deſumptum per exceſſum magnitudinis cōtinet quidquid inferius ſe eſt, ita maximum deſumptum per exceſſum paruitatis, vt intuenti patet.

CAPVT XII.

Textus Ariſtotelis.

Determinatis autem his, dicere oportet, quod deinceps eſt, &c.

Breuis expoſitio textus.

RElatis ſupra variis Philoſophorum ſententiis circa propoſitam quæſtionem; & explicatis terminis eiuſdem, intendit Ariſtoteles capite hoc proferre ſententiam propriam. Diuiditur autem caput in duo membra: nam in primo duobus præmiſſis, propriam ſententiam ſtatuit, atque confirmat, ac deinde ex eius confirmatione reiicit ſententiam Platonis ei oppoſitam. Igitur præmittendum eſt, duo eſſe genera rerum; primum eſt eorum quæ circa proprium eſſe immutabilia ſunt, hoc eſt, ita habent eſſe, vt ipſum amittere non poſſint, vel ita ſunt, vt non poſſint non eſſe, & hęc dicuntur ſempiterna; alia vero mutari poſſe à proprio eſſe, quod eſt, ſic eſſe, vt poſſint non eſſe, vt de equo, vel homine ſingularibus notum eſt, & hæc certum, ac diffinitum tempus habere exiſtendi in natura rerum. Deinde præmitti oportet; poſſibile, & impoſſibile verum, & faſum, poſſe accipi ſimpliciter, &

ex ſuppoſitione, quod late explicat Ariſtoteles, & per ſe patet, & non eſt idem ſimpliciter falſum, & ſimpliciter impoſsibile, vt exemplis conſtat, ſecus econtrario.

His prænotatis propriam ſententiam tria continere aſſerit: primum eſt, omne ſempiternum corrumpi non poſſe; quare verum eſſe non poteſt, quod mundus ſit corruptibilis, & duraturus in perpetuum, quod hac ratione probat. Si res durans per infinitum tempus, ponatur corruptibilis, ſequitur poſsibile eſſe, quod corrumpatur, ſed poſsibili poſito in eſſe, nullum incommodum ſequitur, ergo poteſt poni in eſſe, quod corrumpatur; quod vero corrumpitur deſinit eſſe: ergo verum erit de eo, quod aliquando non ſit, cum vero ſemper futurum ſit, vt pote ſempiternum, verum pro aliquo tempore erit, quod ſit & ſimul non ſit, quę ſunt contradictoria, quod latius proſequitur.

Secundum eſt, ſempiternum neceſſario eſſe ingenitum, quod ſic probat: ſi ſempiternum non neceſſario eſt ingenitum, ergo poterit eſſe genitum, ſed repugnat eſſe genitum, quia quod generatur procedit de non eſſe ad eſſe, & ita quidem, vt prius tempore non ſit, & eodem tempore tranſacto incipiat eſſe; ergo eo ipſo, quod ponatur ſempiternum ſimul, & genitum, neceſſario debet cócedi, quod pro aliquo tempore ſit, & nõ ſit, quod eſt abſurdum, ex quibus colligit Ariſtoteles, ingenitum, & incorruptibile, genitum, & corruptibile reciprocari, cum idem ſit principium generationis, & corruptionis, deinde ſempiternum cum ingenerabili, ſeu ingenito, & incorruptibili, reciprocatur, quia ingenerabile, & incorruptibile, nunquam poteſt incipere eſſe, aut deſinere: ergo, quæ procedunt de generatione naturali, & ſic vim habent,

non

non tamen aduerſus nos dicẽtes iuxta fidem, mũdum factum fuiſſe in tempore per productionẽ ex nihilo.

Tertio refutat ſententiam Platonis relatam c. 10. quia neceſſe eſt, rem quamlibet genitam, definito, ſeu limitato tempore agere, & pati, eſſe, & non eſſe: nam ſi tempus agendi, vel eſſendi eius ſit infinitum, & tempus patiendi, aut non eſſendi finitum, ſequitur plane ſemper eſſe, & non eſſe aliquãdo; quia infinitum tempus eſſendi comprehẽdit omne tempus, & ideo comprehendere debet finitũ tempus, in quo non fuit. Neceſſe eſt ergo tẽpore illo finito non eſſendi, ſimul eſſe, & nõ eſſe, quod præſuppoſitũ fuit repugnare. Secũdo, quia non minus repugnat aliquid ingenitũ corrumpi, quam aliquid genitum eſſe incorruptibile, vt ex ſuperioribus conſtat, ſed impoſsibile rem ingenitam corrumpi, ergo etiam repugnabit, rem genitam nunquam corrumpi, vt de mundo docuit Plato.

Denique, quia genitum eſſe corruptibile non poteſt eſſe fortuna, aut caſu, ſed ex principiis propriæ naturæ, nempe materia, quæ principium eſt totius corruptionis, ſed materia ſemper eſt eadem, & ſemper ſe habet eodem modo, cum ſit naturale principium, determinatumque proinde ad vnum: ergo genitum ſemper habet potentiam ad corruptionem, & ad non eſſendum.

QVÆSTIO VNICA.

An mundus ſolo generali concurſu Dei perpetuo durare poſsit, an maiori indigeat ad perpetuitatem.

DVplex concurſus Dei diſtingui ſolet; generalis, & ſpecialis: generalis vocatur ille, quem

poſtulat conſeruatio cuiuſque rei iuxta exigentiam ſuæ naturæ: ſpecialis vero dicetur quicumque alius huic ſuperadditus, & naturis rerum non debitus, quamuis ordinis naturalis: de quo quærimus an neceſſarius ſit ad perpetuitatem mundi, vel generalis ſufficiat.

Et quod mundus non poſſit cum ſolo auxilio generali Dei perpetuo conſeruari, hiſce argmentis probare poſſumus. Primo, quia ideo ſublunaria corpora corruptibilia ſunt, & ad non eſſe ex propria natura tendunt, qia non ſolum materia conſtant priuationi obnoxia (quæ totius corruptionis naturale principium eſt) ſed ex contrariis componuntur, quæ per mutuam actionem & reactionem ſe deſtruunt, ſed mundus in ſua naturali compoſitione vtrumque claudit: nam ex ſublunari materia, priuationi ſubdita, atque etiam ex contrariis elementis perpetuo inter ſeſe repugnantibus conſtat: ergo ex propria conditione tendit in corruptionem, & ex conſequenti in non eſſe, quare perpetuo durare repugnabit, niſi maiori, atque ſpeciali Dei auxilio conſeruetur: Secundo; quia mundus ſecundum omnes partes eius, præſertim quantum ad corpora vitæ prædita quantitatem, ac materiam petit intrinſeco termino definitam, ita vt ſub minori nec eſſe nec conſeruari poſſit: etenim ad tam paruam quantitatem peruenire poterunt elementa, vt pro continuis generationibus mixtorum non ſufficiant, ſed tandem conſumantur, & eis conſumptis mundus pereat, & viuentia adeo diminui poſſunt, vt non poſſint ſub tam parua quantitate conſeruari, nec proprias operationes exercere; ſed elementa, vt pote contraria, atque contigua viciſſim ſe corrumpunt, & ſtaturam hominum conſtat indies minorem fieri, raroſque homines

mines proceriores parentibus euadere, minori etiam temporis periodo durare. Ex quibus efficaciter ſequitur, deuenturum tandem mundum ad eum ſtatum, vt vlterius conſeruari nequeat, ſine maiori, ac ſupperaddito concurſu diuino. Quod corroborari poteſt, ex proportione finis eius cum principio: nam generationes non poterunt eſſe æternæ ex parte principij (vt octauo libro Phyſicorum oſtendimus) ergo nec poſſunt eſſe æternæ ex parte finis, ſed ceſſare debent, ſpectata earum natura, & concurſu naturali, atque ordinario Dei, & ideo maiori ac ſpeciali indiget mundus concurſu, vt perpetuo durare poſſit.

Noſtra ſententia duplici aſſertione continetur: prior eſt, mundus in eo ſtatu imperfecto, quem habuit à principio, & habiturus eſt vſque ad diem iudicij, conſeruari poteſt cum ſolo auxilio generali Dei, pro qua nullum auctorem refero, quia quæſtionem hanc nullus attigit: ſed eam probo primo, quia neque ex aliquo effectu, nec ratione alicuius momenti probabiliter oſtendi poteſt, quod à prima conditione contulerit Deus ſpeciale aliquod auxilium mundo, aut alicui eius parti pro ſua conſeruatione, neque id neceſſarium fuiſſe aliquando, vel tali auxilio indiguiſſe; ſed eodem concurſu, quo creauit materiam primam, & rationales animas, illam quidem formis vnitam, has vero materiæ, eodem inquam eas conſeruat, neque maiori indigent, cum conſeruatiõ ſit continuata ipſa productio. Vnionem vero materiæ, cum formis per continuas corruptiones diſſolutam mediis ſecundis cauſis nouas generationes cum ſolo concurſu generali edentibus reparat, & modo ſimili, quidquid elementa ſibi detrahunt per continuas, ac reciprocas actiones, & reactiones ex eadẽ ipſorum materia edu-

ctis nouis partibus formarũ reſtauratur, ſemper enim corruptionem vnius generatio alterius conſequitur, quia materia non poteſt naturaliter denudari omni forma: quod in futurum effici poſſe, vſque ad diem iudicij, facile conſtat, cum eædem res, eædemque cauſæ naturales, eodem modo ſe habentes, atque eodẽ modo ex determinatione ad vnum operantis permaneãt: nam idem, in quantum idem, & eodem modo ſe habens, eodemque modo operans, ſemper atque eodem modo idem efficit. Secundo, quia ad diuinam prouidentiã naturalẽ, & ordinariam ſpectat ſic mũdi exordium & continuationẽ attemperare proportionem, atque conſeruationem, & propagationẽ partium eius, vt nulli tantum permittat facultatem circa aliam, qua poſſit eam extinguere, immo nec notabiliter cõſumere, ſed in tali ordine continet omnes, vt eiſdem modis, cum eodẽque, ac ſolo concurſu, quo eas condidit, ſeſe reſtaurare poſſint, & in eodem ſtatu, ac diſpoſitione, quam habuerunt, à principio, conſeruare, ita ergo cenſendum ẽſt fieri, vſque ad diem iudicij, cum eundem ſtatum, eandemque diſpoſitionem habeat, & habiturus ſit mundus.

Aſſertio poſterior eſt: mundus in eo ſtatu, quem habiturus eſt, poſt diem iudicij, per totam æternitatẽ, non poteſt cum ſolo concurſu generali Dei, cum quo conſeruatur modo, conſeruari, ſed maiori, atque ſpecialiori indigebit, vt in eo conſeruetur. Hæc efficaci ratione probatur, quia ſtatus ille mundi longe diuerſus, & perfectior erit eo, quem habuit à principio: nam corpora ipſa, ex quibus componitur, nouam perfectionem accidentalem recipient, & non naturaliter eis debitam, ſed naturam eorum ſuperantem, in eo enim ſtatu cæleſtia corpora à propriis motibus quieſcent, vt colligitur ex illo Apocalypſis 10. vbi dicitur

tur iuraſſe Angelum per virtutẽ in ſecula ſæculorum, quod tempus non erit amplius, nimirum poſtquam alter Angelus tuba cecinerit, qua inſonante mortui ad vitam reuocabuntur, vt aſſeruit Paulus 1. ad Corinth. 15. Quod ſi tẽpus amplius non erit, neque motus cælorum eſſe poterit, cum quo realiter, vel idem eſt, vel ſine quo nullo modo eſſe poteſt. Et probatur ſatis cõgrua ratione, quia ceſſante fine, ceſſãt ea, quæ eius gratia ſunt conſtituta, ſed præcipuus finis, cuius gratia mouentur cæli, ſunt generatio, atque conſeruatio viuentium corporum, & aliorum, ex quibus fiunt, & aluntur: hæc vero omnia expleto nominum numero igne conſumentur, vt pluribus locis docent ſacræ literæ, præſertim 2. Petr. c. vltimo: ergo motus ipſe cælorũ ceſſabit. Præterea corpora ipſa cæleſtia ampliori luce veſtientur, iuxta illud, Iſai. 30. *Lux Lunæ, ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptẽpliciter:* quod explicans Iſaias, c. 60. ait. *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouã*, & Ioãnes Apoc. 21. *Vidi cælum nouum, & terrã nouam.* Elemẽta etiam non ſolum à corruptione, & viciſſitudine alterationum, vaporumque atque exhalationũ permixtione liberabuntur, ſed noua, atque eximia luce perfundentur, ita vt quaſi cæleſtia corpora reddantur, & in hoc nouo ac feliciſſimo ſtatu mũdum in perpetuũ permanſurum eſſe cẽſendum eſt, vt colligitur ex illo Eccleſiaſtes 3. *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus perſeuerent in perpetuum.* Sicut ergo maior erit neceſſarius concurſus, nouuſque, & ſuperadditus generali, per quem conditus fuit mundus: immo, & ſuperans naturalem ordinem, vt tale nouum eſſe eis conferatur, quantum ad noua, & perfectiſſima accidentia, ita nouus, ac ſuperadditus ſpecialis concurſus generali ſuperadditus omnino neceſſarius erit, vt in eodem nouo eſſe conſeruetur.

Ad primum in oppoſitum factum, conceſſo antecedenti, neganda eſt conſecutio, quod non poſſit mũdus, cum ſolo concurſu Dei generali conſeruari, quia neque ex parte materiæ, neque qualitatum contrariarum nouum poſtulat concurſum: ſed ſicut per ſolum generalem condita fuit materia prima, ita per ſolum generalem conſeruatur, cum conſeruatio non ſit aliud, quam continuatio eiuſdem eſſe recepti. Neque obſtat tali conſeruationi priuatio ei annexa, quia propter illam neceſſarium non eſt, quod decurſu temporis omni forma denudetur, ſed per ſolum concurſum generalem omnibus cauſis à principio conceſſum diſponitur, ac præparatur, pro noua forma ſuſcipienda, priori expulſa, & cum ea non ſecus atque cum præcedenti conſeruatur.

Contrarietas vero elementorum, atque qualitatum ſic eſt naturaliter attemperata, vt ſibi continua conſeruentur, & ſuperius ſit locus naturalis, atque conſeruatiuum inferioris, & ſi vnum aliqua ex parte alterum deſtruit, ab alio etiã viciſſim deſtruitur; ſed vtriuſque iactura reparatus partim ex materia alterius, partim vero ex materia aliorum, & ita conſeruatur naturalis integritas omnium, per ſolum generale auxilium eis, & ſuperioribus cauſis conceſſum, ad ſuas actiones, & reactiones exercendas. Quare non eſt eadem ratio de corpore mixto, ac de toto mundo: nam victrix qualitas, per quam diſſoluitur temperamentum ad conſeruationem ſubſtantialis formæ, totiuſque, compoſiti requiſitum, nõ poteſt ſemper ab eodem corpore per alteram qualitatẽ valde remiſſam ſuperari, aut iactura temperamenti reparari per ſolum concurſum generalem, & ideo neceſſitate naturæ periit tale compoſitum, per diſſolutionem temperamẽti modique vnionis materiæ cum forma. Mundus vero poteſt iactu

iacturam vnius corporis reparare per virtutem alterius,mediis continuis generationibus , ſolo concurſu generali factis,& ſemper efficiendis,vt expoſitum eſt.

Ad ſecundum de viuentibus corporibus, concedimus , aliquando filios parentum ſtaturam non adæquare,ſed etiam aliquando procerio es euadunt , non tamen poſſibile eſſe iuxta ordinem naturalem à diuina prouidentia in rebus conſtitutum,ſemperque continuatum , ad tam paruam quantitatem reduci viuentia corpora alicuius ſpeciei,in qua non poſſint naturaliter conſeruari , quia nec poteſt naturalis virtus vitalis eorum tantum deficere,nec alimenta,ex quibus nutriantur,cum pertineat ad eandem diuinam prouidentiam naturalem vim illorum & corpora , ex quibus alenda ſunt conſeruare;& id quidem, ſicut hucuſque fecit cum ſolo concurſu generali, efficiet etiam in futurum toto tempore , quo mundus in hoc imperfecto ſtatu generationum , & corruptionum duraturus eſt.

Tractatus de terminis potentiarum , & qualitatum.

EAdem,aut ſimilis eſt conſideratio de potentiis,& qualitatibus,& ideo de vtriſque differendum eſt, reuocatis in memoriā notionibus terminorum,paruitatis,& magnitudinis traditis ex inſtituto 1.Phyſic.

QVÆSTIO I.

An potentiæ actiuæ terminis magnitudinis,& paruitatis definiantur quoad intenſionem ſuorum effectuum.

QVæſtio procedit naturaliter , & negatiua pars, quod non poſtulent actiuæ potentiæ terminos

intrinſecos, nec extrinſecos magnitudinis, ac paruitatis, his argumentis probatur. Primo, quia virtus, ſeu potentia actiua proportionari debet paſſiuæ, nempe, ſubiecto, circa quod operatur, & in quo effectus recipitur; ſed potentia receptiua, ſeu paſſiua ſubiecti nullum terminum magnitudinis, aut paruitatis poſtulat; ergo neque potentia actiua agentis eum poſtulat: minorem probo, quia potentiam paſſiuam recipere effectum ab agente, eſt ab eo perfici; ſed quo plus perficitur, eſt capacior maioris perfectionis ſecundum intenſionem ſuorum effectuum: ergo data qualibet intenſione effectus, poteſt intenſiorem in infinitum recipere, quod repugnat, quin poſſit ab agente per potentiam actiuam eodem modo produci: quare neque habebit vllum terminum magnitudinis actiua potentia: & eadem eſt ratio de termino paruitatis, cum non ſit excogitabilis effectus à Deo remiſſus, quin remiſſiorem poſſit recipere ſubiectum ab agente, & ab hoc produci per actiuam potentiam.

Secundo probatur, quia corpora naturalia eo velocius mouentur, quo magis appropinquant ad centrum proprium, quod non eſt intelligibile, niſi intelligatur, grauitatem, aut leuitatem eorum eo magis creſcere, vel intendi: nam ſicut motus naturalis ſurſum, vel deorſũ procedit à grauitate, vel leuitate; ſic motus velocior à maiori, ſeu intenſiori. Si ergo centrum diſtaret in infinitum (vt conſtat fieri poſſe) creſceret in infinitum celeritas motus, & ex conſequenti grauitas, ac leuitas, quæ eſt potentia actiua, ac productiua motus: quare non poſtulat minimum verſus maximum, quod videtur expreſſe docere Ariſt. 4. c. huius libri textu 88. hiſce verbis: *Si autem infinitum eſſet, infinita vtique eſſet, & velocitas: ſi vero velocitas, & grauitas, & leuitas, &c.* Neque etiam verſus minimum habens terminũ, cum conſtet,

conſtet,magis, ac magis in infinitum decreſcere poſſe celeritaté motus,& ex conſequenti grauitaté,& leuitaté.Probatur tandem, quia ſi terminũ aliqué intẽſionis poſtularẽt,vel eſſet diuiſibilis,vel indiuiſibilis, ſed vterque eſt impoſſibilis;indiuiſibilis quidem, quia indiuiſibile,nec facit rem maiorem, nec minorem;ergo nec poſtulat maiorem virtutem, nec arguit minorem in agente, à quo per illam producatur: quare non eſt excogitabilis virtus, potens producere intenſionem infra indiuiſibile,quo terminatur, quin poſſit producere indiuiſibile ipſum, terminans eandem intenſionem;ſed intenſio infra indiuiſibile quodque eſt indeterminata,cum ſit in infinitum diuiſibilis: ergo cum ad illam exigatur productiua potentia,& non ad producendum indiuiſibile, non poterit eſſe determinata intrinſece,per maximum, quod ſic: ſed neque extrinſece, per minimum, quod non: quia impoſſibile eſt, potentiam poſſe producere intenſionem, infra indiuiſibile,quin poſſit producere ipſummet indiuiſibile; quare non poterit eſſe verum, quod non poſſit producere effectum tantæ intenſionis, & bene quemlibet minorem, hoc eſt enim minimum quod non:quare neque extrinſecus iſte terminus dari poteſt.

Vera tamen ſententia eſt, actiuæ potentiæ, ſecundum virtutem naturalem conſideratæ, terminum magnitudinis intrinſecum poſtulans, (qui dicitur maximum quod ſic) quo ad intenſionem ſuorum effectuum:paruitatis vero neque intrinſecum, neque extrinſecum. Vtramque partem tenent Patres Conimbricenſes 1.lib.de cælo,cap.11.quæſt.1.art.2. cum cæteris interpretibus eiuſdem capitis. Qui omnes ex eo deduxerunt, Ariſtotelem conceſſiſſe actiuis potentiis intrinſecum terminum magnitudinis quoad proprios effectus producendos, quod præcipue verum eſt de

inten

intenſione eorum. Probatur autem prima pars duplici argumento, quia potentiæ oriuntur ex ipſiusmet rei entitate, aut eſſentia, vel certe eam naturaliter ſequuntur: ſed eſſentia, vel entitas finita eſt, ac determinata, ita vt tantæ perfectionis ſit & non maioris, vt euidenti inductione conſtat in quibuſcunque rebus creatis: ergo naturales potentiæ eam conſequentes habent perfectionem eodem modo determinatam, hoc eſt, tantam, vt non maiorem, quod eſt habere determinatam, maximo quod ſic. Probatur conſequentia, quia non poteſt effectus perfectior eſſe eius cauſa; nec vllam habere perfectionem, quam ab eadem non accipiat; perfectio autem potentiæ præcipue conſiſtit in eo, quod effectum tantę intenſionis producere poſſit: ergo neceſſe eſt, definiri termino intrinſeco magnitudinis, quantum ad intenſionem effectus, ita vt vſque ad tantam perfectionem perducere eum poſſit, & non maiorem ei conferre.

Secundo, quia potentiæ naturales non impeditæ operantur ex determinatione, ad vnum, hoc eſt, ſine deliberatione, & ideo quantum poſſunt, aut ſecundum vltimum ſuæ virtutis: vt potentia ignis ad calefaciendum: ergo producunt ſemper effectum maximę intenſionis, ita vt maioris intenſionis producere non valeant, alioquin non operentur quantum poſſunt, quod patet eſſe impoſſibile: quare neceſſe eſt eis concedere terminum intrinſecum magnitudinis, quod vocatur maximum quod ſic: Quod communis conſenſus ſcholæ ſemper tenuit, tribuens igni calorem vt octo, vltra quem non poſſit creſcere, & pariter cęteris virtutibus elementorum, ac potentiis aliorum corporum.

Probatur deinde ſecunda pars, negans eis terminum paruitatis tã intrinſecum, quam extrinſecum triplici

plici ratione:& prima procedit ex primo modo operandi harum potentiarum,videlicet, per applicationem,ſeu approximationem ad paſſum, quia quo magis ei eſt approximatus ignis,v. g. intenſius illud calefacit, remiſſius vero, quo minus approximatur, aut magis ab eo remouetur, vt euidenti experientia notum eſt: ſed conſtat, poſſe magis, ac magis ab eo remoueri,ita vt nunquam poſſit tam remotū ab eo eſſe, quin poſſit plus remoueri, quo vſque extra ſphæram eius idem paſſum poſitum eſſe cenſeatur,& ab eo non poſſit vllo modo calefieri; ergo nullus datur tam remiſſus effectus,quin remiſſior dari poſſit in infinitum, quod eſt, nullum dari terminum, nec intrinſecum, nec extrinſecum paruitatis ſecundum intenſionem effectus in potentiis naturalibus.

Secundo probatur ex conatu potentiæ, quo modo operatur,de quo etiam eſt euidens,& experientia notum,quod non poteſt ita remiſſus eſſe,quin remiſſior adhuc in infinitum adhiberi poſſit à potentia:ſed conſtat,quo minorem præſtat conatum potentia ad operandum, eo remiſſiorem edere effectum; ergo data quacunque remiſſione eiuſdem effectus;remiſſior in infinitum poterit produci à potētia:quare nullum habet terminū paruitatis intēſio eius. Probatur tandem ex natura eiuſdem effectus,quia nō datur tā remiſſus calor,quin remiſſior in infinitum dari poſſit, ſicut nō datur tā parua quantitas,quin minor poſſit dari ſemper.Et eius ratio à priori eſt,quia imperfectio effectus in infinitum procedere poteſt.Ex quibus plane ſequitur, non dari effectum adeo imperfectum ab agente productum,quin imperfectior dari poſſit,& ex conſequenti,nullum dari terminū paruitatis,in proceſſione eius ad potentiam, nec ideo potentiam ipſam vllum habere terminum paruitatis intrinſecum,nec extrinſe-

trinſecum, quoad intenſionem effectus.

Ad primum argumentum conceſſa maiori, neganda eſt minor: nam cum potentia paſſiua ſit eius eſſentia, ſicut habet eſſentiam limitatam tantæ perfectionis, ita habet potentiam paſſiuam limitatam, & conſequēter terminatā termino magnitudinis intrinſeco, quæ non creſcit receptione effectus, quia verum eſt, tantæ perfectionis eſſe, & non maioris: ex ea igitur non probatur, quod actiua potentia, ſeu qualitas termino intrinſeco magnitudinis careat, quantum ad intenſionem effectus.

Ad ſecundum argumentum dicemus dubio ſequēti. Ad tertium reſpōdeo, terminum intrinſecum, quem poſtulat actiua potentia diuiſibilem quidem eſſe, ſed completum quoddam indiuiſibile, vltra quod nihil amplius poteſt producere. Quare nec ſolum latitudinem incompletam, aut interminatam importat, nec ſolum indiuiſibile eam terminans, ſed vtrumque, vel vt vno verbo explicetur, dicit latitudinem intenſionis completam vltimo indiuiſibili, vltra quod non poteſt potentia procedere; hoc autem non habet terminus extrinſecus, vt conſtat, quia nec importat latitudinem intenſionis completam, aut terminatam, ſed interminatam, & quaſi indefinitam, quam idcirco non intelligimus, nec explicamus per tantum calorem, & non plus, ſed per non tantum, & bene quodcunque minus. Quod vero dicitur, potentiam eo ipſo, quod poteſt producere latitudinem infra indiuiſibile, quo terminatur, aut completur, poſſe etiam producere idem indiuiſibile complens, quia non requiritur maior virtus ad producendum indiuiſibile, verum eſt: ſed ex hoc non bene infertur, idem eſſe, potentiam terminari extrinſecè, minimo quod non, & intrinſece, maximo quod ſic: nam maximum quod ſic non

non dicit latitudinem intenſionis terminatam proprio indiuiſibili, quomodocunque, ſed ita vt vltra illam nihil amplius producere poſſit, quo pacto ſumptam repugnat, produci à potentia non poſtulante intrinſecum terminum magnitudinis, ſed ſolum extrinſecum: nam de ratione potentiæ talem terminum poſtulantis (ſi daretur) foret, vt data quacumque latitudine intenſionis completæ ac terminatæ à ſe producta, maiorem poſſet producere, quod patet repugnare potentiæ terminatæ termino magnitudinis intrinſeco. Itaque diſcrimen inter vtrumque terminum, ac potentiam, non conſiſtit in ſolo indiuiſibili, ſed in latitudine intenſionis per eum completa cũ tali modo; vt ſic eam producere poſſit potentia, vt non plus poſſit, quod conſtat conuenire potentiæ poſtulanti intrinſecum terminum magnitudinis, & omnino repugnare ei, quæ extrinſecum tantum poſtulat. Dari vero potentiam vtrumque poſtulantem, contradictionem implicat, ſicut contradictio reperitur in ipſis terminis, quia tantum poſſe, & non plus, quod eſt terminari, maximo quod ſic, & tantum non poſſe, ſed quodcunque minus, quod eſt terminari minimo quod non, manifeſtam continet repugnantiam, vt conſideranti facile patebit.

DVBIVM.

An neceſſe ſit corpus naturale ad ſuum centrum naturaliter motum velocius ſemper moueri, quo magis ad ipſum appropinquat.

AD ſecundum argumentum ſupra propoſitum reſpondent Patres Conimbricẽſes 1.lib.de cœlo, cap.11.quæſt.1.art.3. concedendo corpus naturale motum

motum ad ſuum centrum velocius moueri, quo magis ad ipſum accedit ob augmentum grauitatis, vel leuitatis, non tamen ideo (aiunt) creſcet velocitas in infinitum infinite protracta diſtantia centri, ſicut nec grauitas iſta, vel leuitas, qua perueniente ad certum gradum intenſionis ſibi intrinſecum ceſſabit intenſio, & de cætero motus eadem prorſus vniformi celeritate procedet, quod augmentum grauitatis vocant, grauitatem accidentalem 2. libro, cap. 6. quæſt. 1. artic. 2. id eſt, impulſum emanantem à corpore graui, ratione naturalis grauitatis, dum ad proprium centrum mouetur. Alij vero dicunt, corpus media propria grauitate, & motu, hanc grauitatem accidentalem ſibi imprimere, & alij media hac grauitate accidentali docent, ingenitam, & propriam grauitatem confortari, verum relati ſolum inter ſe differunt in modo loquendi.

Sed vtrumque aſſertum nobis diſplicet, primum quidem, quia ſine aliquo fundamento rationis dicitur à grauitate naturali emanare accidentalem, ſeu aduentitiam, cum à nulla alia qualitate, ſeu potentia naturali emanet alia ſimilis accidentalis, ſeu aduentitia, non à calore, nec frigore, nec ab alia ſecunda qualitate (vt euidenti inductione cuicunque poteſt conſtare) ergo nec à grauitate, & leuitate emanare poteſt, cum nulla aſſignetur ſpecialis ratio ex parte earum talis emanationis, & ſolum videatur conficta ad reddendam rationem, ob quam motus naturalis ſit velocior in fine, quam in principio & medio. Et poteſt vrgeri hoc argumentum, quia grauitas hæc accidentalis non eſt pondus, ſicut naturalis, cum conſtet lapidem non habere plus ponderis, dum eam habet, quàm dum eſt ſine illa, ſi ad trutinam examinetur: ſolum igitur poteſt eſſe impulſus

pulſus, quem ſibi imprimit per motum, ſed omnes impulſus à quocumque, & quomodocũque impreſſi ſunt eiuſdem ſpeciei, quia omnes poſſunt mouere corpus verſus quamlibet differentiam loci,iuxta directionem imprimentis: ergo ſequitur impulſus eſſe eiuſdem ſpeciei cum cæteris. Vt cum eo, quem aliquis imprimeret lapidi,dum mouetur deorſum, vnde ſequitur non poſſe emanare ab ipſo lapide, ſed extrinſece impreſſus eſſe debet à ſe,vel alio: ab alio vero conſtat non imprimi,ſed nec à ſe,vt mox probabitur,ergo falſa eſt prædicta ſententia.

Præterea,impoſſibilis probatur talis emanatio grauitatis accidentalis,eo præſuppoſito,quod ab auctoribus huius ſententiæ dicitur, nempe grauitatem accidentalem non emanare à naturali ſecundum ſe, nec dum corpus quieſcit,ſed ſolum dum mouetur,ex quo euidenter ſequitur,medio motu,vt minimum,tanquã cauſa,ſine qua nõ, vel conditione emanare,quare neceſſe eſt, motum ſe tenere ex parte agentis, nempe grauitatis naturalis,eſſeque vt minimum natura priorem impulſu, vel grauitate accidentali, eo medio emanante, & aliquo modo cauſam, aut cauſationem eius. Quemadmodum approximatio agentis ad paſſum prior natura eſt effectu producendo; quare repugnat eundem motum eſſe effectum eiuſdem impulſus, aut grauitatis accidentalis, & natura poſteriorem ea in eodem ordine efficientis cauſę:ſed id ſequitur neceſſario ex tali doctrina, ergo plane falſa cenſeri debet. Probatur vero, quia euidens eſt, motum procedere à grauitate naturali, tanquam à cauſa effectiua: ergo euidens eſt, velociorem motum procedere à tali grauitate accidentali (ſi datur) ſe tenente ex parte eiuſdem grauitatis naturalis, & ideo cum ea concurrente ſuo modo effectiue ad eundem

motum celeriorem, & ex conſequenti eſſe natura priorem eo, & tandem non eſt minus euidens, eundem motum ſe tenere ex parte grauitatis naturalis ad cauſandam grauitatem accidentalem, quæ non niſi per motum, vel medio motu emanat ab ea iuxta hanc ſententiam. Ergo euidens eſt eundem motum eſſe cauſam, ſeu cauſationem eiuſdem grauitatis accidentalis, & proinde natura priorem ea: habet ergo ratione cauſæ, & effectus reſpectu eius, & eſt prior natura, atque etiam poſterior ea in eodem genere efficientis cauſæ, quod manifeſtam continet repugnantiam. Argumentum hoc efficaciſſimum ſolum hac via eludi poſſet, ſi diceretur, non eandem partem motus eſſe cauſam, & effectus grauitatis accidentalis, quia hoc plane repugnat, ſed diuerſam, ita vt media priori parte motus velocioris emanet pars eiuſdem grauitatis, non quidem concurrens effectiue ad eandem partem motus, nec prior natura ea, ſed poſterior tamquam effectus eius, concurrens vero effectiue ad partem motus ſequentem, quæ ab ea procedit tanquam effectus, & natura poſterior. Cæterum euaſio hæc non minus euidenter falſa oſtenditur. Primo quidem, quia accidentalis grauitas producitur medio motu, tanquam cauſa, ſine qua non, vel cauſatione aut conditione: ergo eodem, modo quo incipit motus, incipit productio grauitatis, videlicet per vltimum non eſſe. Quemadmodum ergo verum eſt dicere, nunc non eſt motus, & immediate poſt erit, ita verum eſſet dicere, nunc non eſt productio grauitatis, & ex conſequenti grauitas ipſa, & immediate poſt erit. Præterea, ſicut verum eſt, in toto tempore immediato eſſe motum, ita debet neceſſario eſ-

ſe

ſe verum, in toto tempore immediato eſſe grauitatem, ita vt nulla poſſit dari motus pars, immediate poſt,cui non reſpondeat aliqua pars grauitatis ea media emanans: ſed ita naturaliter, & neceſſario procedit velocior motus à grauitate accidentali, & ſingulæ partes eius correſpõdent ſingulis partibus grauitatis accidẽtalis:ergo omnino neceſſarium eſt,totũ motum futurũ immediate poſt,& omnes eius partes procedere à tota grauitate,& omnibus eius partibus, & eodem modo totam grauitatem,& omnes eius partes procedere à toto motu,& omnibus eius partibus,& id quidem in eodem genere efficientis cauſæ,ex quo neceſſario etiam ſequitur,totum motum futurũ,& omnes eius partes eſſe cauſam totius grauitatis, & omnium partium eius, atque etiam effectũ eſſe priorem natura,ac poſteriorem in eodem ordine efficientis.

Secundo vero falſa oſtenditur euaſio,quia ſi grauitas accidẽtalis emanat à naturali medio motu,& ideo emanatio eſt ſucceſſiua: ergo neceſſe eſt,partem grauitatis accidentalis in eadem duratione exiſtere cum eadem parte motus præcedente, qua media emanat. Probatur conſequentia, quia quilibet effectus debet coexiſtere in eadẽ duratione ſuæ cauſę,vel cauſatione, aut conditione actu eã cauſante,in eadẽ quidem duratione inſtantanea,ſi in inſtanti operetur cauſa,vel ſucceſſiua,ſi operetur ſucceſſiuè.Verum igitur eſt,ac neceſſarium,lapidẽ eodem tempore partis motus pręcedentis habere maiorem grauitatẽ, quam petit eadem pars motus:ergo neceſſe eſt,tũc velocius moueri,quia ex maiori grauitate ſequitur, naturaliter motus velocior,ſed eo tempore habet lapis maiorem grauitatem: ergo eodem tempore neceſſario debet habere motum velociorem.Et vrgeri poteſt idem argumentum, ac declarari ſimul hoc modo: ſi motus fieret in in-

Digitized by Google

ſtanti, & eo medio emanaret velocitas, in eodem inſtanti, in quo eſſet motus, emanaret: ita vt verum foret in primo inſtanti in quo eſſet motus, dari etiam primam grauitatem accidentalem, ſed in eodem inſtanti, in quo eſt cauſa naturalis, producit ſuum effectum in inſtanti producibilem, ergo in eodem inſtanti ſequeretur accidentalis grauitas cauſata medio motu, quem neceſſario ipſa producit, & ita motus, eademque grauitas erit prior natura, atque poſterior, atque etiam cauſa, & effectus in eodem ordine efficientis.

Poſtremum vero, quod aſſerit eadem ſententia, nempe dilatato ſpatio in infinitum, inter terminos motus grauis, aut leuis corporis per virtutem diuinam, non moueri ſemper velocius, quo magis appropinquaret ad centrum, ſed ſolum vſque ad certam diſtantiam: reliquum vero viæ vſque ad centrum eadem velocitate conficere, falſum nobis etiam videtur, & omnino neceſſarium, quod celerius ſemper moueretur, quod ſic probo: cauſa naturalis grauitatis accidentalis eſt grauitas naturalis, à qua emanat medio motu, & medio motu velociori emanat intenſior grauitas accidentalis, quod conſtat ex toto motu lapidis à concauo lunæ vſque ad centrum terræ: ſed dum lapis ſuo motu tendit in centrum, adeſt eadem naturalis cauſa intenſioris grauitatis, nempe eadem grauitas naturalis, & intenſior grauitas accidentalis cum velociori motu: ergo naturaliter procedet ab ea intenſior effectus, qui eſt intenſior grauitas accidentalis, & eadem eſt ratio de cæteris partibus motus vſque ad centrum, quare ſemper erit neceſſarium, celerius moueri lapidem, quo magis ad centrum appropinquat. Et ſi reſpondeant, eandem eſſe cauſam naturalem intẽſioris grauitatis accidenta

dentalis, à qua intenſior procederet, niſi haberet ex propria natura intrinſecum terminum ſuæ intenſionis, qui vocatur maximum quod ſic, & quem excedere non poteſt naturaliter: in primis ſolutio hæc manifeſtam continet petitionem principij, tum quia pro ratione reddit illud, de quo eſt controuerſia, nempe, an potentiæ, & qualitates habeant terminum intrinſecum ſuæ intenſionis verſus maximum, tum etiam, quia præſupponit id, quod probandum eſt: nam licet de potentiis, & qualitatibus naturalibus, quæ ſequuntur naturas rerum, ſecundum ſe conſideratas, probatum ſit terminum magnitudinis intrinſecum ſuæ intenſionis habere, de cæteris vero, quæ eas ſequuntur, media aliqua cauſa extrinſeca, neque probatum eſt, neque probari poteſt, vt ſtatim oſtendemus; & tandem neque in his, neque in illis poſſibile eſt naturaliter, quod ex vna parte poſtulent talem terminum, & ex altera detur naturalis cauſa, à qua vltra illum intendi poſſint, quia ſi effectus eſt naturaliter impoſſibilis, impoſſibilis quoque cenſenda eſt naturaliter cauſa, vt patet in viuetibus, quod eo ipſo, quod poſtulant terminum intrinſecum magnitudinis, poſtquam illum pertingunt, nulla poteſt dari naturalis cauſa maioris augmenti, ſed potentia nutritiua, & augmentatiua, quarum virtute peruenerunt ad terminum, non poſſunt iam plus ſubſtantiæ conuertere, quam deperdetur: immo limitatio harum potentiarum, vel cuiuſcumque alterius cauſæ potentiſſima ratio eſt eis concedendi intrinſecum terminum. Vnde ſequitur, quod ſi qualitatibus concederetur talis terminus intenſionis intrinſecus concedi non poſſit, quod poſtquam eum pertingunt, poſſit dari cauſa naturalis maioris intenſionis earum, & eo ipſo, quod dari poſſit, nequit eis talis terminus concedi.

Vera igitur ſolutio illius argumenti hac diſtinctione explicanda eſt: Potentiæ, & qualitates actiuæ duplices ſunt, quædam namque ex propria natura rebus conueniunt, vt igni calor, & frigus aquæ, vera grauitas, & leuitas elementis, ac mixtis. Aliæ non quidem ex propria natura eis conueniunt, ſed ab extrinſeco eis imprimuntur, vt impulſu proiectis, & intenſio conuenit illis ex propria natura, à qua procedunt, & propterea limitata eſſe debet, atque definita per terminum magnitudinis intrinſecum, ſicut ipſa natura: cæteræ vero qualitates (vtpote propriam naturam rerum non conſequentes, ſed ab extrinſeco impreſſæ) non poſtulant talem terminum intrinſecum, ſed extrinſecum tantum, ita vt licet actu infinitam intenſionem habere non poſſint, bene tamen quamlibet finitam, quantumcumque magnam, quia in rebus, quibus ab extrinſeco imprimuntur, ſolum poſtulant potentiam obedientialem paſſiuam, ſeu receptiuam, non petentem intrinſecos terminos, & cum impulſus corporibus impreſſus ad motum huius ſit conditionis, caret termino intenſionis intrinſeco. Vnde ſequitur, quod ſi imprimatur lapidi deorſum moto, poterit ſemper de nouo imprimi intenſior, per quem celerius ſemper moueatur, quo magis appropinquat ad centrum, quod verum erit, ac neceſſarium, quantumcumque centrum diuina virtute ſeparetur à loco, à quo moueri cœpit, ita vt numquam contingat, immo neque poſſit contingere, motum eius centro propinquiorem æqua celeritate fieri, ac magis ab eo diſtantem, ex quo nullum incommodum ſequi, facile poterit cuique conſtare.

QVÆ

QVÆSTIO II.

An potentiis actiuis concedendus ſit terminus intrinſecus quoad extenſionem ſuorum effectuum.

SEnſus quæſtionis eſt, an potentiæ actiuæ ad quamlibet diſtantiam ſpatij effundere poſſint proprios effectus, vt ignis producere calorem in aquam, quantumlibet à ſe diſtantem, vel ad tam magnam, vt non ad maiorem. Et de termino paruitatis, res eſt certa apud omnes nullum poſtulare, quia euidens eſt, agens non ſolum poſſe effectum proprium effundere in paſſum, vel circa ſpatium ſibi propinquius, ſed perfectius eum effundere, vt ignis fortius calefacit aquam, aut lignũ, quo ſibi propinquius eſt: ergo impoſſibile eſt ad tantam diſtantiam extendere effectum, quin poſſit ad minorem, ac minorem in infinitum, immo quin poſſit quo minor eſt, perfectius illum extendere, quod eſt nullum terminum paruitatis admittere.

Sed aduerſus hanc veritatem opponi poſſunt potentiæ ſenſitiuæ, de quibus euidens eſt obiectum ita proximum organo ſenſus poſſe percipere, vt ſi proximius accedat, non percipiatur, & multo minus, ſi ſupra organum ipſum, vel potentiam ponatur, quod de ſenſibus ſaltem medium externum poſtulantibus, vt de viſu, & auditu, atque odoratu docet experientia. Iſtæ ergo potentiæ poſtulabunt neceſſario terminum paruitatis intrinſecum, quo ad extenſionem ſuorum effectuum, vel operationum. Probatur conſequentia ex definitione intrinſeci termini paruitatis, qui eſt tanta diſtantia ad quam poteſt produci effectus, ita vt ad minorem non poſſit, quod expreſſe videtur aſſe-

ruiſſe Ariſtoteles lib. de ſenſu,& ſenſibili, capite vltimo ad finem hiſce verbis: *Eſt itaque aliquid vltimum diſtantiæ,vnde non videtur, & primum vnde videtur, hoc itaque neceſſe in diuiſibili eſſe, vltra quodque non contingit ſentire exiſtens, circa autem neceſſe ſentire.*

Pro ſolutione adnotare oportet in ſenſationibus duo reperiri, primum eſt immutatio potentiæ ſenſitiuæ ab obiecto, quæ eſt impreſſio ſpeciei, & receptio eius in eadem potentia. Secundum operatio ipſa vitalis, quam elicit potentia informata ſpecie, nempe, viſio, vel auditio, & impreſſio quidem ſpeciei non eſt actio, aut operatio potentiæ, ſed obiecti in ipſam: ex parte vero eiuſdem potentiæ ſola receptio aut paſſio: operatio vero eſt ab ipſa potentia ſimul, & obiecto media ſpecie concurrente cum illa, tanquam ab vno principio, per quam operationem non agit potẽtia in obiectum,neque in aliquid aliud, quia non eſt actio tranſiens,ſed intra ſe producit per illam ſpeciem expreſſam,in qua cõſiſtit ſenſatio, ſeu perceptio obiecti ſenſibilis.Et ex his ſoluitur argumentum oppoſitũ conceſſo antecedente, quod detur determinata diſtantia,à qua,& nõ à minori poſſit potẽtia ſentire obiectum: negando tamen ex hoc ſequi, quod potentia actiua ad tantam diſtantiam extendat ſuum effectũ,& non ad minorem,quia ſenſatio non eſt effuſio,ſeu extenſio effectus per ſpatiũ, cum cõſtet ſenſationem,vel ſpeciẽ expreſſam non produci, vel extẽdi circa ſpatiũ,vel vſque ad obiectum,ſed intra potẽtiam ipſam remanere:poſtulat vero ad hanc operationem intra ſe eliciendam certam diſtãtiam obiecti à ſe tanquã conditionem neceſſariã,quod conſtat non eſſe terminari quo ad extenſionem ſui effectus, ſed neque ſequitur actionẽ obiecti in potẽtiã(quæ vere eſt effuſio,ſeu extẽſio ſui effectus ad mediũ,& potẽtiã termi-
nari

nari verſus paruitatem: nam licet potentia non percipiat obiectum, niſi ad aliquam diſtantiam, cæterum, à quocunque, & quantumcunque minima imprimit ei obiectum, propriam ſpeciem, quia diſtantia obiecti conditio potentiæ eſt ad percipiendum obiectum, nō conditio obiecti, ad agendum, circa potentiam, & extendendum proprium effectum per medium circa illam. Vnde conſtat, potentiam actiuam obiecti, ad extendendum proprium effectum, nullum paruitatis terminum poſtulare: neque id probare teſtimonium Ariſtotelis, etiā vt verba eius ſonant intellectū. Quia ex eo, quod detur certa diſtantia, à qua primum videri color, & audiri ſonus poſſit; non tamen datur ex hoc terminus extenſionis alicuius effectus actiuæ potētiç, aut virtutis obiecti, verſus minimum, vt oſtenſum eſt.

Solum igitur poteſt quæſtio procedere de termino intrinſeco magnitudinis, an videlicet ad tantam diſtantiam poſſit extendere proprium effectum potentia, ſeu qualitas actiua, vt non ad maiorem. Cui hac diſtinctione reſpondendum cenſent Patres Conimbricenſes 1.lib.de cælo, c.11.q.3.art.1.diſtātia ſpatij, ad quam potentia actiua proprium effectum poteſt extendere, dupliciter conſideranda eſt, aut includēdo vltimum indiuiſibile, quo clauditur, aut terminatur, vel illud excludendo, & priori modo potentiæ actiuæ non habent terminum intrinſecum, quo ad diſtantiam, ſeu extenſionem ſpatij, ſed tantum extrinſecum, è contrario autem poſteriori modo.

Probant primo hoc argumento, conſtituto, quod luminoſum poſſit ad tria ſtadia ſpatij, nempe, aeris, effundere lumen, & vlterius non poſſit, & tunc ita arguunt. Lumen effuſum per totum illum aerem non poteſt attingere vltimam ſuperficiem claudentem eandem extenſionem aeris, ſed ſolum ſe extendere ad

totam latitudinem diuiſibilem eius eadem ſuperficie clauſam, ita vt in ea recipiatur: ergo verum erit ad totam latitudinem aeris ſe extendere lumen, & vlterius non ſe extendere, ſed hoc eſt intrinſece terminari per illam verſus magnitudinem, vt ex definitione intrinſeci termini magnitudinis conſtat: ergo hunc poſtulat actiua potentia, quo ad extenſionem ſui effectus. Minorem ita probat: vel lumen in ea ſuperficie receptum eſt alicuius intenſionis diuiſibilis, vel indiuiſibilis: ſed indiuiſibilem intenſionem dari repugnat: ergo neceſſe tale lumen habet intenſionem diuiſibilem, præſertim cum minorem habeat, quàm cætera indiuiſibilia præcedentia ſpatij agenti proximiora. Eam igitur intenſionem neceſſe erit ad partem ſibi proximiorem effundere, eam illuminando. Probatur conſequentia, quia nullum accidens productiuum ſibi ſimilis, ad tam remiſſum gradum peruenire poteſt, quin remiſſiorem poſſit producere in paſſo ſibi approximato, ſeſe porrigendo vſque ad non gradum. Quare falſum erit, quod ſupponitur, illam ſuperficiem pertinere ad terminum intrinſecum extenſionis luminis, aliquid eius in ſe recipiēdo, & totā extenſionem eius intrinſecè claudendo, ita vt vlterius non ſe extendat. Et conſequenter erit etiam falſum, dari terminum intrinſecum luminis, vel alterius actiuæ qualitatis verſus magnitudinem, quo ad extenſionem. Poſtremo vero facile oſtendunt, quia ſi effectus non extenditur ad ſuperficiem claudentem, ſeu terminantem totum ſpatium, illa erit terminus, ad quem non ſe extendit effectus agentis, bene tamen extenditur ad totam latitudinem per eam terminatam: ergo eſt terminus extrinſecus.

Hæc tamen ſententia videtur mihi plane falſa, quantum ad vtrunque, quod probo, primo argumen-

to ad hominem hoc modo. Ideo aſſerit lumen, vel quamlibet aliam qualitatem actiuam proprium effe-ctum extendere per totum ſpatium trium ſtadiorum, vſque ad ſuperficiem ipſum terminantem, non quidem incluſiue, ita vt in ipſamet ſuperficie recipiatur, ſed excluſiue tantum, ita vt in tota, ac ſola latitudine ſpatij, ipſa vero ſuperficies non illuminetur. Hoc itaque ſic neceſſario fieri (aiũt) quia ſi ſuperficies aliquid luminis reciperet, neceſſarium foret, vt in parte ſequenti illud produceret, quia agens approximatum paſſo, naturaliter & neceſſario in ipſum agit, quare nõ poſſet ſuperficies eſſe terminus intrinſecus extenſionis effectus, cum vltra illam ſe extenderet. Sed hoc quidem ſequitur de tota latitudine ſpatij, ſuperficie clauſa: ergo non poterit hæc (vt aiunt) eſſe terminus intrinſecus, nec ſuperficies extrinſecus. Antecedens ſic oſtendo. Lumen recipitur in tota latitudine: ergo neceſſario debet produci in ſuperficie eam terminante, & in ea recipi. Probatur conſequentia eodem argumento eorum: quia ſi lumen receptum in ſuperficie, neceſſe eſt, quod in parte ſequenti producatur, quia agens naturale neceſſario extendit ſuum effectum ad paſſum ſibi approximatum: ergo lumen receptum in tota latitudine ſpatij, ſuperficie terminata, neceſſario producit, atque extendit ſuum effectum ad eamdem ſuperficiem. Probatur euidenter conſequentia, quia non eſt ipſa minus approximata parti ſpatij illuminati, quam terminat, quàm pars ſequens ſit approximata ſibi: ergo nec minus recipit lumẽ ab illa, quã producat in hãc, quare nec poteſt eſſe terminus intrinſecus tota latitudo ſpatij excludens ſuperficiẽ: nec poteſt eadem ſuperficies excludi à receptione effectus, vt ſit terminus extrinſecus extenſionis eius. Eodem igitur argumento eorum aduerſus propriam ſententiam

tiam retorto, probatur falſa.

Sed rurſus eam impugno duplici argumento. Primo, quia ſi ab effectu producto per totam latitudinem ſpatij excludatur ſuperficies ipſum includens, ſequitur non dari vllum terminum magnitudinis intrinſecum earundem potentiarum, aut qualitatum, quoad extenſionem effectus, quem tamen oppoſita ſententia eis concedit. Probatur conſequentia, quia talis terminus vel eſt ſuperficies, vel latitudo ab ea clauſa: non primum (vt concedunt ipſi) & probat euidenter ratio: cum ad eam non perueniat effectus, nec in eadem recipiatur, quod ad rationem intrinſeci termini à primo neceſſarium eſt. Sed nec tota ipſa latitudo, in qua lumen recipitur, intrinſecus terminus eſſe poteſt. Probatur minor: nam terminus extenſionis intrinſecus magnitudinis debet eſſe quid certum, ac determinatum, ad quod effectus perueniat, & vlterius non ſe extendat: ſed latitudo totius ſpatij, excluſa ſuperficie eam claudente, non eſt quid determinatum, cum non habeat vltimam partem, ſed qualibet ſignata habeat vlteriorem aliam in infinitum: ergo repugnat eſſe terminum intrinſecum extenſionis effectus.

Et ſi dicas, eſſe determinatam, quia clauditur ſuperficie: probo aperte id non ſufficere, vt ſit intrinſecus terminus, quia terminus intrinſecus talis eſſe debet, vt ad illum perueniat effectus, ſed conſtat non peruenire ad ſuperficiem; ergo impoſſibile eſt, ſuperficiem terminare latitudinem, vt recipientem effectum, ſed quantum ad receptioné effectus, ita ſe habet latitudo, ſpatij, ac ſi per illam non terminaretur, nec vllum prorſus haberet terminum. Quare eius ratione non poteſt vllo modo latitudo ſpatij recipiens lumen eſſe terminus intrinſecus extenſionis eius, ſed extrinſecus

tantum.

tantum.Itaque latitudo ſpatij materialiter tantum accepta,vt eſt extenſio ſpatij, intrinſece terminatur tali ſuperficie, cæterum, vt eſt paſſum, ad quod, & per quod extenditur lumen,repugnat eam terminari, niſi ratione prorſus extrinſeca: quia quod lumen non recipit,nec poteſt intrinſece pertinere ad ſpatium, per quod aliquid extenditur,vt conſtat euidenter in motu locali facto per ſpatium,ad quem motum non poteſt pertinere vltimum indiuiſibile, claudens idemmet ſpatium,niſi ad illud perueniat mobile, habens in eo præſentiam indiuiſibilem terminantem intrinſece motum. Pari ergo ratione vltimum indiuiſibile ſpatij, per quod ſe extendit lumen, nequit pertinere ad terminum intrinſecum talis extenſionis, niſi ad ipſum perueniat lumen,in eoque recipiatur.

Secundo probatur,quia ſi latitudo ſpatij,in qua lumen producitur, poſſet eſſe terminus intrinſecus extenſionis eius, non recepto lumine in ſuperficie eam terminante, euidenter ſequitur, terminum magnitudinis extrinſecum, qui vocatur minimum quod nõ,eſſe intrinſecum, qui vocatur maximum quod ſic, & ideo res omnes cuiuſque generis, & ordinis habere intrinſecum terminũ magnitudinis. Probatur conſequentia;quia in minimo quod non,verum eſt, ac neceſſarium effectum non peruenire ad certum aliquod quod conſtat habere modum, vel rationem indiuiſibilis,cum ſit vltimum quid,quo clauditur tota latitudo,ad quam peruenit idem effectus, bene tamen peruenire ad totam ipſam latitudinem tali indiuiſibili clauſam:ſed hoc ſufficit in extenſione luminis, vel alterius effectus(iuxta hanc ſententiam)vt latitudo ipſa ſit terminus intrinſecus magnitudinis potentiæ quo ad extenſionem,qui eſt maximum quod ſic:ergo quilibet terminus magnitudinis extrinſecus cuiuſlibet

rei,

rei, qui eſt minimum quod non, erit intrinſecus, qui eſt maximum quod ſic, quod patet eſſe falſum.

Noſtra ergo ſententia eſt, potentias actiuas, actiuaſque qualitates, quoad extenſionem poſtulare intrinſecum terminum magnitudinis proprio indiuiſibili clauſum, ita vt vſque ad illud incluſiue poſſint extendere proprium effectum eum in toto ſpatio, atque etiam in eodem indiuiſibili effundendo, & non alterius. Quam in primis colligo euidenter ex Diui Thomæ doctrina 1.2.quæſt.5.artic.6. ad 2. vbi ſic loquitur. *Nec etiam omnia, quæ ſunt illuminata, aut calefacta, poſſunt alia calefacere; aut illuminare, ſic enim illuminatio, aut calefactio eſſent vſque ad in infinitum.* Sentit igitur ſphæram actiuitatis cuiuſlibet agentis extendi vſque ad aliquid determinatum, quod quidem calefieri, aut illuminari poſſit ab eo, ſed non poſſe aliud iuxta ſe poſitum calefacere, vel illuminare: ergo hoc eſt vltimum ad quod poteſt agens extendere actionem, & vltra illud non poteſt, quod eſt extenſionem ſui effectus procedere vſque ad vltimum incluſiue, hoc eſt circa quod producatur, & vltra illud non tranſeat.

Probatur deinde ratione: primo, quia impoſſibile eſt, potentiam, ſeu actiuam virtutem, poſſe extendere propriũ effectũ per aliquã latitudinẽ ſpatij, & nõ poſſe eã cõmunicare vltimo indiuiſibili, ſeu ſuperficiei terminãti, atque, claudẽti eã, vt aſſerit oppoſita ſententia: ergo neceſſarium eſt, terminum propriæ extenſionis idem indiuiſibile claudere, & ex conſequenti talem potentiam poſtulare intrinſecum terminum proprio indiuiſibili clauſum, ad quod idem effectus ſe extendat. Antecedens probo, quia agens poteſt producere ſuum effectum, circa totam latitudinem ſpatij, tali ſuperficie clauſum: ergo poteſt eum producere circa eandem ſuperficiem claudentem, & ex conſequenti

actu

actu producet, cum operetur naturaliter, & ſecundum vltimum potentiæ. Probatur conſequentia quia indiuiſibile terminans latitudinem ſpatij, non efficit eam maiorem, & ex alia parte capax eſt eiuſdem effectus, & non impeditum ad illum recipiendum: ergo non poſtulat maiorem virtutem in agente, vt ad ſe extendat effectum, quam vt eum extendat circa totam latitudinem à ſe terminatam: ideo neceſſe eſt, indiuiſibile effectus in tali ſuperficie produci eo ipſo, quod circa latitudinem ſpatij producitur, vt ſit terminus extrinſecus talis effectus proprio indiuiſibili completus, ſicut latitudo ipſa ſpatij, in qua producitur, proprio indiuiſibili terminata eſt.

Secundo probatur, quia terminus intrinſecus magnitudinis eiuſdem rationis eſt in qualitate, quo ad intenſionem effectus, & quoad extenſionem, cum eodem modo definiatur in omnibus, ſed in quantitate importat tantam, ad quam poteſt peruenire corpus, & non ad maiorem, & pariter in intenſione, & eiuſmodi tanta, ad quam poteſt peruenire, claudit neceſſario indiuiſibile terminans, pari ergo ratione terminus intrinſecus extenſionis effectus importare debet. Probatur minor, quia quantitas non eſt tanta, niſi ratione indiuiſibilis eam terminantis: nec qualitas ſecundum intenſionem eſt tanta, niſi indiuiſibili eiuſdem intenſionis compleatur, vt calor non eſt tantus, hoc eſt vt vnum, aut dimidium, niſi compleatur indiuiſibili eiuſdem intenſionis: ergo nec poteſt eſſe, aut dici tantus quoad extenſionem, niſi indiuiſibile extenſionis includat. Vnde ſequitur, totam latitudinem ſpatij non eſſe tantam, niſi includat ſuperficiem eam terminantem, nec tantum eſſe calorem, aut lumen, niſi includat indiuiſibile luminis, aut caloris producti in eadem ſuperficie indiuiſibili terminante extenſionem

nem eiuſdem effectus.

Ad argumentum reſpondetur negando, quod lumen intenſum receptum in ſuperficie ſpatij poſſit vlterius illuminare, & idem contra Doctores primæ ſententiæ inferri poteſt de lumine intenſo producto in latitudine ſpatij comparatione ſuperficiei terminantis ſpatium. Quare miror hanc ſententiam negantem ex vna parte lumen in latitudine ipſa ſpatij receptum illuminare ſuperficiem ſe terminātem, & colligentem ex altera, quod ſi recipiatur in ſuperficie debeat illuminare, ſeu lumen producere in parte ſequenti. Deinde vero oſtendo non eſſe bonam conſequentiam, quia vt bene adnotauit D. Thomas verbis illius teſtimonij ſuperius relatis; neque omne calidum poteſt calefacere paſſum ſibi proximum, neque omne illuminatum illud illuminare, quia cum euidens ſit, longe maioris perfectionis eſſe, ſe communicare alteri, per aliquam formam agendo in illud, quam habere eſſe, vtcunque per talem formam, euidēs quoque erit, maiorē virtutem requiri ad primum, quàm ad ſecundum, vt copioſe oſtendimus 1. lib. de generatione, cap. 9. quęſt. 4. ad ſenſum, probantes, adeo minimam poſſe eſſe virtutem, vt non poſſit agere in aliud. Quod non minus probauit euidenter eiſdem verbis D. Thomas. Si omne calidum poſſet calefacere aliud, in infinitum procederet calefactio, quo ad extenſionem effectus, & non haberet limitatam ſphæram agendi, ſed infinitam, cum tamen neceſſe ſit habere determinatam, & termino quidem intrinſeco magnitudinis, quem attingere poſſit, & vlterius non procedere: quemadmodum virtus ipſa agendi intrinſece limitata eſt. Et hæc doctrina non minus vera eſt in formis accidentalibus, quàm in ſubſtantialibus, nam rationes æquè de vtriſque probant, vt per ſe patet:

ter, & de accidentalibus loquitur D. Thomas, vt verba eius oſtendunt.

QVÆSTIO III.

An potentiæ actiuæ quoad reſiſtentiam terminentur, & quibuſnam modis.

Contraria duplicia ſunt, alia actiua, vt primæ qualitates, & plures ex ſecundis, alia non actiua (actione quidem naturali) vt albedo, nigredo, & cæteri colores, & plures aliæ qualitates: nam actione intentionali, effundendo proprias ſpecies intentionales; circa medium, & potentiam, omnes ferme qualitates actiuæ vocari poſſent. Sed actiuæ actione naturali adhuc diuiduntur in eas, quæ circa idem ſubiectum ſibi contrarias expellunt; quales ſunt primæ qualitates, & in alias, quæ non agunt expellendo oppoſita, ſed aut mouendo ſubiectum ad locum, vt grauitas, leuitas, & inpulſus omnes, aut modo alio producendo effectum. Quare illis duntaxat conuenit propriiſſima contrarietas communi illa diffinitione explicata, contraria ſunt, quæ ſub eodem genere poſita maxime diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt; quamuis minus propria contrarietas (vera tamen) multis aliis conueniat, vt albedini, & nigredini, grauitati, & leuitati, & omnibus aliis ſimilibus, & eodem modo propria reſiſtentia eiſdem duntaxat propriiſſimis contrariis conceditur, vt primis qualitatibus, cæteris vero minus propria, aut nulla. Propria tandem reſiſtentia diuiditur in actiuam, & formalem, & actiua non eſt aliud, quam actio ipſa, prout impedimentum præſtat contrario, ne in eodem ſubiecto introducatur, vt ignis per eandem

calefactionem, per quam calefacit aquam, præſtat ei impedimentum, ne eidem igni frigus imprimat, & propriè dicitur ab ea ſe defendere. Reſiſtentia vero paſſiua, eſt inhæſio formæ in proprio ſubiecto, per quam impedit receptionem formæ contrariæ, & vocatur etiam formalis (vt libro primo de generatione docuimus) quia fit per inhæſionem formæ in ſubiecto, & non per actionem, vel aliud extrinſecum. De vtraque igitur petit quæſtionis titulus: An potentiæ, ſeu qualitates actiuæ terminos magnitudinis, & paruitatis poſtulent, & quonam modo.

5 Et prima opinio aſſerit, non poſtulare terminum magnitudinis intrinſecum, ſed extrinſecum tantum, qui vocatur minimum quod non, & nullum terminum paruitatis eſſe illis concedendum. Ita ſentiunt Patres Conimbricenſes, primo libro de cælo, capite 11. quæſtione ſecunda, articulo primo. Probant primum, quia actio non eſt niſi à vincente, atque adeo à proportione maioris inæqualitatis ex parte agentis. Nequit igitur potentia actiua agere in reſiſtentiam æqualem ſuæ virtuti actiuæ, poterit vero agere in quamcumque minorem: æqualis igitur reſiſtentia erit terminus extrinſecus, & minimum quod non, cum ſit tanta, in quam agere non poteſt virtus actiua; bene tamen in quamcumque minorem. Secundo, ſi daretur maxima reſiſtentia, in quam potentia actiua poſſet agere, eiuſmodi reſiſtentia excederetur à potentia actiua, quia vbi nullus eſt exceſſus, ſed tanta eſt reſiſtentia paſſi, quanta actiuitas agentis, non ſequitur actio: ergo excederetur exceſſu diuiſibili, quia indiuiſibile non reddit maius. Quare ſi reſiſtentia decreſceret, ad dimidium talis exceſſus, adhuc nihilominus ſequeretur actio, maneret enim adhuc proportio maioris inæqualitatis ex parte

te potentiæ actiuæ. Vnde ſequeretur, reſiſtentiam priorem non fuiſſe maximam, quam potentia poſſet vincere: cum adhuc maiorem vincat. Secunda pars infra probabitur.

Tribus aſſertionibus explicamus propriam ſententiam. Prima talis eſt, tam reſiſtentia actiua, quam paſſiua, ſeu formalis, ſecundum propriam rationem conſiderata poſtulat terminum magnitudinis intrinſecum, qui dicitur maximum quod ſic, probatur hoc diſcurſu. Quælibet potentia, aut qualitas actiua per eandem virtutem, per quam poteſt agere in paſſum, poteſt reſiſtere agenti contrario, tam reſiſtentia actiua, quàm paſſiua, aut formali. Eadem eſt igitur ſecundum entitatem virtus actiua, & reſiſtentia, quamuis diuerſo modo conſiderata, hoc eſt reſpectu diuerſorum, ſeu diuerſi effectus; nam actiua vocatur in quantum poteſt per actionem agere in contrarium, & ei ſe communicare: reſiſtiua verò in quantum per eandem actionem poteſt præſtare impedimētum contrario, ne circa ipſum operetur, eam expellendo per impreſſionem propriæ, vel certe per inhæſionem in proprio ſubiecto formaliter impedire inhæſionem formæ contrariæ: hæc enim vocatur paſſiua, ſeu formalis reſiſtentia: ſed eadem ipſa virtus, vt actiua poſtulat intrinſecum terminum magnitudinis, vt ſuperius probatum eſt, & admiſſum à ſententia oppoſita: ergo eundem terminum poſtulat, in quantum eſt reſiſtiua, actiua quidem reſiſtentia; aut formali, quæ non eſt aliud, quam natura ipſius formæ, aut actiuæ qualitatis, vt inhærentis in ſubiecto. Probatur conſequentia, quia cum ſit eadem virtus, & per reſpectum, vel comparationem ad propriam actionem, vel impedimentum præſtandum oppoſitæ, non varietur, eundem terminum poſtulare ne-

ceſſe eſt, & vrgeo argumentum hoc modo. Eadem qualitas in quantum eſt virtus actiua, ideo poſtulat terminum magnitudinis intrinſecum, quia naturaliter agit, & quantum poteſt, & quia tantæ perfectionis eſt, ita vt non maioris, ideo tantæ actiuitatis eſt, tantumque poteſt agere, & non plus, quod eſt, terminum intrinſecum poſtulare: ſed eodem modo, vt eſt virtus reſiſtiua, actiua quidem, aut formalis, naturaliter, & quantum poteſt reſiſtit agenti, ſeque ab eo defendit, ne à propria ſede expellatur, per actionem quidem impedimentum præſtando agenti contrario, aut per inhæſionem in ſubiecto impediendo inhæſionem, aut receptionem formæ oppoſitæ (quo pacto vocatur reſiſtentia formalis) ergo poſtulat eundem terminum intrinſecum magnitudinis.

Secundo probatur, quia virtus actiua ignis, & cuiuſlibet alterius agentis, ſecundum ſe conſiderata, tantum poteſt agere, & non plus; & propterea, vt actiua poſtulat terminum magnitudinis, intrinſecum, quo ad effectum, tam ſecundum intenſionem, quàm ſecundum extenſionem: ſed hoc idem habet, vt virtus reſiſtiua, ſecundum ſe conſiderata, ſiue vt actiua, ſiue vt paſſiua, aut formalis, vt tantum poſſit reſiſtere agenti contrario, quod non poſſit ei plus reſiſtere, quia per propriam virtutem, vel inhæſionem formalem in ſubiecto naturaliter, & in quantum poteſt, reſiſtit vtroque modo. Ergo ſicut datur maxima virtus actiua, quæ non poſſit eſſe maior, ita dabitur virtus reſiſtiua maxima, hoc eſt, quæ maior eſſe non poſſit, quod eſt, terminum magnitudinis intrinſecum poſtulare. Quod docuit expreſſe Ariſtoteles, primo libro de cælo, capite vndecimo ſequentibus his verbis: *Si igitur quippiam per decem millia paſſuum*

ſuum moueri poteſt, aut pondus leuare id, quod maximum poteſt, dicere ſemper ſolemus, veluti centum leuare libras, aut per decem millia paſſuum ambulare, quamque & partes, quæ circa ſunt,poteſt, ſi exceſſum poteſt. Quo patet ad finem, atque exceſſum definiri potentia oportere. Id igitur quod poteſt tot per exceſſum, & ea, quæ ſunt citra neceſſe eſt. Quibus egregiam, atque efficacem ſatis rationem non obſcure inſinuauit, videlicet dari maximum,ſiue ſummum, vel vltimum, quod poteſt actiua virtus, ſeu potentia, ita vt vlterius nihil poſſit, & propterea talem terminum vocari intrinſecum magnitudinis, & maximum quod ſic, per quem ideo definiendam eſſe affirmat, quia continet, quidquid minus eſt, & propterea totum id, quod poteſt potentia, & eſt veluti adæquatum eius obiectum, à quo ſpeciem ſumit, & quod adæquatam eius rationem continet, adæquatè, atque completè explicat eſſentiam per ordinem ad idemmet obiectum adæquatum deſumptam, cui ſi adiungamus illud, nempe reſiſtiuam potentiam re ipſa eandem eſſe cum actiua, vel cum entitate eius, & ſola ratione diuerſam, per comparationem ad agens, vel effectum. Videbimus non minori efficacitate probari, ex mente Ariſtotelis eſſe, quod potentia actiua, quoad reſiſtentiam ſecundum ſe conſiderata, poſtulet intrinſecum terminum magnitudinis,quam eandem potentiam,vt actiuam.

Neque ſatisfacit ſolutio Patrum Conimbricenſium, aſſerentium Ariſtotelem locutum vulgari modo, non ſtricto, & mathematico, quia nec talis modus prodeſſet illi, ad explicandas naturas potentiarum, quod ipſe intendebat, nec decebat philoſophum tantum iuxta vulgarem modum loqui, nec huius eſt fundamentum in Ariſtotele, & iuxta pro-

Digitized by Google

prietatem, & ſtrictam acceptionem, termini intellexerunt illum omnes expoſitores, inde colligentes terminum intrinſecum potentiarum, qui ſit maximum quod ſic, & alias poſſet dici terminari per illum, & per extrinſecum minimum quod non, quod eſt abſurdum: de reſiſtentia vero in ordine ad victoriam agentis, aliter loquutus eſt Ariſtoteles, & iam iam dicemus.

Secunda concluſio: conſiderata reſiſtentia, tam actiua, quàm formalis, vel paſſiua in ordine ad victoriam agentis, hoc eſt, vt in eam agens agere poteſt, non habet terminum intrinſecum, ſed extrinſecum tantum, qui eſt minimum quod non. Hanc admiſit oppoſita ſententia, & hoc probant argumenta illius, & nihil aliud, & ideo non indigent ſolutione: quod ex prima noſtra aſſertione efficaciter colligitur hoc modo. Euidens eſt, dari maximam reſiſtentiam æqualem virtuti actiuæ agentis, in quam proinde non poteſt agens agere, & euidens etiam eſt, per ſe agere in quamlibet minorem, quia cum minori quacumque efficitur proportio maioris inæqualitatis ex parte agentis, à qua poteſt actio procedere: ergo æqualis reſiſtentia erit prima, ac minima, quam non poteſt vincere agens, & ideo in quam non poteſt agere, ſed bene in quamcumque minorem: habet ergo reſiſtentia in ordine ad victoriam agentis conſiderata, extrinſecum terminum magnitudinis, qui eſt minimum quod non, & non intrinſecum, qui eſt maximum quod ſic.

Tertia concluſio: Reſiſtentia ſiue actiua, ſiue formalis, nullum terminum intrinſecum, vel extrinſecum paruitatis poſtulat. Hæc eſt per ſe manifeſta, quia quo minor eſt reſiſtentia vtraque, eo facilius vincitur ab agente: ergo cum poſſit in infinitum decreſ

decreſcere, impoſſibile eſt, dari minimam, in quam agens poſſit agere, ita vt non poſſit facilius agere in minorem: quare impoſſibile eſt, naturaliter reſiſtentiam habere terminum intrinſecum paruitatis, qui ſit minimum quod ſic: nec eſt minus impoſſibile, dari tam exiguam reſiſtentiam, quam non poſſit vincere agens: poſſit autem vincere quamcumque maiorem: ergo nec admittere poteſt terminum paruitatis extrinſecum, qui eſt maximum quod non. Contra hoc tamen videtur eſſe euidens experientia fulminis, quod cum minorem reſiſtentiam inueniat in vagina, quam in enſe, illam tamen parum, vel nihil lædit, enſem vero liquat, fortius abſque dubio agens in maiorem reſiſtentiam, quàm in minorem, quantumlibet minus à ſe diſtantem: cuius non videtur poſſe rationem aliam deſignari, niſi terminum paruitatis, quem reſiſtentia poſtulet, ita vt tam exigua detur, in quam non valeat agens agere. Nihilominus mirabilis iſte effectus abſque dubio prouenit ex alia cauſa, & non ex minori reſiſtentia, quam in vagina reperiri fatemur. Cauſa vero eſt, quia vagina rarior eſt, & longe minus dura, quam enſis, plures etiam poros habet, quorum omnium ratione facilem præbet exitum fulmini: ideo citiſſime ipſum peruadens, breuiſſimeque tranſiens, nihil fere eam lædit, & eadem eſt ratio de veſte: enſis verò ob nimiam denſitatem, ac duritiem difficile cædit, plus detinet ac retardat fulmen à celerrimo ſuo motu. Cum ergo virtus eius ad agendum ſit intenſiſſima, & in denſa materia intenſiſſimum, celerrimumque effectum longiori tempore producit. Rationem hanc deſumpſimus ex Ariſtotele 3. libro Meteororum, capite 1. non longe à fine, cuius verba hæc ſunt: *Clypei iam æramentum quidem liquefactum*

fuit; lignum verò nihil paſſum fuit: propter enim raritatem præuenit ſpiritus penetrare, & pertranſire, & per veſtimenta ſimiliter non combuſſit; ſed velut attritionem fecit.

QVÆSTIO IV.

An potentiæ paſſiuæ poſtulent terminos magnitudinis, & paruitatis, quantum ad intenſionem ſuorum effectuum.

Prior quæſtionis pars de potentia paſſiua naturali.

IN primis paſſiua potentia, qualis eſt materia, dupliciter conſiderari poteſt. Primo in ordine ad formam ſubſtantialem recipiendam mediis qualitatibus, vel diſpoſitionibus, ſub qua conſideratione infra agemus de illa. Secundò conſideratur iſta potentia, abſtrahendo illam ab ordine ad formam ſubſtantialem, & ita de ea nunc diſſerimus. Sed adhuc hoc modo ſumpta duplicem aliam conſiderationem habere poteſt, priorem quidem, eam abſtrahendo ab ordine ad agens: poſteriorem verò in ordine ad agẽs, vel ad actiuam potentiam, à qua reducitur ad actum recipiendi formam ſubſtantialem, vel accidentalem, ſed tandem conſiderata in ordine ad agens, duobus aliis modis concipi poteſt, vel in ordine ad agens naturale, hoc eſt, proportionatum naturæ eiuſdẽ materiæ, quæ potentia paſſiua naturalis vocatur, vel in ordine ad agens non ſibi commenſuratum, ſed cui aliquo modo ſubiici poteſt in ordine ad aliquẽ actum ab eo repiendum ordinis naturalis; ſeu ſupernaturalis ordinis; ſaltem quo ad modum recipiendi, & idem eſt de ſubie.

ſubiecto quocunque recipiente formas accidentales, quare indifferenter de potentia paſſiua præſens quæſtio procedit, vt ſubiecto cuicunque conuenire poteſt, & hæc vocatur potentia obedientialis, quæ quaſi per obedientiam agenti ſubiicitur, & non per naturam propriam, talis eſt potentia ligni in ordine ad artificiatam formam: talis potentia paſſiua ſubiecti in ordine ad Deum ſupernaturali modo ei imprimentem formam, vt cæco viſum: talis denique potentia ignis ad motum circularem recipiendum à prima ſphæra, & cuiuſcunque corporis grauis, aut leuis ad recipiendum impetum, ſeu impulſum ab agente extrinſeco in ordine ad motum, verſus quamcunque differentiam loci. Quare ſub potentia obedientiali comprehenditur omnis alia à naturali. Et ex hoc infero minus bene ab Scoto, & aliis recentioribus, qui eum ſequuntur, præter potentiam paſſiuam naturalem & obedientiã addi tertiã, quam vocant neutram, vel quia non eſt vna nec altera, hoc eſt, nec naturalis, nec obedientialis, vel quia nec dicit determinatum ordinem ad aliquem actum, nec eum excludit. Minus autem bene, hanc potentiam addi affirmo, quia abſque dubio ſub obedientiali comprehenditur: nam paſſiua potentia non poteſt recipere actum, vel formam ab agente ordinis naturalis, non tamen ſibi naturaliter commenſurato, niſi quia ei poteſt ſubiici ad eam recipiendam: ei autem poſſe ſubiici idem eſt, ac ei poſſe obedire; ergo potentia paſſiua eius in ordine ad tale agens, & ad talem formam, obedientialis vocari debet. Et qui huic rationi non acquieſcit, ſed adhuc vult potentiam neutram non ſolum eſſe veram, ſed ab obedientiali ſeparare controuerſiã, prorſus de nomine ſibi aſſumit, & cum eo non oportet diſputare.

His neceſſario prælibatis, primo nobis loquendum

eſt de potentia paſſiua naturali, quæ ſcilicet reſpicit agens naturale, & ab eo nata eſt reduci in actum, de qua tenet prior ſententia, nullum terminum magnitudinis, nec paruitatis intrinſecum, vel extrinſecum admittere, quoad intenſionem effectus. Pro hac ſententia referunt Patres Conimbricenſes Gabrielem in 3. diſtinct. 13. quæſt. vnica, artic. 1. & Almainum ibidem, quæſt. etiam vnica. Et probari poteſt, primò, quia pati in eo ſolum conſiſtit, quod eſt ſubiici agenti, ad recipiendum actum, vel formam, ſed nec ſubiici alteri, nec ab eo recipere actum, dicit eſſe vllam limitationem, quin potius totum: & tantum poteſt ſubiectum recipere, quantum poteſt ei imprimi ab agente, ita vt ſi ab hoc poſſit plus in infinitum imprimi, plus in infinitum poſſit à ſubiecto recipi. Vnde manifeſte ſequitur, potentiam paſſiuam, vt talem, ex propria ſua ratione, nullum prorſus terminum poſtulare, nec intrinſecum, nec extrinſecum. Secundo, quia potentia actiua idcirco poſtulat terminum magnitudinis intrinſecum, quoad intenſionem effectus, quia agere dicit perfectionem, & cum limitata ſit perfectio potentiæ, ſicut limitata eſt perfectio rei, à qua emanat, ita debet eſſe limitatus effectus, quem poteſt producere quoad perfectionem intenſiuam; ſed pati, vel recipere in ſe accidentia nihil perfectionis importat, ſed maximam, vel ſummam imperfectionem; ergo nec vllum poſtulabit terminum intrinſecum, vel extrinſecum.

Poſterior ſententia tribuit potentiæ paſſiuæ ſecundum ſe conſideratæ terminum intrinſecum magnitudinis, quoad intenſionē effectus, ita vt poſſit recipere formam accidentalem tantæ intenſionis, & non maioris, paruitatis verò nec intrinſecum, nec extrinſecum, quam ſequuntur Patres Conimbricenſes libro de

de cælo cap. 11. aſſerentes eſſe communem Scholaſticorum. Vnde plures ex antiquioribus pro ea referunt, vt Bonauenturam, Richardum, Henricum, Maironem, Ægidium, Maiorem, Durandum, Argentinam, Baſolem, Marſilium, partim in 1. partim in 3. lib. ſententiarum atque etiam D. Thomam quæſt. 29. de veritate artic. 3. ad 3. & 3. part. quæſt. 7. artic. 11. & Henric. quodlib. 5. quæſt. 22. ſed neque id aſſerunt (vt eos conſulenti facile conſtabit) quia non loquuntur de potentia paſſiua naturali, qualis eſt materia, vel ſubiectum, in quo recipiuntur accidentia ordinis naturalis; ſed expreſſe de potentia paſſiua, ſeu capacitate animæ ad recipiendam gratiam, de qua conſtat, non eſſe naturalem, ſed obedientialem. Et adhuc de iſta ſolum vniuerſe affirmant eſſe finitam, nullum alium terminum magnitudinis intrinſecum, nec extrinſecum in particulari ei præſcribentes. Quare nec pro hac ſententia afferri poſſunt, quæ ſolum de potentia paſſiua naturali loquuntur (ſicut neque Gabriel, nec Almainus pro oppoſita) quia eodem modo loquuntur de ſola potentia obedientiali; ſed nec ex recentioribus quiſquam pro ea parte poteſt citari, quia nemo de terminis ſpecialibus eius diſſerit: nihilominus vt probabiliorem eam amplectimur. Et quantum ad priorem partem de termino magnitudinis intrinſeco potentiæ paſſiuæ naturalis, ſecundum ſe conſideratæ probamus primo. Quia potentia paſſiua materiæ, vel ſubiecti, per quam accidentales formas recipit, realis eſt, & poſitiua, vt genus cauſę materialis, quod recipiendo exercet, etiam eſt reale, eadē quoque potentia pertinet ad eius eſſentiam realem, & poſitiuam, eſt eadem eius entitas realis: ſed quæcunque realis entitas creaturæ, quæcunque eſſentia creata determinatam habet perfectionem, hoc eſt, tantam, & non maiorem, quod eſt,

termino

termino magnitudinis intrinſeco eſſe diffinitam; ergo potentia paſſiua in eadem eſſentia clauſa erit etiam determinatæ perfectionis, ita vt tantæ intenſioformam poſſit recipere, & non maioris, quod eſt intrinſecum terminum magnitudinis poſtulare. Secundo, quia materia, vel ſubiectum per propriam cauſalitatem materialem, quam exercet circa formas accidentales in ſe receptas, tribuit eis ſuo modo eſſe, ita vt ex ea educantur ab agente, & ex conſequenti in eadem contineri dicantur, prius quam fiant: ſed conſtat, vim cauſandi cuiuſcunque cauſæ non excedere perfectionem propriæ naturæ, ſed per eam menſurari: ergo vis cauſandi materiæ, menſuratur ex perfectione eius, quæ cum termino intrinſeco magnitudinis gaudeat, eodem quoque potentiam eius gaudere neceſſe eſt.

Ad primum argumentum maiori conceſſa, neganda eſt minor, quod nec ſubiici alteri, neque ab eo recipere actum, vel formam poſtulet ex ſe vllam limitationem, quia cum hoc proueniat ex intrinſeca perfectione ſubiecti, termino magnitudinis intrinſeco litata, eodem modo limitatum eſſe debet: & quod additur, totum, & tantum poſſe ſubiectum recipere, quantum poteſt ei ab agente imprimi, diſtinguendum eſt: nam ſi de agente ſibi naturaliter cõmenſurato, ac proportionato intelligatur, verũ eſt, ſed quod ab hoc poteſt imprimi, limitatũ eſt termino intrinſeco, vt conſtat ex dictis, ac proinde & potentia paſſiua naturalis: ſi vero de agente in tota ſui latitudine plane falſum eſt; quia virtuti eius valde vniuerſali non poteſt commenſurari potentia paſſiua naturalis, ex propria conditione magis limitata.

Ad ſecundum neganda eſt etiam minor: nam conferre ſuo modo eſſe accidentibus, ea ſuſtentare, immo

in

in ſuo genere materialis cauſæ cõſeruare,aliquid perfectionis importat, quamuis multis imperfectionibus permixtum & hoc ſufficit, vt terminum magnitudinis intrinſecũ poſtulet.Poſterior vero pars negans eidem potentiæ paſſiuæ naturali vtrumque terminum paruitatis intrinſecum, & extrinſecum, adeo manifeſta eſt, vt nemo ab ea diſſentire poſſit, quia euidens eſt, effectum minoris intenſionis in infinitum poſſe ſubiectum recipere ab agente,quia minor intenſio in infinitum nullum poteſt præſtare impedimentum ei, quin facilius recipiatur, ſicut nullum poteſt præſtare impedimentum agenti, vt ab eo imprimatur eidem ſubiecto:& quod diximus de potentia paſſiua naturali ſecundum ſe,intelligendum eſt etiam de illa, vt reſpicit actiuam agentis ſibi commenſuratam: eadem enim quoad hoc eſt vtriuſque conſiderationis ratio, & ſi aliquo modo diſtinguatur formaliter.

Poſterior pars de terminis potentiæ paſſiuæ obedientialis.

SVpereſt, agamus de potentia paſſiua obedientiali, quę ſcilicet recipit actiuã agentis ſibi non cõmenſuratam,à qua etiam ſi non ſit ex ſe nata perfici,poteſt tamen virtute extrinſeca naturalis, aut ſupernaturalis ordinis,illi ſubiici,& illius effectum recipere. Et quantum ad terminos paruitatis,omnes videntur tanquam certum ſtatuere, quod nullum habeat, & ita abſque dubio tenendum eſt, quia manifeſta ratio id conuincit: nam ſicut formæ omnes accidentales, quibus actuari poteſt, nullum terminum paruitatis admittũt, ſed quo remiſſiores in infinitum, eo facilius imprimi poſſent ſubiecto ab agente; ita ſubiectum ipſum, vel materia ſemper poteſt remiſſiorem gradum in infini-

finita, & abſoluta Dei, reſpectu cuius non dicitur naturalis, ſed obedientialis, intenſiorem poteſt in infinitum recipere, ſicut Deus ipſe poteſt dato quocunque calore intenſiorem in infinitum producere.

Quantum ad ſecundum de termino extrinſeco magnitudinis obedientialis potentiæ, ſatis eſt per ſe manifeſtum dari; quia licet nullum gradum determinatum, ſeu finitum poſſimus aſſignare, quem non poſſit attingere potentia obedientialis, non tamen poteſt eſſe actu infinita, neque effectum actu infinitum, quo ad intenſionem recipere, ſuppoſito, quod nec per potentiam Dei abſolutam produci poteſt vllum infinitum, vt 3. lib. Phyſicorum oſtendimus. Habebit ergo, vt minimum pro extrinſeco termino infinitum actu, ita vt verum ſit dicere, ſubiectum in ratione ſubiecti, & per potentiam obedientialem, nec eſſe actu infinitum, nec poſſe recipere formam, vel qualitatem actu infinitam, quoad intenſionem, bene tamen quamlibet finitam.

APPENDIX DVBIVM.

An potentia paſſiua obedientialis aliquid addat ſupra naturalem.

ARgumentum pro priori ſententia oppoſitum excitat propoſitum dubium: An potentia paſſiuá obediẽtialis ſubiecti aliquid addat ſupra naturalem, & quid illud ſit. Cui reſpondent Patres Conimb. ibidem, nullam quidem rem addere, ſed modum quendam accidentalem, reſpectu formarum accidentalium recipiendarum. Hunc autem modum non eſſe aliud, quam id, per quod propriam cauſalitatem materialem exercet dum tales formas recipit. Itaque obedientialis potentia eſt naturalis ipſa (hoc eſt entitas

ſubiecti

ſubiecti) pro vt ſtat ſub tali modo, per quem exercet cauſalitatem propriam, circa formas, quas recipit ab agente ſuperiori. Ex quo inferunt (vt clarius rem explicent) quod cum Deus efficit, vt ſubiectum vltra naturalem ſuam potentiam aliquod accidens recipiat; ampliet capacitatem, ſeu potentiam eius per talem modum.

Modus tamen iſte videtur mihi non neceſſarius, ſed impoſſibilis. Oſtendo primò, quia in potentia paſſiua naturali ſubiecti, vel materiæ nihil inuenimus præter naturalem capacitatem eius, & reſpectum ad potentiam actiuam agẽtis naturalis, quibus ſolis præſuppoſitis, ſufficienter poteſt idẽ agens naturale educere formam ex eadem potentia, atque etiam ſubiectum recipere actionem eius eductiuam, & per eam præſtare proprium concurſum materialem ad eandẽ eductionem, atque impreſſionem formæ, nec vllus vnquam (præter hæc) aliquem nouum modum ab agente productum circa idem ſubiectum excogitauit; ergo ſufficiet ad potentiam obedientialem ſubiecti, vel materiæ, capacitas naturalis eius cum reſpectu ad ſuperius agens, cui per eandem capacitatem ſubditur. Quibus ſolis præſuppoſitis ſufficienter poteſt recipere actionem eiuſdem agentis, & per eam ſic receptam præſtare proprium concurſum materialem, ad eductionem, & receptionem formæ per eandem actionem ab eodem agente producendam; Quare ſufficiunt hæc ad potentiam obedientialem, & ſuperuacaneus erit quicumque alius modus ſuperadditus eidem ſubiecto; quod conſtat in infuſione gratiæ habitualis paruulorum per baptiſmum, & quam Deus infundere poteſt adultis dormientibus, ad quam nullus cum fundamento requiſiuit modum aliquem ſuperadditum præter actionem Dei producentis, & capaci-

tum recipere, quod eſt, nullum terminum paruitatis poſtulare obedientialem potentiam, quoad intenſionem effectus.

De ſolo igitur termino magnitudinis intrinſeco, vel extrinſeco controuerſia poteſt producere, circa quam videtur eſſe prima opinio, tribuens ei terminum intrinſecum (qui eſt maximum quod ſic) ita videntur ſentire omnes illi ſcholaſtici, quos q. præcedēti citaſſe, diximus Conimbricenſes pro ſententia de termino magnitudinis intrinſeco potentiæ paſſiuæ naturalis: non enim loquuntur de potentia paſſiua naturali ſubiecti, ſed de obedientiali; nempe de potentia animę ad recipiendam gratiam, & cætera dona ſupernaturalia. De hac vero loquentes affirmant finitam eſſe, & proinde aliquem terminum magnitudinis habere; ſed ſpecialius loqui videntur, Scotus in 3. diſputatione 3. quæſtione 4. §. ad primam quæſtionem dico: Durandus ibidem quæſtione 1. & Caietanus 3. par. quæſtione 7. articulo 11. & 12. aſſerentes, gratiam animæ Chriſti eſſe ſummam ſecundum intenſionem, ita vt repugnet, dari aliam intenſiorem, etiam per potentiam Dei abſolutam; ex quo plane ſequitur, non dari in ſubiecto, nempe in anima, potentiam paſſiuam obedientialem ad recipiendam intenſiorem, cum non detur potentia reſpectu effectus impoſſibilis. Per tantām igitur intēſionē, quā habet gratię animæ Chriſti, terminabitur potentia obediētialis animæ, tanquā per terminum magnitudinis intrinſecum, & conſequenter potentia cuiuſcunque alterius ſubiecti, cum eadem ſit ratio de omnibus: quod efficaciter videtur probari hoc argumento. Potentia paſſiua obedientialis eſt eadem entitas materiæ, vel ſubiecti, ac potentia naturalis, cum conſtet per eandem ſuam entitatem recipere omnes formas, & quamuis poneretur, potentiam paſ-

ſiuam

Digitized by Google

ſiuam naturalem,eſſe qualitatem naturalem ſuperad-additam eſſentiæ materiæ, vel ſubiecti, neceſſario fatendum eſſet per eandem illam potentiam recipere omnes formas accidentales,à quolibet agente impreſſas ei,quia non eſt intelligibile,addi nouam aliam potentiam realem ſubiecto,ex eo quod ſuperiori agenti ſubiiciatur pro forma, vel actu ab eo recipiendo: ſed potentia naturalis poſtulat terminum magnitudinis intrinſecum (vt ſuperius probauimus) ergo eundem poſtulabit neceſſario potentia obedientialis.

Secunda opinio non cedit, potentiæ obedientiali terminum intrinſecum magnitudinis quoad intenſionem effectus, ſed extrinſecum tantum, Ita ſentiunt Patres Conimbricenſes 1.libro de cælo cap.11.quæſt. 4.art.2.& videtur mihi non ſolum probabilior ſed vera. Quam efficaciter probo, quantum ad terminum intrinſecum magnitudinis hac ratione. Omnis potentia paſſiua correſpondet alicui potentiæ actiuæ, ita vt effectum tantæ intenſionis poſſit recipere,quãtæ intenſionis poteſt produci à potentia ſibi correſpondente, & ideo de potentia naturali diximus terminari intrinſece quoad magnitudinem effectus,quia actiua naturalis terminatur hoc termino:ſed potentia actiua,cui correſpondet obedientialis, non admittit intrinſecum terminum magnitudinis,quoad intenſionem effectus, ſed dato quocunque effectu cuiuſcunque intenſionis, poteſt intenſiorem in infinitum pro ducere:ergo nec potentia obedientialis ſubiecti eum admittere, poterit, ſed recepto quocunque effectu cuiuſcunque intenſionis poterit intenſiorem recipere ab eodem agente, cui ſubiicitur, gratia exempli:quamuis in aqua non detur potentia naturalis niſi ad recipiendum calorem,vt octo, quem poteſt naturaliter ei imprimere ignis, nihilominus à potentia infinita.

tum recipere, quod eſt, nullum terminum paruitatis poſtulare obedientialem potentiam, quoad intenſionem effectus.

De ſolo igitur termino magnitudinis intrinſeco, vel extrinſeco controuerſia poteſt producere, circa quam videtur eſſe prima opinio, tribuens ei terminum intrinſecum (qui eſt maximum quod ſic) ita videntur ſentire omnes illi ſcholaſtici, quos q. præcedẽti citaſſe, diximus Conimbricenſes pro ſententia de termino magnitudinis intrinſeco potentiæ paſſiuæ naturalis: non enim loquuntur de potentia paſſiua naturali ſubiecti, ſed de obedientiali; nempe de potentia animę ad recipiendam gratiam, & cætera dona ſupernaturalia. De hac vero loquentes affirmant finitam eſſe, & proinde aliquem terminum magnitudinis habere; ſed ſpecialius loqui videntur, Scotus in 3. diſputatione 3. quæſtione 4. §. ad primam quæſtionem dico: Durandus ibidem quæſtione 1. & Caietanus 3. par. quæſtione 7. articulo 11. & 12. aſſerentes, gratiam animæ Chriſti eſſe ſummam ſecundum intenſionem, ita vt repugnet, dari aliam intenſiorem, etiam per potentiam Dei abſolutam; ex quo plane ſequitur, non dari in ſubiecto, nempe in anima, potentiam paſſiuam obedientialem ad recipiendam intenſiorem, cum non detur potentia reſpectu effectus impoſſibilis. Per tantã igitur intẽſionẽ, quã habet gratię animæ Chriſti, terminabitur potentia obediẽtialis animæ, tanquã per terminum magnitudinis intrinſecum, & conſequenter potentia cuiuſcunque alterius ſubiecti, cum eadem ſit ratio de omnibus: quod efficaciter videtur probari hoc argumento. Potentia paſſiua obedientialis eſt eadem entitas materiæ, vel ſubiecti, ac potentia naturalis, cum conſtet per eandem ſuam entitatem recipere omnes formas, & quamuis poneretur, potentiam paſ-

ſiuam

ſiuam naturalem,eſſe qualitatem naturalem ſuperadditam eſſentiæ materiæ, vel ſubiecti, neceſſario fatendum eſſet per eandem illam potentiam recipere omnes formas accidentales,à quolibet agente impreſſas ei,quia non eſt intelligibile,addi nouam aliam potentiam realem ſubiecto,ex eo quod ſuperiori agenti ſubiiciatur pro forma, vel actu ab eo recipiendo: ſed potentia naturalis poſtulat terminum magnitudinis intrinſecum (vt ſuperius probauimus) ergo eundem poſtulabit neceſſario potentia obedientialis.

Secunda opinio non cedit, potentiæ obedientiali terminum intrinſecum magnitudinis quoad intenſionem effectus, ſed extrinſecum tantum, Ita ſentiunt Patres Conimbricenſes 1.libro de cælo cap.11.quæſt. 4.art.2.& videtur mihi non ſolum probabilior ſed vera. Quam efficaciter probo, quantum ad terminum intrinſecum magnitudinis hac ratione. Omnis potentia paſſiua correſpondet alicui potentiæ actiuæ, ita vt effectum tantæ intenſionis poſſit recipere,quātæ intenſionis poteſt produci à potentia ſibi correſpondente, & ideo de potentia naturali diximus terminari intrinſece quoad magnitudinem effectus,quia actiua naturalis terminatur hoc termino:ſed potentia actiua,cui correſpondet obedientialis, non admittit intrinſecum terminum magnitudinis,quoad intenſionem effectus, ſed dato quocunque effectu cuiuſcunque intenſionis, poteſt intenſiorem in infinitum producere:ergo nec potentia obedientialis ſubiecti eum admittere, poterit, ſed recepto quocunque effectu cuiuſcunque intenſionis poterit intenſiorem recipere ab eodem agente, cui ſubiicitur, gratia exempli:quamuis in aqua non detur potentia naturalis niſi ad recipiendum calorem,vt octo, quem poteſt naturaliter ei imprimere ignis, nihilominus à potentia in-

ſinita.

tum recipere, quod eſt, nullum terminum paruitatis poſtulare obedientialem potentiam, quoad intenſionem effectus.

De ſolo igitur termino magnitudinis intrinſeco, vel extrinſeco controuerſia poteſt producere, circa quam videtur eſſe prima opinio, tribuens ei terminum intrinſecum (qui eſt maximum quod ſic) ita videntur ſentire omnes illi ſcholaſtici, quos q. præcedēti citaſſe diximus Conimbricenſes pro ſententia de termino magnitudinis intrinſeco potentiæ paſſiuæ naturalis: non enim loquuntur de potentia paſſiua naturali ſubiecti, ſed de obedientiali; nempe de potentia animę ad recipiendam gratiam, & cætera dona ſupernaturalia. De hac vero loquentes affirmant finitam eſſe, & proinde aliquem terminum magnitudinis habere; ſed ſpecialius loqui videntur, Scotus in 3. diſputatione 3. quæſtione 4. §. ad primam quæſtionem dico: Durandus ibidem quæſtione 1. & Caietanus 3. par. quæſtione 7. articulo 11. & 12. aſſerentes, gratiam animæ Chriſti eſſe ſummam ſecundum intenſionem, ita vt repugnet, dari aliam intenſiorem, etiam per potentiam Dei abſolutam; ex quo plane ſequitur, non dari in ſubiecto, nempe in anima, potentiam paſſiuam obedientialem ad recipiendam intenſiorem, cum non detur potentia reſpectu effectus impoſſibilis. Per tantām igitur intēſionē, quā habet gratię animæ Chriſti, terminabitur potentia obediētialis animæ, tanquā per terminum magnitudinis intrinſecum, & conſequenter potentia cuiuſcunque alterius ſubiecti, cum eadem ſit ratio de omnibus: quod efficaciter videtur probari hoc argumento. Potentia paſſiua obedientialis eſt eadem entitas materiæ, vel ſubiecti, ac potentia naturalis, cum conſtet per eandem ſuam entitatem recipere omnes formas, & quamuis poneretur, potentiam paſ-

ſiuam

ſiuam naturalem,eſſe qualitatem naturalem ſuperadditam eſſentiæ materiæ, vel ſubiecti, neceſſario fatendum eſſet per eandem illam potentiam recipere omnes formas accidentales,à quolibet agente impreſſas ei,quia non eſt intelligibile,addi nouam aliam potentiam realem ſubiecto,ex eo quod ſuperiori agenti ſubiiciatur pro forma, vel actu ab eo recipiendo: ſed potentia naturalis poſtulat terminum magnitudinis intrinſecum (vt ſuperius probauimus) ergo eundem poſtulabit neceſſario potentia obedientialis.

Secunda opinio non cedit, potentiæ obedientiali terminum intrinſecum magnitudinis quoad intenſionem effectus, ſed extrinſecum tantum, Ita ſentiunt Patres Conimbricenſes 1.libro de cælo cap.11.quæſt. 4.art.2.& videtur mihi non ſolum probabilior ſed vera. Quam efficaciter probo, quantum ad terminum intrinſecum magnitudinis hac ratione. Omnis potentia paſſiua correſpondet alicui potentiæ actiuæ, ita vt effectum tantæ intenſionis poſſit recipere,quãtæ intenſionis poteſt produci à potentia ſibi correſpondente, & ideo de potentia naturali diximus terminari intrinſece quoad magnitudinem effectus,quia actiua naturalis terminatur hoc termino:ſed potentia actiua,cui correſpondet obedientialis, non admittit intrinſecum terminum magnitudinis,quoad intenſionem effectus, ſed dato quocunque effectu cuiuſcunque intenſionis, poteſt intenſiorem in infinitum producere:ergo nec potentia obedientialis ſubiecti eum admittere, poterit, ſed recepto quocunque effectu cuiuſcunque intenſionis poterit intenſiorem recipere ab eodem agente, cui ſubiicitur, gratia exempli:quamuis in aqua non detur potentia naturalis niſi ad recipiendum calorem,vt octo, quem poteſt naturaliter ei imprimere ignis, nihilominus à potentia infinita

tum recipere, quod eſt, nullum terminum paruitatis poſtulare obedientialem potentiam, quoad intenſionem effectus.

De ſolo igitur termino magnitudinis intrinſeco, vel extrinſeco controuerſia poteſt producere, circa quam videtur eſſe prima opinio, tribuens ei terminum intrinſecum (qui eſt maximum quod ſic) ita videntur ſentire omnes illi ſcholaſtici, quos q. præcedēti citaſſe diximus Conimbricenſes pro ſententia de termino magnitudinis intrinſeco potentiæ paſſiuæ naturalis: non enim loquuntur de potentia paſſiua naturali ſubiecti, ſed de obedientiali; nempe de potentia animę ad recipiendam gratiam, & cætera dona ſupernaturalia. De hac vero loquentes affirmant finitam eſſe, & proinde aliquem terminum magnitudinis habere; ſed ſpecialius loqui videntur, Scotus in 3. diſputatione 3. quæſtione 4. §. ad primam quæſtionem dico: Durandus ibidem quæſtione 1. & Caietanus 3. par. quæſtione 7. articulo 11. & 12. aſſerentes, gratiam animæ Chriſti eſſe ſummam ſecundum intenſionem, ita vt repugnet, dari aliam intenſiorem, etiam per potentiam Dei abſolutam; ex quo plane ſequitur, non dari in ſubiecto, nempe in anima, potentiam paſſiuam obedientialem ad recipiendam intenſiorem, cum non detur potentia reſpectu effectus impoſſibilis. Per tantām igitur intēſionē, quā habet gratię animæ Chriſti, terminabitur potentia obediētialis animæ, tanquā per terminum magnitudinis intrinſecum, & conſequenter potentia cuiuſcunque alterius ſubiecti, cum eadem ſit ratio de omnibus: quod efficaciter videtur probari hoc argumento. Potentia paſſiua obedientialis eſt eadem entitas materiæ, vel ſubiecti, ac potentia naturalis, cum conſtet per eandem ſuam entitatem recipere omnes formas, & quamuis poneretur, potentiam paſſiuam

ſiuam naturalem,eſſe qualitatem naturalem ſuperadditam eſſentiæ materiæ, vel ſubiecti, neceſſario fatendum eſſet per eandem illam potentiam recipere omnes formas accidentales,à quolibet agente impreſſas ei,quia non eſt intelligibile,addi nouam aliam potentiam realem ſubiecto,ex eo quod ſuperiori agenti ſubiiciatur pro forma, vel actu ab eo recipiendo: ſed potentia naturalis poſtulat terminum magnitudinis intrinſecum (vt ſuperius probauimus) ergo eundem poſtulabit neceſſario potentia obedientialis.

Secunda opinio non cedit, potentiæ obedientiali terminum intrinſecum magnitudinis quoad intenſionem effectus, ſed extrinſecum tantum, Ita ſentiunt Patres Conimbricenſes 1.libro de cælo cap.11.quæſt. 4.art.2.& videtur mihi non ſolum probabilior ſed vera. Quam efficaciter probo, quantum ad terminum intrinſecum magnitudinis hac ratione. Omnis potentia paſſiua correſpondet alicui potentiæ actiuæ, ita vt effectum tantæ intenſionis poſſit recipere,quãtæ intenſionis poteſt produci à potentia ſibi correſpondente, & ideo de potentia naturali diximus terminari intrinſece quoad magnitudinem effectus,quia actiua naturalis terminatur hoc termino:ſed potentia actiua,cui correſpondet obedientialis, non admittit intrinſecum terminum magnitudinis,quoad intenſionem effectus, ſed dato quocunque effectu cuiuſcunque intenſionis, poteſt intenſiorem in infinitum producere:ergo nec potentia obedientialis ſubiecti eum admittere, poterit, ſed recepto quocunque effectu cuiuſcunque intenſionis poterit intenſiorem recipere ab eodem agente, cui ſubiicitur, gratia exempli:quamuis in aqua non detur potentia naturalis niſi ad recipiendum calorem,vt octo, quem poteſt naturaliter ei imprimere ignis, nihilominus à potentia infinita.

finita,& abſoluta Dei,reſpectu cuius non dicitur naturalis, ſed obedientialis, intenſiorem poteſt in infinitum recipere, ſicut Deus ipſe poteſt dato quocunque calore intenſiorem in infinitum producere.

Quantum ad ſecundum de termino extrinſeco magnitudinis obedientialis potentiæ, ſatis eſt per ſe manifeſtum dari, quia licet nullum gradum determinatum,ſeu finitum poſſimus aſſignare, quem non poſſit attingere potentia obedientialis, non tamen poteſt eſſe actu infinita,neque effectum actu infinitum,quo ad intenſionem recipere,ſuppoſito, quod nec per potentiam Dei abſolutam produci poteſt vllum infinitum,vt 3.lib.Phyſicorum oſtendimus. Habebit ergo, vt minimum pro extrinſeco termino infinitum actu, ita vt verum ſit dicere, ſubiectum in ratione ſubiecti, & per potentiam obedientialem, nec eſſe actu infinitum,nec poſſe recipere formam, vel qualitatem actu infinitam,quoad intenſionem,bene tamen quamlibet finitam.

APPENDIX DVBIVM.

An potentia paſſiua obedientialis aliquid addat ſupra naturalem.

ARgumentum pro priori ſententia oppoſitum excitat propoſitum dubium: An potentia paſſiua obedientialis ſubiecti aliquid addat ſupra naturalem,& quid illud ſit. Cui reſpondent Patres Conimb. ibidem,nullam quidem rem addere, ſed modum quendam accidentalem, reſpectu formarum accidentalium recipiendarum. Hunc autem modum non eſſe aliud, quam id,per quod propriam cauſalitatem materialem exercet dum tales formas recipit.Itaque obedientialis potentia eſt naturalis ipſa (hoc eſt entitas ſubiecti

ſubiecti)pro vt ſtat ſub tali modo, per quem exercet cauſalitatem propriam , circa formas, quas recipit ab agente ſuperiori.Ex quo inferunt (vt clarius rem explicent)quod cum Deus efficit,vt ſubiectum vltra naturalem ſuam potentiam aliquod accidens recipiat; amplietcapacitatem , ſeu potentiam eius per talem modum.

Modus tamen iſte videtur mihi non neceſſarius, ſed impoſſibilis.Oſtendo primò,quia in potentia paſſiua naturali ſubiecti , vel materiæ nihil inuenimus præter naturalem capacitatem eius , & reſpectum ad potentiam actiuam agẽtis naturalis,quibus ſolis præſuppoſitis,ſufficienter poteſt idẽ agens naturale educere formam ex eadem potentia , atque etiam ſubiectum recipere actionem eius eductiuam , & per eam præſtare proprium concurſum materialem ad eandẽ eductionem , atque impreſſionem formæ , nec vllus vnquam (præter hæc) aliquem nouum modum ab agente productum circa idem ſubiectum excogitauit; ergo ſufficiet ad potentiam obedientialem ſubiecti, vel materiæ, capacitas naturalis eius cum reſpectu ad ſuperius agens,cui per eandem capacitatem ſubditur. Quibus ſolis præſuppoſitis ſufficienter poteſt recipere actionem eiuſdem agentis,& per eam ſic receptam præſtare proprium concurſum materialem , ad eductionem , & receptionem formæ per eandem actionem ab eodem agente producendam ; Quare ſufficiunt hæc ad potentiam obedientialem , & ſuperuacaneus erit quicumque alius modus ſuperadditus eidem ſubiecto; quod conſtat in infuſione gratiæ habitualis paruulorum per baptiſmum,& quam Deus infundere poteſt adultis dormientibus, ad quam nullus cum fundamento requiſiuit modum aliquem ſuperadditum præter actionem Dei producentis,& capaci-

tatem naturalem animæ reſpicientem actionem ſupernaturalem Dei.

Probatur ſecundum, quòd talis modus ſit impoſſibilis: primo; quia concurſus agentis, atque eius actio, per quam perducit formam in ſubiecto, vel eam educit de potentia eius, præſupponit potentiam actiuam eius omnino completam, ita vt nullo alio indigeat; vt ſit principium eiuſdem actionis, ac effectus producendi circa ſubiectum: ergo præſupponit etiam potentiam paſſiuam ſubiecti naturalem, vel obedientialem, iuxta exigentiam eiuſdem actionis, ac formæ producendæ ab agente medio concurſu paſſiuo eiuſdem ſubiecti. Ergo impoſſibile eſt, modum aliquem produci in ſubiecto neceſſarium ex parte eius ad potentiam obedientialem, & ideo fruſtra ſuperadditur. Confirmatur, quia omnes cauſæ concurrentes ad actionem, & effectum, ſufficienter conſtitutæ in actu primo, ſunt priores natura, actione, atque effectu: ergo impoſſibile eſt, per eandem actionem produci aliquid neceſſarium ad conſtituendum ſufficienter in actu primo aliquam ex prædictis cauſis, inter quas conſtat enumerari materialem: ſed nec talis modus poteſt produci per aliam actionem, præuiam natura, aut tempore priorem; nam talis modus, cum non creetur, fit dependenter à ſubiecto; ergo præſtante ſubiecto proprium concurſum materialem, & exercente propriam cauſalitatem materialem cum cæteris cauſis: ergo præſupponuntur omnes prius natura ſufficienter conſtitutæ in actu primo reſpectu eiuſdem actionis, ac modi per eas producti; & conſequenter, ſubiectum ipſum ſufficienter in potentia obedientiali, per quam conſtituitur cauſa materialis in actu primo, reſpectu talis actionis, atque effectus: nam ad productionem talis modi, cum non foret na-

tura

turalis, ſed ſuperioris ordinis, non poteſt concurrere idem ſubiectum per ſolam potentiam paſſiuam naturalem. Quare repugnat, talem modũ conſtituere potentiam obedientialem, vel neceſſarium eſſe ad illam conſtituendam:alias ad hunc modum recipiendũ, prærequireretur alius in materia, vel ſubiecto, & ad illum alter in infinitum, vnde fit, ampliationem illam potentiæ per modum ſuperadditum, & fictitium,& impoſſibilem eſſe,cum ſufficienter conſtituatur potentia obedientialis per capacitatem naturalem ſubiecti,cum ordine ad agens ſuperioris ordinis, quæ nec contrahi,nec ampliari poteſt.

Noſtra igitur ſententia eſt potentiam obedientialem, nec modum aliquem, nec quidquam aliud addere, præter entitatem ſubiecti, vel materiæ,aut præter potentiam paſſiuam naturalem eius, niſi ſolum reſpectum ad ſuperiorem potentiam actiuam agentis ſuperioris, cui ſubiicitur. Quam probo ex impugnatione prioris ſententiæ, quia nihil aliud excogitari poſſet, quod potentia obedientialis adderet, præter illum modum, quem efficaciter probauimus ſuperfluum,atque impoſſibilem: ergo fatendum eſt,nihil omnino addere, in eodem ſubiecto productum. Probatur antecedens, quia euidens eſt, non addere entitatem aliam, cum in eadem, & per eandem entitatem ſubiecti recipiantur omnes formæ:ſolum ergo ſupereſſe poteſt reſpectus ad ſuperius agens,à quo cõſtituatur in ratione potentiæ obedientialis. Probatur ſecundo,quia potentiæ omnes diſtinguuntur per proprios actus, vt Ariſtoteles docet 2.libro de anima capit. 3. ergo potentia paſſiua ſumit ſpeciem ab actu, quem poteſt recipere ab agente, qui ſi ſit ei naturaliter commenſuratus, aut proportionatus, erit ei naturalis,& comparatione eius dicitur naturalis poten-

tia: ſi vero non ſit ei proportionatus, ſed ordinis ſuperioris, quē ideo nō naturaliter reſpicit, ſed in quantum ſubiici poteſt eidem agenti ſuperiori, dicetur potentia obedientialis, & ita præter entitatem propriam, & naturalē ſolum addit potentia obedientialis reſpectum ad talem actum, talemque virtutem agentem, cui ſubiici poteſt. Et ecce tibi eandem entitatem ſubiecti, vel materiæ in duplicem potentiam ſpecie diſtinctam, per diuerſum reſpectum ad agens ſibi commenſuratum, ſeu proportionatum, vel ſuperius, cui ſubiici poteſt, à quibus reduci poteſt in actum, & ſub priori reſpectu naturalis vocatur; ſub poſteriori vero obedientialis, neque aliquid aliud ſuperadditum fingere oportet ad conſtituendam potentiam obedientialem.

QVÆSTIO V.

An qualitates ſecundum propriam rationem poſtulent terminos intenſionis, & extenſionis.

DE qualitatum terminis, vt ſunt actiuæ potentiæ hucuſque diſſeruimus, ſupereſt vero de eiſdem agere ſecundum propriam rationem qualitatum, quæ quidem vniuerſalior eſt ratione potentiarum: nam plures dantur qualitates non actiuæ actione naturali, & phyſica, vt ſunt albedo, & nigredo, &c. ex qualitatibus vero aliæ ſunt corporeæ, aliȩ ſpirituales, naturales aliquæ, & aliquæ ſupernaturales, penes ordinem ad agens naturale, vel ſupernaturale.

De his igitur omnibus qualitatibus, & ſecundum omnes conſiderationes, atque etiam in ordine ad omnes potentias ſuo ordine diſſeremus.

De

De terminis qualitatum corporearum ſecundum intenſionem in ordine ad potentiam naturalium agentium.

DVplicem terminum harum qualitatum conſiderare poſſumus, videlicet, magnitudinis & paruitatis. Et circa terminum paruitatis, tenet prima opinio, intrinſecum concedendum eſſe qualitatibus naturalibus corporeis, via generationis, ita vt detur primus gradus intenſionis aut prima pars gradualis per alterationem producta, ſub minori vero intenſione produci non poſſit in ſubiecto naturaliter: ſic ſentiunt commentator octo librorum Phyſicorum, commentario 23. Scotus in 2. diſtinct.2. quæſt.9. in ſolutione argumentorum, Gregor. in 1. diſtinct. 17. quæſt.1.art.3. Capreolus,16. quæſt.2.art.2.& in 2.diſtinct.12.quæſt.vnica,art.1.Soncin.8. libro Metaphyſicæ,quæſt.23.vbi pro eadem ſententia refert D.Thomam, Ægidium, 1. libro de ortu & interitu,quæſt.25. Iandunum,6.libro Phyſicorum,quæſt.15.Hanc tãdem ſequitur Pater Toletus,1.lib. de generatione,quæſt.6. ſic eam explicans, vt ſucceſſiuam alterationem, per quam qualitates intenduntur,præcedat ſemper,& neceſſario quædam alia inſtantanea, primum gradum producens, à quo ſucceſſiua (quæ proprie motus eſt) incipiens continuam eiuſdem qualitatis intenſionem proſequitur. Soncinas vero alia via eam defendens concedit, motum alterationis habere primum eſſe, & qualitatem per eum acquiſitam primum gradum remiſſum, primo productum, à quo eius intenſio ſucceſſiua poſt primum acquiſitum eſſe incipiat, probatque ex Ariſtotele 8.Phyſicorum,textu 69.vbi vniuerſe docet cuiuſlibet rei permanentis dari primum eſſe in inſtanti productum, ſed qualitates ſunt res

permanentes; ergo habent primum eſſe ſuæ productionis in ſubiecto, atque adeo primam partem, ſeu primum gradum, qui ſit minimum quod ſic intenſionis, quia ſub minori intenſione nequit produci naturaliter qualitas. Probat etiam ratione primo, quia dum corpus mouetur à calore ſummo ad frigiditatem, vt ſi ignis frigeſiat ab aqua, illud caloris, quod incipit expelli ab eodem igne, deſinit per primum non eſſe, cum notum ſit, nihil diuiſibile poſſe deſinere per vltimum eſſe: ſed primum non eſſe expulſionis caloris, eſt primum eſſe introductionis frigoris, quia generatio vnius contrarij & corruptio alterius, ſimul omnino fiunt. Verum igitur erit, nunc primo non eſſe calorem, & ex conſequenti nunc primo eſſe frigus, à quo expellitur, & immediate non fuiſſe, quare neceſſe erit, quod frigus habeat primum eſſe in ſubiecto, quod eſt, habere primum gradum productum. Secundò, quia ſi non datur primus gradus caloris in ſubiecto productus; qui ſit calor remiſſiſſimus, ita vt non ſit dabilis remiſſior, ſequitur quēlibet deſignatum quātumlibet remiſſum, poſſe in infinitum remitti. Probatur conſequentia, quia remiſſio ſucceſſiua eſt, & continua, vel ergo remittitur calor per partes æquales, aut par proportionales: non per æquales, quia daretur vltima; nam æquales ſicut habent primam, ita habent vltimam. Talis ergo vltima eſſet remiſſiſſima, cũ vltra aliã remiſſio non procedat, quare ſicut datur ex parte finis in alteratione vltima pars remiſſiſſima, ſic daretur neceſſario prima ex parte principij, quod eſt intentum eiuſdem ſententiæ. Fit igitur remiſſio per partes proportionales, & iſtæ ſunt actu infinitæ, non habentes vltimam: ergo remiſſio procedit in infinitum, nullum habens terminum, quod patet eſſe abſurdum.

Secunda

Secunda opinio communis inter recentiores Philoſophos (nam antiqui nec verbum fermè de hac re protulerunt) oppoſita eſt, negans omnino, his qualitatibus terminum paruitatis intrinſecum, qui ſit primus gradus productus, ita vt ſub minori intenſione produci nequeant, & ſolùm eis concedens omnino extrinſecum, qui eſt oppoſita qualitas in ſummo gradu intenſionis in ſubiecto, cum qua in nullo gradu ſimul eſſe poſſunt, bene tamen, cum qualibet minori intenſione eius. Et hæc videtur mihi non ſolum in doctrina Ariſtotelis neceſſaria, ſed omnino vera, & in primis aduerſus oppoſitam tam modo priori à Toleto explicatam, quàm modo poſteriori à Soncinate probauimus, 6.libro Phyſicorum, principiis Ariſtotelis, & veræ Philoſophiæ aduerſari, quod detur primum indiuiſibile motus, quod ſit mutatio inſtantanea, per quam producatur primum indiuiſibile termini, nempe prima præſentia adæquata, vel primum indiuiſibile qualitatis; conſtat vero longe impoſſibilius eſſe, dari primam partem productam eiuſdem termini, ſiue permutationem inſtantaneam (vt ponit Toletus) ſiue per primam partem motus (vt ponit Soncinas) ergo efficaciter ſatis probatum erit, ex illo non dari primam partem intenſionis qualitatis productam aduerſus vtramque ſententiam. Quia euidens eſt in principiis Ariſtotelis, eodem libro expreſſis, non poſſe dari in motu primum moueri, hoc eſt, primam partem proportionalem, cum ſit motus omni ex parte diuiſibilis in infinitum, ſicut cætera continua, ſed nec primam partem aliquotam, in inſtanti factam, propter intrinſecam ſucceſſionem motus, & ex conſequenti, nec primam partem aliquotam termini in inſtanti productam, vt Soncinas poſuit. Et ſi poneretur produ-

cta in tempore, non foret minus impoſſibile, quia cum motus commenſuretur tempori, & terminus, (dum fit) commenſuretur vtrique, repugnaret plane dari partem aliquotam motus, & termini in tempore, ac ſucceſſiue productã, quin immedietate temporis priori daretur medietas partis motus, & medietas partis termini per eam producta: ex quo euidenter deduceretur, primum illum gradum remiſſum, quem Soncinas ponit pro minimo, non eſſe minimum, quod ſic, nec partem illam motus primam, cum detur pars alia aliquota, vtriuſque minor, ac prius producta.

Sed probatur ratione noſtra ſententia aduerſus vtramque; quia euidens eſt, quemlibet gradum caloris eſſe diuiſibilem, ſecundum partes intenſioris, euidens eſt etiam, habere contrarium eodem modo diuiſibile, & tandem euidens eſt, contrarium diuiſibile non poſſe naturaliter ſimul expelli ſecũdum ſuas partes, ſed ſucceſſiue, & in tempore, propter reſiſtentiam contrarij, quam naturaliter repugnat, ſimul vincere contrarium limitatæ virtutis. Sed etiam eſt euidens, omnes partes motus, & omnes gradus caloris eſſe eiuſdem rationis, & ideo eſſe diuiſibiles, & habere contrarium in eodem ſubiecto; ergo ſicut eſt euidens de cæteris, præter primum, non poſſe ſimul produci naturaliter; ſed neceſſario ſucceſſiue; hoc eſt, partem poſt partem, non minus erit euidens de parte prima, ſeu primo gradu termini (quem ponit Pater Toletus, ſimul produci per mutationem inſtantaneam) atque etiam de prima parte, aut gradu termini, (quem ponit Soncinas primo productum, tanquam minimum intenſionis per primam partem motus) repugnare, quod ſimul producatur, quam de cæteris gradibus, vel partibus eiuſdem caloris. Quare ita erit

falſum,

falſum,ponere aliquem gradum primo productum ſimul,vel in inſtanti,ac eſſet falſum eundem ponere in medio,vel ſine motus: non ergo poteſt,his qualitatibus concedi terminus intrinſecus intenſionis, verſus paruitatem,qui ſit minimum quod ſic.

Secundo idem probatur contra Soncinatem. Prima pars, ſeu primus gradus caloris eſt eiuſdem rationis cum cæteris: ergo eſt entitas diuiſibilis in partes integrantes, ſicut illi. Quod conuincitur etiam ex eo, quod recipitur in ſubiecto diuiſibili, habenteque partes. Ex quo in primis euidenter colligo, non poſſe produci ſine extenſione,& ex conſequenti non habere generationem,quæ non ſit ſimul extenſio. Secundo,non minus euidenter elicio, eandem primam partem,vel gradum, non poſſe produci ſine intenſione, quia ſicut entitas eius,partes ſubiecti diſtinctas informás,eſt diuiſibilis,ita entitas eiuſdem informans eandem partem ſubiecti diuiſibilis eſt, quemadmodũ entitas cuiuſcunque alterius gradus informans eandem partẽ ſubiecti. Præterea eadẽ pars ſubiecti perfectius actuatur per entitatẽ totius gradus, qui ſimul produceretur, quã per ſolam medietatẽ eius:ergo poſterior medietas magis perficit eandem partẽ,in qua vtraque recipitur, quam ſola prior:ſed maior perfectio caloris, circa eandem partem ſubiecti, eſt intenſio eiuſdem caloris; ergo impoſſibile eſt produci primum gradum ſine intenſione,ſicut impoſſibile eſt, probatum eſt produci ſine extenſione.

Circa terminum vero magnitudinis, quoad intenſionem; ex dictis de termino intrinſeco actiuarũ potentiarum, aperte colligitur, has qualitates eundem terminum poſtulare, nempe tantam intenſionem,vt naturaliter non poſſint habere maiorem,vt calor, frigus,humor,& ſiccitas octo gradus,& pariter de cæte-

ris, ſecundum proportionem, & exigentiam ſuæ naturæ: nam omnes ferme qualitates, præter primas, oriuntur ex variis earum permixtionibus: merito ergo ſequuntur naturam earum, in modo, quo terminari poſtulant. Sed probatur hac ratione. Non poſſunt qualitates iſtæ naturaliter aliquam habere intenſionem, præter eam, quam accipiunt, vel accipere poſſunt, ab agentibus naturalibus, in quorum virtutibus continentur, & à quibus natæ ſunt produci in ſubiectis; ſed virtutes actiuæ, ſeu potentiæ eorundem agentium, poſtulant terminum magnitudinis intrinſecum, quoad intenſionem ſuorum effectuum, vt diximus; ergo modo ſimili terminari poſtulant qualitates, qui ſunt effectus.

De terminis tandem extenſionis harum qualitatum, tam magnitudinis, quam paruitatis, conſtat ex dictis, de terminis extenſionis potentiarum actiuarum, ſcilicet, intrinſecum terminum magnitudinis poſtulare, paruitatis vero nullum. Hinc enim plane colligitur, qualitates omnes corporeas (nam omnes producuntur per actiuas potentias) eundem terminum magnitudinis poſtulare, nullũq; poſtulare paruitatis; quia euidens eſt, non plus ſe extendere, immo nec maiorem habere poſſe extenſionem naturaliter ea, quam ab agentibus naturalibus, eorumque virtutibus poſſunt ſuſcipere. Quod vero attinet ad potentiam Dei abſolutam mox attingemus.

Quoſnam terminos poſtulent qualitates, quoad intenſionem, & extenſionem, vt ſint diſpoſitiones formæ ſubſtantialis.

DIſpoſitiones formarum duplices ſunt, quædam præcedentes, aliæ comitantes, vel conſequentes formam

formam iam introductam. De vtriſque vero nullum reperire potui diſputantem, ideo diuerſas opiniones non refero, ſed propriam tribus aſſertionibus profero, quantum ad intenſionem: quarum prior ſit de termino magnitudinis priorum diſpoſitionum. Qualitas, vt eſt diſpoſitio præcedens introductioné formæ, præparans materiam pro expulſione formæ præcedentis,& introductione ſequentis,non habet intrinſecum terminum, verſus maximum, ſed extrinſecum dumtaxat. Probatur prior pars de termino intrinſeco hoc argumento: Vt generetur ignis ex ligno, vel ex qualibet alia materia, euidens eſt, non requiri ad expulſionem formæ præcedentis calorem in ſummo gradu intenſionis, nempe vt octo,ſed in minori gradu ſufficere:quia præcedens forma nequit eſſe in materia cum tali diſpoſitione, vt per ſe eſt manifeſtum. Vnde ſequitur, nec talem diſpoſitionem ſummæ intenſionis eſſe neceſſariam,ad introductionem formæ ſequentis,cum introductio naturaliter fiat ſimul cum expulſione, alioqui permaneret materia ſine vlla forma, vel ſubiectum ſine vtroque accidenti contrario; ſed diſpoſitio ſufficiens ad expulſionem non habet terminum intrinſecum,ſed extrinſecum tantum:ergo nec diſpoſitio ſufficiens ad introductionem intrinſecum terminum habebit. Probatur minor, quia ſufficiens diſpoſitio pro expulſione,vel recipitur in ligno, tanquã in proprio ſubiecto, vel in materia eius habẽte adhuc formam ligni: non enim poteſt præparare materiam nudam omni forma, cum hæc non poſſit naturaliter dari,nec poteſt actum diſponere ad expulſionem formæ, iam non exiſtentis; ſed iam expulſæ. Vnde ſequitur eum calorem, qui eſt cum forma ignis in materia, in inſtanti, vel tempore ſuæ introductionis non eſſe diſpoſitionem expellentem,ne-
que

que introducentem, ſed eam, quæ reperitur in ligno, tempore immediate præcedenti: hæc enim expellit formam ligni, hæc præparat materiam pro introductione formæ ignis, quæ non poteſt eſſe determinata, termino intrinſeco; ſed ſicut tempus immediatum indeterminatum eſt, ita calor in eo productus indeterminatus eſt, quia non habet determinatum gradum, ſed ſolum poteſt determinari termino extrinſeco, ita vt verum ſit, non pertingere illum gradum intenſionis, quem habet, iam exiſtens cum forma ignis in prima ſui introductione, ſed bene quemlibet minorem. Talis igitur gradus erit extrinſecus terminus ſufficientis diſpoſitionis ad expulſionem formæ præcedentis, & introductionem ſequentis, & intrinſeco carebit. Et argumentum hoc efficacius procedit præſuppoſita opinione de ſubiecto adæquato accidentium (quam ſequimur) nempe quod ſit compoſitum, & non materia, nam compoſitum præſertim in viuentibus deſinit per primum non eſſe, & conſequenter vltima diſpoſitio pro expulſione formę, ita vt ſicut eſt verum dicere, nunc non eſt compoſitum, & immediate prius fuit, ita ſit verũ dicere, nunc non eſt vltima diſpoſitio expellens, & immediate prius fuit, ſed tempus immediate præcedens eſt indeterminatum, ergo diſpoſitio in eodem tempore exiſtens indeterminata eſſe debet, cum in eo producatur. Quare verum erit non habuiſſe gradum determinatum, ſed illum non attigiſſe, bene tamen quamlibet intenſionem eo minorem.

Ex hac aſſertione infertur ſecunda pars, nempe vltimam diſpoſitionem pro introductione formæ habere terminum extrinſecum, nempe illum gradum, quem forma præcedens non compatitur ſecum, ſed iam eſt in eadem materia habente formã ſequentem.

Aſſertio

Aſſertio ſecunda de termino magnitudinis diſpoſitionum comitantium, aut ſubſequentium formam, affirmat, intrinſecum eſſe eis concedendum neceſſario, quam ſic probo. Diſpoſitiones iſtæ conſequuntur naturam formarum ſubſtantialium, tanquam eis debitæ, vt calor ſummæ intenſionis naturalis, nempe vt octo, reſpectu ignis: ergo ſicut natura formarum ſubſtantialium eſt tantæ perfectionis, & non maioris, ſic poſtulat diſpoſitionem tantæ perfectionis, vel intenſionis, & non maioris, quod eſt eam poſtulare intrinſece terminatam termino magnitudinis.

De termino vero paruitatis earundem qualitatum eſt tertia aſſertio; nullo termino paruitatis definiri, præcedentes diſpoſitiones, ſed quolibet gradu intenſionis deſignato prius ſub minori in infinitum produci potuiſſe talem qualitatem. Probatur hoc argumento: Qualitates iſtæ ſecundum propriam naturam conſideratæ nullum terminum paruitatis poſtulant, vt ſuperius probatum eſt; ſed qualibet intenſione deſignata ſub minori etiam quacunque diſponere poſſunt: ergo non petunt intrinſecum terminum paruitatis. Probatur minor, quia data quacunque forma poſtulante diſpoſitionem tantæ intenſionis poteſt dari alia, & alia in infinitum, poſtulante diſpoſitiones minoris, ac minoris intenſionis: ergo non poteſt habere terminum intrinſecum paruitatis.

De terminis earundem qualitatum, quoad extenſionem.

SVpereſt terminos extenſionis præſcribere eiſdem qualitatibus, vt diſpoſitionibus, quoad extenſionem.

Et quantum ad terminum paruitatis pertinet, tenet

prima

que introducentem, ſed eam, quæ reperitur in ligno, tempore immediate præcedenti: hæc enim expellit formam ligni, hæc præparat materiam pro introductione formæ ignis, quæ non poteſt eſſe determinata, termino intrinſeco; ſed ſicut tempus immediatum indeterminatum eſt, ita calor in eo productus indeterminatus eſt, quia non habet determinatum gradum, ſed ſolum poteſt determinari termino extrinſeco, ita vt verum ſit, non pertingere illum gradum intenſionis, quem habet, iam exiſtens cum forma ignis in prima ſui introductione, ſed bene quemlibet minorem. Talis igitur gradus erit extrinſecus terminus ſufficientis diſpoſitionis ad expulſionem formæ præcedentis, & introductionem ſequentis, & intrinſeco carebit. Et argumentum hoc efficacius procedit præſuppoſita opinione de ſubiecto adæquato accidentium (quam ſequimur) nempe quod ſit compoſitum, & non materia, nam compoſitum præſertim in viuentibus deſinit per primum non eſſe, & conſequenter vltima diſpoſitio pro expulſione formę, ita vt ſicut eſt verum dicere, nunc non eſt compoſitum, & immediate prius fuit, ita ſit verũ dicere, nunc non eſt vltima diſpoſitio expellens, & immediate prius fuit, ſed tempus immediate præcedens eſt indeterminatum, ergo diſpoſitio in eodem tempore exiſtens indeterminata eſſe debet, cum in eo producatur. Quare verum erit non habuiſſe gradum determinatum, ſed illum non attigiſſe, bene tamen quamlibet intenſionem eo minorem.

Ex hac aſſertione infertur ſecunda pars, nempe vltimam diſpoſitionem pro introductione formæ habere terminum extrinſecum, nempe illum gradum, quem forma præcedens non compatitur ſecum, ſed iam eſt in eadem materia habente formã ſequentem.

Aſſertio

Aſſertio ſecunda de termino magnitudinis diſpoſitionum comitantium, aut ſubſequentium formam, affirmat, intrinſecum eſſe eis concedendum neceſſario, quam ſic probo. Diſpoſitiones iſtæ conſequuntur naturam formarum ſubſtantialium, tanquam eis debitæ, vt calor ſummæ intenſionis naturalis, nempe vt octo, reſpectu ignis: ergo ſicut natura formarum ſubſtantialium eſt tantæ perfectionis, & non maioris, ſic poſtulat diſpoſitionem tantæ perfectionis, vel intenſionis, & non maioris, quod eſt eam poſtulare intrinſece terminatam termino magnitudinis.

De termino vero paruitatis earundem qualitatum eſt tertia aſſertio; nullo termino paruitatis definiri, præcedentes diſpoſitiones, ſed quolibet gradu intenſionis deſignato prius ſub minori in infinitum produci potuiſſe talem qualitatem. Probatur hoc argumento: Qualitates iſtæ ſecundum propriam naturam conſideratæ nullum terminum paruitatis poſtulant, vt ſuperius probatum eſt; ſed quolibet intenſione deſignata ſub minori etiam quacunque diſponere poſſunt: ergo non petunt intrinſecum terminum paruitatis. Probatur minor, quia data quacunque forma poſtulante diſpoſitionem tantæ intenſionis poteſt dari alia, & alia in infinitum, poſtulante diſpoſitiones minoris, ac minoris intenſionis: ergo non poteſt habere terminum intrinſecum paruitatis.

De terminis earundem qualitatum, quoad extenſionem.

SVpereſt terminos extenſionis præſcribere eiſdem qualitatibus, vt diſpoſitionibus, quoad extenſionem.

Et quantum ad terminum paruitatis pertinet, tenet

prima opinio, intrinſecum poſtulare, qui eſt minimum quod ſic, ita vt diſpoſitiones, quas quæque forma ad ſui introductionem petit, non poſſint ſuſcipi in quantumcunque parua quantitate ſubiecti, ſed determinata ac certa. Pro qua opinione referunt Patres Conimbricenſes Capreolum, & Soncinatem, cum cæteris nuper citatis: Sed talis ſententia apud eos (quamuis diligenter conſultos) reperire non potui, loquũtur enim de ſolis terminis intenſionis: cæterũ à quocunq; teneatur, hoc argumento probari poteſt. Ex ordine ad finem accipitur modus intenſionis, atque extenſionis formarum, ſed qualitatum finis eſt ſubſtantia, ad cuius generationem diſponunt materiam; ergo, quantam ſubſtantialis forma poſtulauerit magnitudinem in materia, pro ſui introductione, tantam poſtulabunt qualitates diſponentes pro extenſione: vbi enim forma introduci non poteſt, nec diſpoſitiones recipi poterunt, ſed ſubſtantia petit minimam magnitudinem, ad primam generationem; ita vt ſub minori nequeat generari: ergo eodem termino definietur extenſio qualitatum, qui ſit minimum quod ſic.

Vera tamen ſententia eſt, qualitates, vt ſunt diſpoſitiones formarum ſubſtantialium non petere intrinſecum terminum magnitudinis, nec paruitatis, quoad extenſionem. Probatur ſimul vtraque pars hoc argumẽto: Signata qualibet magnitudine, ad quam informandam poteſt ſe extendere quæcunque forma ſubſtantialis, vel quam poſtulet pro minimo quod ſic ſuæ introductionis poteſt deſignari maior in infinitum, ad quam poſſit ſe extendere alia forma ſubſtantialis, atque etiam ſignata minori, cum qua poſſit introduci in materia, poteſt deſignari alia minor in infinitum, cum qua poſſit introduci alia forma ſubſtantialis, ſed poteſt vtrumque mediis diſpoſitionibus, quia ſine il-

lis

lis non valet informare materiam,nec in ea introduci naturaliter(vt per ſe eſt manifeſtum) ergo diſpoſitiones non petunt intrinſecum terminum magnitudinis,nec paruitatis ſuæ extenſionis. Probatur minor exemplo ignis, cuius forma poteſt informare quamcunque materiam, quantumlibet magnam in infinitum (vt ex Ariſtotele attulimus 1. lib. Phyſicorum, agentes de terminis magnitudinis,& paruitatis)poteſt etiam introduci ſub qualibet minori in infinitum (vt ibidem oſtendimus) ergo calor,ſiccitas, raritas eius, cæterȩq; qualitates,quas pro diſpoſitionibus poſtulat, in materia, nec petunt terminum magnitudinis, nec paruitatis ſuæ extenſionis intrinſecum.

Argumentum vero oppoſitum nobis fauet, diſpoſitiones enim ad formas ordinantur, ex quibus conſtat,terminari aliquas termino intrinſeco, alias vero nullum terminum intrinſecum petere, ſed extrinſecum dumtaxat,videlicet infinitum pro maximo,& indiuiſibile pro minimo,& ideo cenſendum eſt,nullum terminum intrinſecum extenſionis petere diſpoſitiones,quia pro vtriſque indifferenter diſponere poſſunt, ita vt eædem, quæ diſponunt pro forma poſtulante intrinſecum,poſſint etiam diſponere pro non poſtulante,niſi extrinſeco.

De terminis qualitatum naturalium,ſecundum potentiam Dei abſolutam.

SCotus in 1.diſtinctione 4. §. ad primam quæſtionem dico, ſentire videtur qualitates naturales ita poſtulare intrinſecum terminum magnitudinis, vt nec per potentiam Dei abſolutam eum ſuperare valeant. Quod hac ratione probari poteſt. Summum vocatur illud,in quolibet rerum genere,cui nihil in eo

add:

addi poteſt:ſed calor vt octo,quem habet ignis, ſummum eſſe ſentiunt omnes, & pariter ſummam intenſionem aliarum qualitatum,ſentiunt eſſe octo gradus; ergo nec per potentiam Dei abſolutam dari poteſt maior.Probatur conſequentia,quia eo ipſo,quod maior dabilis foret,hæc non eſſet ſumma.

Veritas nihilominus huius rei eſt, reſpectu potentiæ Dei abſolutæ, non eſſe præſcribendum terminum intrinſecum magnitudinis,nec paruitatis ſecundum intenſionem,vel extenſionem qualitatibus naturalibus. Quã in primis de termino magnitudinis elicio,ex D. Tho.2.2.q.24.art.7.vbi de charitate,cęterisq; qualitatibus ſupernaturalibus decernit, nullo intẽſionis termino definiri;ſed in infinitũ creſcere poſſe:ergo lõge melius id ſentiet de qualitatibus naturalibus:nã cũ ſupernaturales ſint participationes immediatæ diuini eſſe ſupernaturalis, difficilius exiſtimaret Doctor ſanctus,quod in infinitũ abire poſſet earũ perfectio intẽſiua,vt mox videbimus. Sed probatur ratione,primo, quia intẽſio nõ pertinet ad eſſentiã qualitatis, neq; ab ea emanat tanquã paſſio,vel proprietas,ſed ab extrinſeco agẽte ei prouenit:ergo licet eſſentia eiuſdẽ qualitatis limitatã perfectionem habeat,& ex conſequenti terminatã,non proinde neceſſarium eſt, determinatã poſtulare intẽſionẽ,vltra quã procedere nõ poſſit, ſed tantã poteſt ſuſcipere, quãta poteſt ei cõmunicari ab agente,ſed agens infinitum,qualis eſt Deus,poteſt data quacunque maiorem ei communicare:ergo quacunque ſuſcepta,poterit ipſa maiorem in infinitũ ſuſcipere,ac proinde non poſtulabit terminum aliquem magnitudinis reſpectu potentiæ Dei abſolutæ.Secundo,ita plane ſe habet intẽſio reſpectu qualitatis, ſicut extenſio reſpectu quantitatis:ſed nemo vnquam præſcripſit quantitati reſpectu potentiæ Dei abſolutę extenſionem

tenſionem determinatam: ergo modo ſimili, qualitas nullam ex ſe poſtulabit determinatam intenſionem, reſpectu eiuſdem potentiæ abſolutæ, ſed in infinitum creſcere poterit.

Quod vero ad terminum extrinſecum pertinet, qui putant, dari poſſe actu infinitum, per potentiam Dei abſolutam, illũ concedunt qualitatibus, quoad intenſionẽ, & quoad extenſionem, ſicut & quantitati. Nos vero, qui 3.li. Phyſicorum tenuimus, atque efficaciter probauimus, in nullo genere rerũ poſſe dari actu infinitum; conſequenter aſſeueramus, qualitatẽ non poſſe eſſe actu infinitã, quoad intenſionem, vel extẽſionem, ex quo neceſſario infertur, habere aliquo modo terminum extrinſecũ, quem non poteſt attingere, bene tamen quodcũque minus, & talem terminũ (ſi ſic loqui licet) eſſe intenſionem, & extenſionẽ actu infinitam.

Ad argumentũ vero in fauorem Scoti propoſitum, reſpondeo hac diſtin. octo gradus intenſionis, qui attribui ſolent qualitatibus primis elementorum, & ſuo modo cæteris ex cõmixtione ortis, non eſſe ſummam intenſionẽ ſimpliciter, & abſolute, ſed ſummã, quam ſecundum ordinẽ naturalem cauſarum ſuſcipere poſſunt, neque à propria natura, neque à naturali aliqua cauſa, ſeu virtute poſſunt plus intendi: ſed naturæ earum, abſolute loquendo, non repugnat habere maiorem in infinitum, & propterea quamcumque aliam (præter infinitam actu) poſſunt ſuſcipere à Deo potentiam obedientialem ſuperius explicatam.

Quonam modo præſcribendi ſint termini qualitatibus ſupernaturalibus.

SVpernaturales qualitates ſunt, quas Deus ipſe, non vt naturale agẽs, vel mediis cauſis naturalibus, ſed ſua virtute totam naturã ſuperante, infundit; tales ſunt

habitus gratiæ,& charitatis,&c.De quibus dubitamus an,& quomodo terminentur, & quidē cum ſint qualitates ſpirituales,ſicut ſubiectū, cui inhærent,extenſione quantitatiua carent,& conſequenter carent terminis,quoad extenſionē; ſed habent veram intenſionem gradualem in ſuo genere ſpirituali, & propterea controuerſia de terminis, quoad intenſionē gradualem,locum in eis habet. Duplex eſt autē conſideratio harum qualitatum:prior quidem, in ordine ad finem gloriæ,cuius gratia, vel in ordine ad quē infunduntur à Deo,vt videlicet per eas fiant homines Deo grati,& ad ipſum per operationem tendant:poſterior eſt qualitatum ſecundum ſe. Et iuxta priorem conſiderationem conueniunt omnes cū D.Tho.3.par.qu.7.art.12. præſcribendum eis eſſe terminum magnitudis intrinſecum,ita vt detur maxima gratia,qua maior dari non poſſit vllo modo, vel per vllam potentiam,& talē eſſe gratiā ſanctiſſimæ animæ Chriſti Domini,cuius egregiam aſſignauit rationem D. Thomas ibidem:quia finis gratiæ eſt vnio creaturæ rationalis ad Deum, ſed neque eſſe,neque intelligi poteſt maior vnio creaturę rationalis ad Deum,ea, quā habet humanitas Chriſti, & conſequenter eius anima , cum ſit vnio perſonalis cum diuino Verbo,ad quam ordinatur habitualis gratia eius;quare in ordine ad finem repugnat dari maiorem gratiam,& ex conſequenti erit maximū quod ſic, ſub hac conſideratione.Controuerſia igitur ad poſteriorem conſiderationē reuocatur,& ſenſus eius eſt:an conſiderata gratia ſecundum ſe,hoc eſt,abſtrahendo à fine habeat terminum,quoad intenſionem,& quidem ſecundum legem à Deo conſtitutam,& ordinatam in rebus ſupernaturalibus, conuenit etiam inter omnes, dari gratiā tam intenſam, qua nō poſſit intenſior dari ſecūdum communē legem:ita D.Thomas ibid.ar.3.&
cum

cum eo omnes interpretes, immo omnes ſcholaſtici,

Quæſtio igitur ſolum poteſt procedere de gratia ſecundum ſe,& ſecundum potentiam Dei abſolutam, in quo ſenſu ei ac cæteris qualitatibus ſupernaturalibus,intrinſecum præſcribunt terminũ magnitudinis, quoad intenſionem.

Scotus in 3.diſt.13.q.4.§. ad primam quæſtionem dico;Durandus ibid.qu.1. Caietanus 3.par.qu.7.ar.11. & 12.aſſerunt,gratiã animæ Chriſti, & conſequenter cætera eius dona,eſſe ſummam, quoad intenſionẽ,ita vt repugnet amplius intendi, aut fieri aliam intenſiorem,etiam per potentiam Dei abſolutam.Probat Scotus duplici argumẽto:primo ſi deſignetur infima gratia ſecundum intenſionem,& hæc intendatur, quantum poſſibile eſt,tunc quæritur,an aliquem ſtatũ habitura ſit eius intenſio, vel nullũ, ſed in infinitũ proceſſura:ſi ſtatũ admiſeris, erit iam ſumma eius intenſio,iuxta eundem ſtatum,cùm non poſſit vltra procedere,& per illũ gradum;quem attigerit,terminabitur, tanquam per maximũ quod ſic:ſi vero ſtatum habituram eſſe negaueris,ſequitur peruenturam eſſe ad perfectionem actu infinitã creaturæ repugnantem. Probatur conſecutio,quia quo plus intenditur,plus perficitur,ſi ergo ad intenſionem actu infinitam peuenire poteſt,ergo ad perfectionem actu infinitam.

Secundo, quia in rebus permanentibus, quantum eſt de virtute,ſeu potentia, tantũ eſt de actu,vt docet plane Ariſtoteles 3.lib.text.69. ſi ergo per potentiam actiuã Dei, & paſſiuam ſubiecti,qualitates iſtæ in infinitum perfici poſſunt per viam intenſionis,poterant talem perfectionẽ àb agente ſuſcipere, & in ſubiecto habere.Probatur conſequẽtia,quia ſi Deus poteſt animam in infinitum perficere per ſucceſſiuam intenſionem,poterit gratiã infinite perfectã vnico actu creare,

eidemque animæ infundere, ſed gratiam eſſe actu infinitam inuoluit cōtradictionē: ergo falſum eſt, quod eius intenſio poſſit producere in infinitum, per potentiam Dei abſolutam. Et vrgeri poteſt argumentū hoc modo: forma, quę imprimitur ſubiecto, vel ei infunditur, non poteſt perfici, vel intendi, niſi ſecundum capacitatem ſubiecti, quæ ſi limitata probetur, concluſum erit, quod terminū intenſionis intrinſecū habeat ipſamet forma: ſed capacitas, ſeu potentia animæ, in qua recipiuntur ſupernaturales qualitates non eſt infinita, ſed ad certum gradum perfectionis limitata, ſicut eſſentia eiuſdem animæ, à qua oritur, vel cui identificatur, ergo intenſio earundem qualitatum terminum habebit intrinſecum, quē excedere non valebit.

Tertio arguit Durandus, & Caietanus; ſi gratia nō haberet terminum magnitudinis, ſeu intenſionis intrinſecum, ſed qualibet deſignata gratia, quantūcumque intenſa intenſior alia effici poſſet, ſequeretur, gratiam animæ Chriſti non eſſe ſummā ſed alterā intenſiorē eſſe poſſibilē, & e conſequenti poſſibile etiā foret, quod aliquid maius, aut melius fieret, quā ſit talis gratia. Et cū formalis effectus eiuſdē gratiæ ſit efficere animam gratā Deo, ſequitur tandē aliquid fore Deo gratius anima Chriſti, quod plane impoſſibile eſt.

Poſteriorē ſententiam huic oppoſitā tenet expreſſe D. Tho. 3. p. q 7. ar. 12. atque etiam 2. 2. q. 24. ar. 4.

Quam ſententiam amplectitur Sotus 1. lib. Phyſicorum, quęſt. 4. & cęteri omnes recentiores (nam antiquiores ſcholaſtici, nec verbum de hac re ſcripſere) & videtur mihi non ſolum probabilis, ſed vera, quam D. Thomas probauit in poſteriori loco citato hac ratione ſatis efficaci. Intenſio alicuius formæ ex triplici capite poteſt determinari, nempe ex parte eiuſdem formæ determinatam menſuram habentis, ad quam cum

per

peruenerit, non poterit vlterius progredi, quin in alteram ſpeciem conuertatur: aut ex parte agentis, cuius virtus limitata eſt ad intendendam formam in ſubiecto; vel demum ex parte eiuſdem ſubiecti, quod maioris perfectionis, aut intenſionis capax non eſt. Sed nullum ex his capitibus terminum ponit intenſionis, ſupernaturalium qualitatum: ergo data qualibet intẽſione earum, plus in infinitum intendi poſſunt, quod eſt non habere terminum intrinſecum ſuæ intenſionis verſus maximum. Probatur minor, quia gratia, & charitas ex propria natura, & ratione ſunt participationes quædam infiniti amoris diuini ſupernaturalis, qui eſt Spiritus Sanctus. Sed participatio hæc nullum terminum admittit, quia data quacumque poteſt plus participari à creatura rationali, vt per ſe conſtat; ergo ex hoc capite, termino magnitudinis intrinſeco caret earum intenſio, vel perfectio. Virtus etiam diuina ſupernaturalis eas infundens in anima infinita eſt, & ideo dato quocunque gradu gratiæ, quem animæ tribuit, poteſt tribuere alterum perfectiorem infinitum. Capacitas deniq; animæ, reſpiciens eandem virtutem diuinam ſupernaturalem (quo pacto potentia paſſiua obedientialis vocatur) non poteſt habere terminum vltra quem non poſſit procedere, niſi quem habet eadem potentia actiua infundentis gratiam, ſed tantam gratiam poteſt ab ea recipere, quãtam poteſt ipſa producere (cum non recipiat per naturã, ſed per obedientiam, nec per potentiam naturalem, ſed obedientialem) quæ potentia cum termino intrinſeco magnitudinis careat, & data quacumque poſſit intenſiorem in infinitum producere, ſequitur, nullum terminum deſignari poſſe, quem non poſſit intenſio gratię excedere. Et poteſt hoc argumentum vrgeri hoc modo: potentia paſſiua naturalis ſubiecti mẽſuratur per actiuã

naturalis agentis, ita vt tam perfectam, aut intenſam poſſit ſubiectum recipere naturaliter, quam perfectam, aut intenſam poteſt producere agens naturale: ergo potentia obedientialis ſubiecti, reſpiciens actiuam, ſuperioris agentis, tam perfectam, vel intenſam formam poteſt ab eo recipere, quàm perfectam, vel intenſam poteſt ipſummet agẽs producere. Quare eundem terminum poſtulant tria hæc, nempe potentia actiua ſuperioris agentis, potentia obedientialis ſubiecti, & latitudo intenſionis formæ. Sed de potentia actiua conſtat, non habere terminum intrinſecum, per locum, igitur ab intrinſeco ſequitur, neque obedientialem potentiam ſubiecti, neque latitudinem formæ ab illo producendam, & à ſubiecto recipiendam, intrinſecum terminum habere.

Neque argumenta pro parte Scoti magnum negotium exhibent, nam ad primum negandum eſt, intenſionem qualitatis reſpectu potentiæ abſolutæ Dei, vllum habere ſtatum, vltra quem non poſſit procedere. Negandum inſuper eſt, quod Scotus intulit, nempe infinitam actu futuram eſſe intenſionem, neque ſequitur, quod ſi aliquid magis, ac magis in infinitum perficiatur, ad perfectionem actu infinitam aliquando peruenturum ſit, immò nec peruenire poſſe, ſed hoc ſolum inferri ex eo poteſt, quod perfectio quam aſſequi valet, non definiatur termino intrinſeco, vt conſtat de diuiſionibus continui.

Neque ſecundum argumentum probat intentum, quia licet admittamus, tantum poſſe ſubiectum recipere ab agente, quantum poteſt agens producere, non ſequitur, recepturum aliquando effectũ actu infinitũ, quia neque produci poteſt ab agente; totũ enim, quod poteſt producere, ad extra agens infinitæ virtutis, non poteſt ſimul vllo modo procedere, ita vt nihil ſuperſit

ab

abeo producedũ,quia totũ,quod poteſt,non eſt determinatum, ſed indeterminatum,vt in diuiſionibus cõtinui videmus,ex eo enim,quod non ſunt determinatæ omnes diuiſiones continui, quas Deus efficere poteſt,euidẽter ſequitur,quod nec ſimul,nec ſucceſſiue, poſſit efficere omnes poſſibiles, ſed quibuſcũque factis;ſemper ſupererunt infinitæ efficiendæ, quia quod efficiendum eſt, determinatum eſſe debet:falſum igitur eſt, quod Scotus intulit,videlicet poſſe Deũ ſimul infundere omnem gratiam à ſe producibilem animę, quia intenſio poſſibilis indeterminata eſt, & proptérea impoſſibile eſt,totam ſimul produci, vel aliquando fore productam. Producibile ergo à Deo ſub eſſe permanente ſolum eſt infinitum in potentia.

Argumentũ denique Durãdi,& Caietani, hac diſt. à D.Thoma inſinuata,3.par.qu.7.ar.12.ſoluitur.Gratia habitualis Chriſti dupliciter conſideranda eſt, primo,in ordine ad effectus,& officia gratiæ, quæ habet in illa perſona, & ſic vocatur à D. Thoma infinita, & merito,quia habet virtutem ad omnes effectus gratiæ poſſibiles præſtandos:ſecundo in quantum eſt qualitas quædã,& habitus ſupernaturalis eiuſdem rationis cum quolibet alio habitu gratiæ cuiuſq; hominis,habenſque latitudinem gradualem intenſionis, ſicut habent cæteri habitus gratiæ,& effectum formalẽ ſimilem,nẽpe efficere animam illã ſanctiſſimam Deo gratam, ſicut quæcumque alia gratia cuiuſcũque hominis,& hoc modo conſiderata gratia Chriſti finita eſt, ſicut cæteræ, & finito modo efficit animam eius Deo gratam,& augeri poteſt,vel intendi in infinitum,ſicut illæ,immo poſſibile eſt per potentiam Dei abſolutam fieri aliã gratiã,atque alias intẽſiores, & in hoc genere perfectiores;& ſi fierent,daretur abſque dubio aliquid maius,& melius(ſub eadem conſideratione par-

ticulari) quã ſit gratia habitualis Chriſti, quod (abſq; dubio) nõ eſt reformidandũ concedere, quia illud expreſſe concedit D. Thomas loco proxime citato ad ſecundũ, hiſce verbis: *Dicendũ, quod virtus diuina, licet poſſit facere aliquid maius, & melius, quã ſit habitualis gratia Chriſti, non tamẽ poſſet facere, quod ordinaretur ad aliquid maius, & melius, quã ſit vnio perſonalis ad Filiũ vnigenitũ à Patre.* Eſt ergo gratia ſumma in priori cõſideratione, nõ in poſteriori cõparatione abſolutæ potentiæ Dei.

APPENDIX DVBIVM.

An potentia obedientialis animæ ad recipiendam gratiam, & dona ſupernaturalia ſit infinita.

QVamuis de potentia obediẽtiali animæ in particulari ſciſcitetur dubium, de potẽtia etiam obedientiali cuiuſcumque ſubiecti intelligi debet, quia eadem eſt ratio de omnibus; cum poſſit quodlibet ſubiectum formam magis, ac magis intenſam in infinitum ab agente ſuperiori recipere: nec ſolum quærit, an ſit infinita in potentia, quia hoc videtur apertum ex dictis, ſed an ſit actu infinita.

Et partem affirmantem, eſſe actu infinitã ſic oſtendo: poſſe recipere formã, vel actũ, eſt perfectio aliqua in ſubiecto, cũ ſit concurrere ad eſſe eius, atque etiam ad conſeruationem: ergo poſſe recipere formã perfectiorem, aut intenſiorem in infinitum, erit perfectio infinita, & actualis quidem, quia eam habet in ſe ſubiectã à principio, cum receptione formę non augeatur capacitas ſubiecti, vt ſupra oſtendimus: ergo eſt perfectio actu infinita. Et vrgeo argumentũ hoc modo. Recipere formã alicuius intenſionis eſt aliqua perfectio in ſubiecto: ergo recipere formam magis intenſam, eſt maior perfectio, ſed intenſio, quam poteſt actu

recipe

recipere caret termino intrinſeco:ergo actualis perfectio eius eodem termino caret, eritque proinde actu infinita. Secundo, quia poſſe producere effectum, maioris, ac maioris perfectionis in infinitum arguit in agente perfectionem actu infinitam:nam ex hoc ſolo deducimus, Deum eſſe infinitæ perfectionis, quod dato quocunq; effectu cuiuſcunque perfectionis, poteſt perfectiorem in infinitum producere, quamuis putemus infinitum actu efficere non poſſe: hoc vero idem reperitur in ſubiecto, quod recepto quocunque effectu ab agente ſuperiori, poteſt intenſiorem, ac perfectiorem recipere in infinitum: ergo par eſt ratio.

Et vrgeo præterea, quia potentia actiua, & paſſiua reciprocam habent correſpondentiam: ergo tanta & non minor debet eſſe paſſiua obedientialis, quanta eſt actiua ſuperioris agentis, cui correſpondet. Probatur conſequentia, quia quantū poteſt ſuperius agens producere per potentiam actiuam, tantum poteſt recipere ſubiectum per paſſiuam obedientialem; ſi igitur potentia actiua Dei actu infinita eſt, erit etiam actu infinita potētia paſſiua obedientialis ſubiecti, potens recipere omnem formam cuiuſcunq; intenſionis, quam Deus poteſt extra producere.

His tamen non obſtantibus, tenendum eſt, potentiam obedientialem animæ ad recipiendam gratiam, & cuiuſcunque alterius ſubiecti, vel materiæ, ad recipiendam formam ſuperioris ordinis, ſiue ſecundum ſubſtantiam, ſiue ſecundum modum, finitam eſſe ſimpliciter, & ſolum per quandam denominationem extrinſecā, vocari poſſe infinitam ſecūdū quid. Quod ſic probo: ſubiecto per receptionem formæ ſuperioris non additur noua potentia paſſiua, ſed ſolum informatio, ſeu inheſio eius, nec per receptionem perfectioris, aut intenſioris formæ intenditur eadem po-

tẽtia, nec additur ei niſi perfectior, ſeu intẽſior actuatio eiuſdem potentię: ergo ex eo, quod poſſit recipere intenſiorem formam in infinitum, non ſequitur, quod potẽtia ſit infinita actu, ſed ſolum, quod perfectius in infinitum actuare poſſit. Conſtat vero actuationem ſemper eſſe finitam, & actu infinitam eſſe non poſſe: ergo nec potentia obedientialis, ex parte actuationis actus, quem recipit, infinita eſt ſimpliciter, ſed ſolum dici poteſt infinita, ſecundum quid, & ſyncategorematicè, in quantum recepta quacunque intenſione formæ, poteſt maiorem in infinitum recipere; eodem fere modo, quo diuiſio continui infinita vocatur in potentia. Secundo probatur quid per receptionem perfectioris, aut intenſioris actus, non additur ſubiecto, vel materiæ vllá alia potẽtia obedientialis, neque vllus gradus eius, per quem augeatur; ergo in ratione potentiæ non fit maior, vel intenſior, quare neque in ratione potentiæ poteſt eſſe vllo modo infinita. Antecedens probo, quia potẽtia obedientialis eſt eadem entitas realis cum naturali, & ſola ratione formali ab eá diſtincta per ordinem ad diuerſas potentias actiuas, vel diuerſa agentia; ſed potentia naturalis eſt eadem entitas materiæ, vel ſubiecti, eademque eius ſubſtãtia, quæ per receptionẽ formæ accidentalis, aut alicuius modi creſcere non poteſt, aut maior fieri: ergo repugnat eſſe vllo modo infinita in ratione potentiæ, ſed ſolum ex parte actuationis poteſt habere aliquam rationem infinitam in potentia, & ſecundum quid, vt eſt expoſitum in prima ratione.

Et ex his patet ad argumenta: nam ad primũ diſtinguendum eſt antecedẽs, quod poſſe recipere formam ſuperioris ordinis, ſit aliqua perfectio; eſt enim eadem ipſa perfectio, quam importat materia vel ſubiectũ in ſua entitate cum reſpectu ad potentiam actiuam ſuperioris

perioris agentis, non eſt tamẽ perfectio alia ſuperaddita;& cum additur eſſe maiorem perfectionem poſſe recipere perfectiorem, aut intenſiorem formam ab eodẽ agente,iterũ diſtinguẽdũm eſt,nam ſi per maiorem perfectionem intelligatur maior potentia,vel aliquid potentiæ ei ſuperadditum, negandum eſt, quia per receptionem actus,vel perfectiores actus, non fit potentia capacior,nec maior(vt probauimus) ſed perfectius actuatur, & ideo ex parte actus; vel actionis additur ei nouum aliud magis perfectum, ſed hoc ſemper eſt finitum,& infinitum eſſe repugnat.Et propterea neque ex hac parte potentia obedientialis infinita eſt,niſi in quantum eadem prorſus, ac ſine augmento permanens finita poteſt recipere à ſuperiori agente perfectiorem formam ordinis ſuperioris in infinitum,quod eſt eſſe infinitum ſecundum quid, & quaſi in potentia ex parte actus,vel actuationis, ſicut diuiſio continui.

Ad ſecundum, conceſſa maiori de infinito agente, neganda eſt minor, quod eadem ſit ratio de materia, quia valde diuerſa ratio eſt vtriuſque cauſæ; nam virtus actiua continet in proprio eſſe, tanquam actus perfectiſſimus,formam cum tota eius intenſione, ac perfectione, & propterea ſi data quacunque forma intenſiore, poteſt eam plus in infinitum intendere, vel intenſiorem aliam in infinitum producere,neceſſe eſt totam hanc perfectionem infinitam poſſibilem in proprio eſſe tanquam actum primum perfectiſſimum ac modo perfectiſſimo continere formaliter vel eminenter,& ideo actu. Quod non valet in potentia paſſiua, quæ non influit aliter quàm recipiendo. Quare non eſt opus hanc formam aut perfectionem eius aliter quàm vt explicatum eſt in potentia paſſiua contineri : quod ſolum eſt materiam

poſſe

poſſe concurrere paſſiuè ad eductionem earum, ſua cauſalitate paſſiua, à qua quodammodo pendēt in eodem genere materialis cauſę, in eſſe & fieri. Patet ergo ex hoc modo continendi, & concurrendi, non ſequi potentiam obedientialem eſſe infinitam, niſi ſecundum quid, modo explicato.

Ad aliud verò, quod tandem additur de correſpondentia paſſiuæ potentiæ obedientialis cum actiua ſuperioris agentis, concedendum eſt antecedens, quod ſit reciproca. Sed neganda eſt conſequentia, quod ſicut actiua eſt infinita ſimpliciter, ita & paſſiua, cuius diſcriminis ratio ex perfectione potentię actiuæ, & maxima imperfectione paſſiuæ deſumenda eſt, vt explicuimus. Potentia ergo actiua actu & ſimpliciter ſecundum proprium eſſe infinita eſt, paſſiua verò nihil actu infinitum habere poteſt, ſed ſolum in potentia: quia plus poteſt in infinitum recipere, & ſemper finitum eſt, quod actu recipit.

IN SECVNDVM LIBRVM Ariſtotelis de Cælo, & Mundo.

BREVE PROOEMIVM.

NAtura, & ratione totius mundi expoſita; cuius expoſitio confuſam quandam notitiam partium eius continet, doctrinæ ordo poſtulabat diſtinctam ſingularium partium explicationem, ex qua diſtincta etiam huius mundi cognitio reſultat. At inter omnes mundi partes principem locum obtinere cæleſtia corpora, in aperto eſt; quare neceſſe fuit ea prius, quam cæteras partes explicare: quorum notitia ex tribus dependet, nimirum ex cognitione totius, quam magna ex parte ex motu eius, atque ex his, quæ motum concernunt, inueſtigare voluit Ariſtoteles: nam res natura conſtantes per motum cognoſcit Philoſophus. Deinde ex notitia partium: partes vero cæli præcipuæ ſtellæ ſunt, de quibus propterea diſputationem inſtituit Ariſtot. tria de eis docens; nempe, quæ ſit earum natura, quis motus, quæ figura: & tandem cùm motus circularis per centrum, circa quod verſatur, cognoſcendus ſit, de terra, quaſi de centro, circa quod voluuntur cæleſtia corpora, diſſerendum fuit: & ecce tibi tripartitam huius ſecundi libri diuiſionem.

ARIS

ARISTOTELIS STAGIRITÆ, DE CÆLO, ET MVNDO.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Textus Ariſtotelis.

Quod igitur neque factum ſit vniuerſum cælum, &c.

Breuis expoſitio textus.

INtendit Ariſtoteles in hoc capite, docere, quo modo moueatur cælum, ſine vlla ſcilicet vi in oppoſitum renitente, & ideo ſine vllo labore ſit perpetuus Diuiditur in tres partes: in prima colligit ex dictis in præcedenti libro vniuerſalem concluſionem; in ſecunda probat motũ cæli eſſe quaſi finem omnium motuum ſublunarium corporum, & ſine vllo labore, aut difficultate perpetuum, & in tertia parte refert, & reiicit tres ſententias priſcorum Philoſophorum; circa modum, quo idem motus cælorum fiat.

Principio igitur hanc concluſionem colligit ex præcedenti lib. cælum eſſe ingenitum, incorruptibile, immortale, ac ſempiternum, principij ac finis expers: per quam non tam intendere videtur quod abſque initio durationis ſit (vt bene adnotat D. Th. in Cõmentariis) ſed quod neq; per generationẽ potuerit incipere, neque per corruptionem deſinere, vt plures ex antiquioribus

ribus opinati ſunt, & de ſublunaribus corporibus communiter conceditur.

Aſſerit in ſecunda parte capitis, motum cæli eſſe quaſi finem cæterorum omnium motuum ſublunarium corporum, probatque hoc argumento: Quidquid continet aliud, habet rationẽ finis reſpectu eius: nam contentum ex propria ratione terminatur ad continens, quod eſt, ordinari ad illud, tanquam ad finem, ſed motus circularis cæli continet omnes motus rectos elementorum, ac cæterorum corporum: ergo eſt finis eorum. Minorem probat, quia perfectum cuiuſlibet generis continet imperfecta omnia eiuſdem generis: ſed omnes motus recti, in genere motuum, imperfecti ſunt, cum habeant principium, & finem, & propterea perpetuos eſſe repugnet, ſolus vero motus circularis (vt pote principio, & fine carens) ex propria ratione poſſit eſſe perpetuus: ergo vere eos continet, & quaſi finis eorum eſt. Talis autem motus debebatur naturaliter corpori ex propria natura ingenito, atque incorruptibili, contrarioque carenti, & ideo naturaliter perpetuo, quale eſt cælũ, quod ex eadem radice habet, vt idem motus eius contrario careat, & ex conſequenti, quod ſine vlla violentia fiat; nam violentia ex reſiſtentia contrarij prouenit; ex quo etiam fit, vt moueatur cæleſte corpus ſine vllo labore, vel fatigatione ſui motus.

Ex dictis reiicit Ariſtoteles in poſteriori parte capitis tres ſententias priſcorum Philoſophorum, quarum prima fuit poetica quędam fictio excogitantium, Atlantem cælum humeris ſuſtentare, ne ſuo pondere ruat, quam Poetarum princeps 6. Æneid. illo carmine tetigit de Atlante ſic loquens:

Axem humero torquet, ſtellis fulgentibus aptum.

Quam alij in alium ſenſum accepiſſe eandẽ Atlã-

tis

tis fictionem, referat Dionyſius Sicul. lib. 4. vt exiſtimauerint, Atlantem fuiſſe Aſtrologiæ peritiſſimum, & hac de cauſa viſus ſit cælum ſuis humeris ſuſtinere; ſed de hoc, vt pote per metaphoram aſſerit, non eſt habenda ratio. Illud vero falſum eſſe ex dictis in 1. lib. conſtat, vbi probatum eſt ab Ariſt. & à nobis confirmatum, quod cæleſtia corpora grauitate & leuitate, atque etiam omni pondere careant, quare nec fulciente, nec ſuſtentante indigēt. Et eadē ferme ratione probatur falſa ſententia Empedoclis, qui cælum naturalē habere grauitatem ſentiens, aiebat, tanta celeritate circumuolui, vt ab eadē ſuſtentetur, ne deorſum ruat: Eodem modo, quo hydria aqua plena, dum nimia velocitate in circulo voluitur, aquam, licet grauem, non effundit. Sed præter quam quod falſum oſtenſum eſt, cælo tribuere grauitatem, gratis, ac ſine pondere rationis præſupponit poſitio hæc, ſolam motus velocitatem potuiſſe tot ſæculorum ætatibus tam ingens pondus grauitatis deorſum intentis vincere. Quod non probat poſſibile exemplo hydriæ, vt conſideranti facile patebit.

Tertia ſententia fuit Platonis, qui in Timæo docuit, cæleſtes orbes animatos eſſe, & propria animarum vi contra inclinationem grauitatis detineri, ne deorſum ruant. Quam ex eo cōfutat Ariſtoteles, quia motus cælorum, reſiſtente propria grauitate maximo cum labore ac defatigatione animarum fieret; quæ ideo non poſſent eſſe beatæ; vt cæleſtes mentes decet, ſed miſerabiliores cunctis animātibus; in quibus nullum eſt, quod non interdum ſomno, aut laborum intermiſſione quieſcat; foretque talis anima cæli Ixioni ſimilis, quem fingunt Poetæ apud inferos ea pœna cruciari, vt rotam perpetuo cū labore euoluat. Quæ omnia cum abſurda ſint, colligit Ariſtoteles,

magis

magis eſſe rationi naturali conſentanea, propriam ſententiam,æternitatem cælo,ac motui eius ſine violentia tribuentem.

QVÆSTIO I.

An cæleſtia corpora ſint animata.

PRo parte affirmante placet in primis referre id quod de toto mundo ſenſerunt Philoſophi omnes, tam Græci, quàm Ægyptij, Platone antiquiores, videlicet, anima præditum eſſe, & ideo velut magnum quoddam animal eſſe, & appellari debere. Ejus poſitionis meminit, immo expreſſe ſequutus fuit Plato in Cratylo Epimenide, ſed quantum ad partes diuerſo modo ſenſiſſe inueniuntur, ita vt quidam eorum, eadem anima totum & partes conſtare crediderint. Alij verò ſingulis corporibus cæleſtibus animas ſingulas applicatas eſſe cenſebant. Alij vnicuique ſtellæ propriam atque diſtinctam. Alij demum ex eis intelligentem duntaxat animam cæleſtibus corporibus attribuebant. Alij vegetatricem ſimul cum ea, dicentes, ſydera humoribus ali. Ita Cleantes, teſte Cicerone 2.libr.de Natura Deorum, & Plinius 2. libro Hiſtoriæ,cap.8. & tandem Seneca 2.lib naturalium quæſtionum,cap.5.cæterique Stoici.Communis autem hæc ſententia de anima mundi firmiter adeo horum Philoſophorum animis adhæſit,vt Anaxagoram impietatis damnauerint,quod Solem ignitum lapidem,non verò animal,neque Deum eſſe protulerit, vt Laertius affirmat in vita eius,& Diuus Auguſtinus libro 18.de Ciuita. Dei,cap.14.Orbes deinde animatos fecerunt: ex Hebræis Philo Iudeus & Rabi Moyſes: Arabes etiã multi,vt Auicena,Algacellus,Alpharabius,& Albumaſar:ex Aſtrologis vero Ptolomæus,&

complures alij. Quam etiam ſententiam approbauit Origenes 7.libro Periarch.& tomo 1. commentariorum in Ioannem.D. autem Auguſtin.2. lib. ſuper Geneſim ad litteram, hanc eandem quæſtionem diſputans, inter vtramque eius partem hæſiſſe videtur: in poſteriori loco aſſerens incertum ſibi eſſe,an ſtellæ ad ſocietatem beatorum pertineant, ſed nec illud certum apud ſe habere,an ad earundem ſocietatem pertineant Sol,& Luna,cunctaque ſydera,quámuis nonnullis (inquit) lucida tantum corpora ſine ſenſu & intelligentia videantur.

Pro confirmatione autem eius non parum videntur facere complura, atque expreſſa teſtimonia Ariſtotelis, præſertim duo illa, quæ habentur 2.libro de cælo,cap.13.vbi aſſerit, cælum eſſe animatum, & habere in ſe principium motus, ac poſitionum differentias viuentium proprias, vt ſeorſum, deorſum, dextrum,ſiniſtrum,ante,& retro:libr. etiam Metaphyſicę 12.ca.7.affirmat,primum mouens orbes cæleſtes,hoc eſt,Deum mouere, vt id quod cognoſcitur,& appetitur ab eiſdem videlicet orbibus motis; cenſet igitur, eos habere intellectum,& appetitum,quibus eum cognoſcant,ac diligant,& ex conſequenti intelligentem animam,cuius ſunt potentiæ:& hanc fuiſſe eius mentem,magnó eſt argumento, quòd D. Thomas 2.libro contra gentes, capite 7.id teſtatur. Deinde ſacrarum literarum verba, illa præſertim ex Pſal. 135. *Qui fecit cælos in intellectu*, id eſt,intellectu præditos,atque etiam illa ex Eccleſiaſte 1.*In circuitu pergit ſpiritus,& in circulos ſuos reuertitur*. Quæ non poſſunt de ſpiritu ſolum aſſiſtente, ac mouente intelligi, cum non pergat cum cælo ipſo moto,atque cum eo circumuoluatur,ſed in parte determinata cæli, quam mouet fixus perſeueret; ergo neceſſe eſt de ſpiritu informante loqui, qui eſt

anima,

anima. Quem ſenſum eis tribuit D. Hieronymus in eorum Commentariis, hæc verba ſcribens: *Siue ipſum Solem ſpiritum nominauit, quod animet, ſpiret, & vigeat, & annuos orbis curſus expleat, ſiue quod Lunæ lucentem globum, Titaniaque aſtra ſpiritus intus alit, totamque infuſa per artus mens agitat molem, &c.* Quibus toti mundo, & ſingulis non ſolum cæleſtibus corporibus, ſed aſtris videtur animam concedere. Atque etiam Boëtius 3. li. de conſolatione philoſophica, metro 9. inquiens, Deum per animam mundi motus cæleſtium corporum adminiſtrare.

Sed probari etiam poteſt ratione: primo, quia herbæ plures, atque virgulta generantur, ſine ſemine aliquo, immo & complura animalia (licet imperfecta) ex ſola putri materia, ſed vtriuſque vitæ horum, nempe vegetatiuæ, herbarum, & ſenſitiuæ, animalium, nulla poteſt aſſignari efficiens cauſa, à qua procedat, præter celeſtia corpora, à quibus procedere nequit vita (ſi ea carent) vt per ſe eſt manifeſtum: ergo neceſſe eſt eis, vel mundo ipſi vitam concedere, & ex conſequenti animam. Secundo repugnat, totum eſſe deterioris conditionis, quàm partes eius: ſed conſtat, plures partes mundi viuere, & diuerſis animarum generibus prçditas eſſe, nempe vegetatricè, ſenſitiua, & rationali: viuunt namque plantæ, viuunt animalia, viuunt homines: ergo neceſſe eſt toti mundo vitam, animamque concedere, vel deteriorem propriis partibus eſſe.

Vera autem ſententia tenet, nec mundum, nec cæleſtia corpora, habere animam à qua informentur: Quam ſequuntur in primis ex Sanctis Patribus multi, D. Cyrillus 2. libro contra Iulianum, Ambroſius 2. libro Exameron cap. 4. Baſilius homilia 3. Exameron, & ſuper Pſalmum 48. Lactantius, Hieronymus expli-

cans verba illa Deuteronomij 32. *Audite cæli, quæ loquor*, & ſuper cap. 1. & 45. Iſaiæ, & in Epiſtola ad Pammachium, & Auitenn. Auguſtinus in libro de duobus animabus capit. 4. vbi ait, muſcam propterea quod viuit, eſſe nobiliorem Sole, & libro 1. Retractationum cap. 7. vbi quæ de mundi animatione in libro de immortalitate ſcripſerat, temere ſcripta fuiſſe affirmat, libro etiam 2. Retractationum capit. 7. quæ de cæleſtium corporum vita aſſequerat, per tropum & figuram poſſe accipi docet, ducta videlicet tranſlatione, à re animata ad inanimatam. Damaſcenus 2. libr. fidei cap. 6. deinde Scholaſtici fere omnes, D. Thomas tribus præſertim locis, in quibus hanc eandem quæſtionem ex profeſſo diſcutit, nempe, in quæſtione de ſpiritualibus creaturis, art. 6. & 1. contra Gentes, cap. 73. 1. p. qu. 70. art. 3. Alenſis 2. part. qu. 87. membr. 3. art. 4. Albertus Magnus, tract. de 4. coæuis qu. 4. art. 25. Bonauent. in 2. diſt. 14. qu. 2. in priori parte. diſt. Durand. ibidem quæſt. 2. diſtinct. 9. quæſt. vnica, artic. 1. Gabriel diſtinct. 14 quæſt. vnica, Okam quæſt 12. Ægidius quæſt. 3. Argentina quæſt. 1. art. 1. Henricus art. 2. Abulenſis in cap. 3. Exod. quæſt. 47. Nicolaus de Lira in cap. 10. Ieremię, Eugubinus in Pſal. 18. aliique complures; quibus addi poteſt ex antiquioribus Philoſophis Anaxagoras ſupra relatus, & omnes interpretes Ariſtotelis, præſertim recentiores: quare communis eſt in vtraque Schola Philoſophica; ac Theologica.

Et eam tenuiſſe Ariſtotelem colligitur plane ex tribus principiis ab eo expreſſis: primum habetur 12. libro Metaphyſicæ, text. 16. vbi hoc diſcrimen inter cauſam efficientem, & formalem deſignat, quod efficiens præexiſtit rei factæ, formalis vero præexiſtere nequit, ſed naturaliter ſimul eſt cum re facta, vel conſtituta, ſicut ſanitas ſimul eſſe debet cum ſano,

&

& cum corpore animato anima. Cuius euidens ratio eſt, quia illud conſtituit tanquam forma dans ei eſſe, & ex alia parte in eodem libro, text.43. docet, intelligentiam mouētem cælum eſſe eo priorem; ex quibus ſequitur non poſſe apud Ariſtotelem vniri cælo tanquam formam, ſeu formalem cauſam, & ex conſequenti cælum non eſſe animatum, ex mente eius. Secundum principium ſumitur ex 8. li. Phyſicorum, text. 43. quod motor orbis cæleſtis vnitur toto orbi; per contactum virtutis, ſed vnio formæ cum materia, vel animæ cum corpore non eſt per contactum virtutis, ſed per veram informationem, per quam anima tribuit eſſe corpori: ergo ſentit Ariſtoteles intelligentiam motricem non eſſe veram formam cæli. Et vrgeri poteſt ex alio, quod docet text. 84. eiuſdem libri, videlicet motorem cæli in ea circumferentiæ parte exiſtere, quæ rapidiſſimo motu circumuoluitur, ſed forma vel anima debet eſſe in toto corpore, & ſingulis eius partibus; ergo putat Ariſtoteles, non eſſe intelligentiam veram formam cæli. Et certe ſi intelligentia ſimul moueret cælum, & illud informaret, euidenter ſequeretur moueri cum illo, vt patet de anima mota cum corpore humano, quod informat. Ex hoc vero ſequeretur, in motibus cælorum non eſſe deueniendum ad motorem immobilem, vt 8. lib. Phyſicorum concludit Ariſtoteles. Tertium principium poſuit 2. lib. Phyſicorum, text. 22, aſſerens eiuſdem ſcientiæ eſſe, per ſe conſiderare materiam, & formam, ex quibus conſtat compoſitum, ſed conſtat materiam cælorum per ſe conſiderari à Philoſophia naturali, quę tamen non conſiderat per ſe intelligentias, quia formæ ſeparabiles à materia, & quæ mouent, & non mouentur, non ſunt Phyſicæ, ſed Metaphyſicæ conſiderationis, vt idem met, atque eodem lib. tex. 26. 71. & 73. ex-

preſſe docet: ergo ſentit, eaſdem intelligentias, quæ immotæ mouent orbes cæleſtes non eſſe formas informantes eorum.

Sed probatur primo ex definitione animæ. Anima eſt actus corporis Phyſici organici potentia vitam habentis, vt docet Ariſtoteles 2. lib. de anima cap. 1. tex. 7. Ergo omne corpus animatum eſt organicum, ſed in corpore cæleſti nulla ſunt organa, neque vlla talis varietas partium in eo cernitur, per quas diuerſitas vitalium operationum exerceatur, vt actus videndi, audiendi, cum cæteris ſenſationibus, niſi quis velit Solem, & Lunam pro oculis deſeruire cælo, ita vt per hæc aſtra videre dicatur, quod conſtat ridiculum eſſe: ergo euidens eſt, corpus cæleſte non eſſe organicum, nec proinde animatũ: quod ex infimis operationibus vitalibus vrgeri poteſt, nempe augmentatione, & nutritione: neque enim cæleſte corpus alimentum ſumit aut ꝗ nuertit in propriam ſubſtantiam, cum ex qualitatibus contrariis conſtare debeat, & per illas alimentum alterari, atque corrumpi, in eiuſque ſubſtãtiã conuerti. Quibus qualitatibus, & alterationibus incapax eſt cælum, & longe clarius eſt, nullum ſuſcipere augmentum, neque decrementum: ergo euidens eſt etiam, non viuere, neque animatum eſſe.

Secundo anima non eſt propter corpus, ſeu materiam, cuius gratia facta eſt, ſed ex oppoſita materia vel corpus propter animam, vt docuit expreſſe Ariſtoteles 2. lib. de anima, tex. 16. & 17. cum hæc ſit longe nobilior, & proinde gratia ſui facta. Vnitur ergo corpori, vt bonum aliquod ſibi ex tali vnione conſequatur, videlicet exercitium ſuarum operationum, in quo perfectio eius poſita eſt; ſed nullam operationem vitalem exercere poteſt anima per corpus cæleſte, ergo neque aptum eſt, vt ei vniatur. Minor proba-

ta

ta eſt de operationibus vegetatiuis, quia nec cælum ſimile ſibi generare poteſt, nec nutriri, vel augeri, vt docuit Ariſtoteles 1. libro de cælo, capit. 3. probata eſt etiam de ſenſitiuis, & rurſus conuincitur ex eo, quod operationes ſenſitiuæ ex propria conditione præſupponunt vegetatiuas, per quas nutriuntur, & conſeruantur organa ſenſuum, & omnes ſenſus fundantur in tactu, vt docuit, & probauit Ariſtot. 3. libro de anima cap. 12. Tactus vero neceſſario petit temperamentum primarum qualitatum in proprio organo, quarum non eſt capax corpus cæleſte: nec vnitur anima corpori cæleſti propter operationem intellectiuam, quia hanc naturaliter non poteſt exercere in corpore, niſi miniſterio ſenſuum ſpecies à rebus ſibi deſumat, vt patet de anima noſtra rationali. Cum ergo non ſit cælum ſenſuum capax, nec erit capax animæ rationalis. Quod vrgeri poteſt ex his, quæ à nobis conſtituta, & oſtenſa ſunt 2. libro de anima. Videlicet implicare contradictionem, quod anima rationalis poſſet eſſe forma corporis, niſi ſimul foret ſenſitiua, gradumque ſentiendi tribueret eidem corpori: ergo repugnat per locum ab intrinſeco, cælum informari anima rationali, quin talis anima ſimul ſit ſenſitiua. Cum ergo cælum ſit incapax ſenſitiuæ, vt probatum eſt, ſequitur incapax quoque eſſe animæ rationalis. Neque tandem vnitur cælo anima propter motum localem, quo mouetur, quia talis motus nec indiget anima; ſed ab extrinſeco motore procedere poteſt, per ſolum contactum virtutis, vel impreſſionem impulſus, vt de quocumque alio motu circulari conſtat; nec vitalis eſt, ſicut progreſſiuus animaliũ, quem cõſtat fieri mediis ſenſibus, & appetitu, quibus caret cæleſte corpus. Ex quibus efficaciter probatum conſtat, non dari animam mundi,

à qua totus ipſe mundus informetur, quia Deus non poteſt eſſe talis anima eum informans, vt Philoſophi quidam delirantes dicebant, nam intrinſeca ratio formę dicit imperfectionem partis, & informationis, ſeu inhæſionis in corpore, à qua Deus ob ſuam infinitam perfectionem alienus eſt: ſed nec intelligentia, vel intellectualis forma, ob ſuam limitatam virtutem, poteſt corpus tantæ molis ac eſt cæleſte corpus, informare, quātò minus tam vaſtum, & tot, ac tam ingentibus, ac diſcontinuis partibus conſtantem mundum; quare ingens etiam delirium eſt, mundo, vel cæleſtibus corporibus animā rationalem concedere: nam inde virtutes, merita, peccata, & peccatorum pœnas eiſdem corporibus deberent adſcribere, quod plane falſum eſt, intelligentia igitur mouens cælum non poteſt eſſe vera forma illius, tribuens cælo proprium eſſe per informationem, nec eſt pars ſubſtantialis ipſum componēs cum materia, ſed completa, & totalis ſubſtantia omnino diſtincta ab eo; dicitur tamen laxe forma cæli aſſiſtens, quia ei vnitur, in ordine ad motum, & conſtituit cum eo vnum principium eiuſdem motus, aut medio impulſu, vt volunt plures, vel ſe illo, vt placet aliis.

Et prior ſententia concedens cęlo, vel mundo animam, & animatum eſſe docens, vt vera ſit, nec de vera anima, nec per veram informationem loquitur, nec ideo vere, & proprie animatū eſſe cenſet, ſed per quādam ſimilitudinem, & ideo in propria, & quaſi æquiuoca locutione, quo pacto loquuti ſunt abſque dubio omnes fere ſancti Patres pro ea citati. Poſterior vero ſententia, animatum eſſe negans, de vera, ac propria anima veraque animatione per informationem intelligit: quare diſſidium inter vtramque in ſolo modo loquendi diuerſo magna ex parte conſiſtere videtur, vt D. Thomas 1. par. quæſt. 70. art. 3. in fine

corporis

corporis his verbis docet: *Vnde interponentes ea eſſe animata, & ponentes ea inanimata, parua vel nulla differentia inuenitur in re, ſed in voce tantum.* Sed magna ex parte conciliari poſſe præfatas ſententias dicimus, & non omnino, quia licet quod ad ſanctos Patres attinet, de anima ſolum aſſiſtente intelligantur eorum verba: nonnulli tamen antiquiores Philoſophi, veram animam informantem vegetatiuam, & ſenſitiuam eis conceſſerunt, quorum ſententiam falſam eſſe probauimus.

Sed ſupereſt explicandum an notam aliquam vel cenſuram mereatur ſententia, affirmans, cælum, vel mundum eſſe animatum anima informante. Et D. Th. 2. lib. contra gentes capite 70. in fine expreſſe negat, aliquid fidei contrarium continere hiſce verbis: *Hoc autem, quod dictum eſt de animatione cæli, non diximus quaſi aſſerendo ſecundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, ſiue ſic, ſiue aliter dicatur.* Quod confirmat ex D. Auguſtino lib. 3. Enchiridion, cap. 58. vbi fatetur, non eſſe certum, an ſit, vel non ſit animatum cælum. Caietanus etiam 1. part. quæſt. 3. artic. 1. aſſerit corpus cæleſte forte ſecundum veritatem eſſe animatum; & Petrus Martinez cap. præſenti, non ſolum vtramq; partem quæſtionis problematicè defendit, ſed in affirmantem, quod cælum ſit animatum, magis propendet.

Sed ex alia parte à multis iudicatur erronea, vel ſaltem parum fidei conſona. Et in primis D. Hieron. in Epiſtola ad Pāmachium, & Auitum, inter propoſitiones alias Origenis, quas ſancta Synodus generalis ſub anathemate exploſit, hanc enumerauit, quod cælos, Lunam, Solem, aſtra animata dicat, D. etiam Epiphanius lib. 1 1. Panarij, & D. Irenæus lib. 1. contra hæreſes eandem referunt inter Marcoſiorum dogmata:

& in Concilio Conſtantinopolitano, quod eſt quintum generale ſub anathemate damnatur hiſce verbis, relatis à Iouerio in ſumma Conciliorum, tom. 2. *Si quis dixerit, cælum, ſolem, & lunam, ſtellas, & aquas, quæ ſupra cælos ſunt, animantes quaſdam eſſe, & materiales virtutes, anathema ſit:* ac tandem damnata dicitur in quodam articulo Pariſienſis facultatis: Propterea non bene de illa ſentiunt, ex ſcholaſticis nonnulli in 2. diſtinct. 14. vt Bonauentura, & Gabriel quæſt. vnica, & Capreolus diſtinctione 9. quæſt. vnica artic. 1.

Noſtra tamen ſententia hac diſtinctione explicanda eſt, ponere cælos animatos anima vegetatiua, vel ſenſitiua tantum, ſolum eſt error Philoſophicus; illos autem ponere animatos anima rationali, non ſolum eſt error Philoſophicus, ſed etiam error contrarius diuinæ fidei. Priorem partem ſic probo, quia ex hoc, quod tribuatur eis anima ſenſitiua, aut vegetatiua, ſolum deduci poteſt, quod ſint animalia quædam rationis expertia, vel vitam quandā vegetatricē participēt; ex quo vtroque nihil poteſt cōtra fidem deduci, quia neque in Scriptura, neque in aliis principiis fidei denegatur eis talis vita; ſed neque aliquid aſſeritur, ex quo eis eſſe denegandam colligi poſſit. Cuius ratio à priori aſſignari poteſt, quia hæc non pertinent vllo modo ad materiam fidei, ſed prorſus Philoſophica ſunt: ergo circa ea nō poteſt error contra fidē proferri, ſed ad ſummum cōtra principia Philoſophiæ. Quod vero error ſit eis contrarius, efficaciter probari poteſt à poſteriori ex operationibus, ac vnitionibus vtriuſq; vitæ propriis, quas ſi haberent, repugnaret à nobis nō percipi, quemadmodum percipiuntur vitales operationes animarum, atque plantarum. Quamuis enim magis diſtent à nobis, eorum tamen ingens magnitu-

dine

dine diſtantia compenſaretur,& ita poſſet à nobis eorum augmentum percipi,& euidenti ratione conſtat, nullum extare alimentum,ex quo ali,aut nutriri poſſint,nec vllis veris organis prædita eſſe, per quæ poſſint operationes aliquot ſenſitiuæ animæ exercere:& plura poſſent alia in confirmationem huius aſſerti afferri, quæ breuitatis gratia prætermittenda cenſemus.

Aſſertum vero poſterius,efficaciter poſſet probari ex verbis S. ſynodi generalis ſupra relatis, ſi certo conſtaret, talem definitionem fuiſſe ab eo Concilio editam,nihilominus hoc diſcurſu poteſt oſtendi:quia cæleſtia corpora eſſent ſubſtantialiter compoſita ex corpore, & anima rationali, eo ipſo, quod dicerentur vere animata anima rationali, & vita rationali prædita: ſed non eſt excogitabile compoſitum ſubſtantiale ex anima rationali, & corpore tanquam ex vera forma,& materia,quod non ſit homo, cum hæc ſit eſſentialis compoſitio hominis. Et tamen certum eſt ex ſacra pagina,nullum dari hominem, qui non ſit propagatus ex primo, nempe, ex Adamo in principio temporis cum toto mundo condito, & cum cæteris omnibus à Chriſto redempto. Conſtat etiam ex principio Geneſis,cæleſtia corpora tanquam quid diuerſum ab homine,eſſe creata,nec ab eodem homine proceſſiſſe: ergo euidenter deducitur ex fide, non habere animam rationalem pro vera forma, nec proinde animata eſſe tali anima, aut vita rationali prædita: ſolum poſſet reſponderi, conſtare quidem anima rationali diuerſæ ſpeciei ab ea, quæ conſtituit hominem, & ideo licet ſint animata anima rationali, non eſſe homines, ſed rationalia quædam compoſita diuerſæ ſpeciei. Cæterum ſolutio hæc facile confutari poteſt:primo,quia non eſt intelligibilis anima rationalis,

nalis, quæ non ſit forma, & pars, cum ſit ei intrinſecum, eſſe incompletam ſubſtantiam; nec eſt intelligibile, quod ſit pars, & vera forma, verusque actus quin ſit vnibilis alteri parti, aut potentiæ, vel materiæ, aut corpori: nec eſt excogitabile, quod ſit vnibilis corpopori, niſi vt ſecundum eſſe proprium propriamque operationem ab eo emanantem perficiatur (nam propter bonum corporis longe inferius, ac imperfectius vniri repugnat) ſed propria eius operatio eſt intelligere: ergo vt hanc aſſequatur, tanquam pars informando corpus vnitur ei, ſed intelligere medio corpore non eſt aliud, quam intelligere per ſenſus: ergo neceſſe eſt, quamlibet aliam excogitabilem animam habere eundem modum operandi cum noſtra, & per locum ab intrinſeco eundem modum eſſendi, eſſeque eiuſdem ſpeciei. Et ſi dicatur intra ambitum modi operandi, ſine dependentia à ſenſibus, ac ſine diſcurſu dari intellectiones diuerſæ ſpeciei in Angelis, & proinde ſubſtantias ſpecie diuerſas, quæ ſint principia earum, ac proinde non eſſe impoſſibile, dari intellectiones ſpecie diuerſas, intra ambitum modi operandi cum dependentia à ſenſibus, aut cum diſcurſu, & ex conſequenti animas rationales diuerſæ ſpeciei. Reſpondeo, quod licet hoc foret poſſibile (quod non credo) quia impoſſibile reputo, dari intellectiones diuerſi modi ſpecifici, ſub modo operandi cum diſcurſu vel cum dependentia à ſenſu, cum ſit imperfectiſſimus, atque infimus; quare non eſt excogitabile ſub eo vnde, vel à quo ſumi poſſit talis differentia ſpecifica, ſicut intra modum longe perfectiorem operandi ſine diſcurſu, propter maiorem extenſionem ex maiori perfectione deſumptam, & maiorem limitationem infimi gradus operandi cum diſcurſu, adhuc foret euidens omnes eſſe homines propter conuenientiam

gene

genericam in natura rationali, ſicut eſt euidens, hominem, & leonem, etiam ſi ſpecie diſtinguantur, eſſe animalia propter conuenientiam genericam in natura ſenſitiua: quare aperte falſum eſſet ponere ex vna parte corpora cæleſtia eſſe animata anima rationali, & ex alia non eſſe homines. Et cum manifeſte deducatur ex fide, homines non eſſe, error eſt fidei contrarius, ponere ea animata anima rationali; non eſt tamen hæreſis, quia non eſt per ſe immediate contra fidem. Quod vero error ſit etiam philoſophicus, manifeſtum eſt, quia repugnat eſſe ſubſtantias cum diſcurſu, ac dependentia à corpore ſine ſenſibus: non eſt enim excogitabilis alius modus intelligendi cum dependentia à corpore, niſi accipiendo ſpecies à rebus corporeis, nec eſt intelligibilis alius modus accipiendi ſpecies à rebus corporeis, niſi eas ſentiendo, ita vt mediis ſenſationibus imprimantur intellectui ab eis ſpecies propriæ, per quas ab eo cognoſcantur. Et iuxta noſtram duplicem concluſionem intelliguntur, & in concordiam reuocantur duæ relatæ ſententiæ, ita vt prior in ſenſu prioris noſtræ aſſertionis, poſterior in ſenſu poſterioris accipiatur, & ſic vtraque vera ſit.

Superſunt argumenta prioris ſententiæ in principio facta diluenda; & in primis teſtimonia Ariſtotelis iuxta legitimum ſenſum eius explicanda ſunt diſtinctione illa allata à Diuo Thoma 1. parte, quæſtio. 70. artic. 3. ad 5. corpus enim cæleſte ſecundum ſe, hoc eſt, non conſiderata intelligentia ei vnita, vt principio motus non dicitur ſe mouere, ſicut mouentur viuentia, nec habere in ſe principium actiuum ſui motus, ſed paſſiuum tantum; ſi tamen accipiatur cęlum ſimul cum intelligentia per contactum virtutis ei vnita, vt principio actiuo motus eius, ita vt ex vtroque conſtituatur

tuatur

tuatur vnum aliquod à ſe ipſo motum, tanquam à principio actiuo efficiente, viuens appellari poteſt, quaſi per analogiam,& ſimilitudinem ad viuentia, & eadem ratione habere differentias poſitionum, quo pacto viuens ipſum vocauit,eaſque illi conceſſit Ariſt. cap.ſequenti, non tamen verum, & proprium viuens per veram,ac informātem animam.Et in eodem ſenſu docuit 12. lib. Metaphyſicæ, c.7.moueri cæleſtia corpora à primo motore, tanquam ab eo, quod cognoſcunt, & appetunt: nam licet intelligentia mouens cælum non moueatur à Deo eodem motu, cum immota in hoc ſenſu moueat ipſum.Dicitur tamē Deus totum ex cælo, atque intelligentia conſtitutum mouere,in quantum præſtat ſuum concurſum,vt moueri valeat cælum ab intelligentia,atque etiam intelligentia mouere ipſum ratione cuius(hoc eſt)vt eam includentis moueri dicitur à ſe per quandam analogiam,& ſimilitudinem ad viuentia corpora, in quo ſenſu intelligi debent Scripturæ,& Patrum loca.

Ad primam rationem Diuus Thomas in eodem artic.ad 3. reſpondet, viuentia illa produci à corpore cæleſti non virtute propria, ſed virtute intelligentiæ à qua mouetur, ita vt tanquam inſtrumentum eius tales effectus ſe ſuperiores poſſit attingere; ſed difficile eſt,hos effectus Angelo mouenti, tanquam præcipuæ cauſæ per ſe tribuere, etiam in doctrina Diui Thomæ qui(vt inferius oſtendetur)ſentit plane, Angelos non poſſe vllam formam adhuc accidentalem per propriam virtutem per ſe influentem imprimere materiæ, aut corporibus: ſed ſolum hæc poſſe, tanquam applicando actiua paſſiuis,quod ſolum eſt, eſſe conditiones,vel ad ſummum, cauſas per accidens:ergo longe minus poterunt ſubſtantiam viuentem, vt cauſam per ſe producere. Propterea dicendum eſt,

corpus

corpus cæleſte non nudum, ſed cum ſuo motu ab intelligentia effectiue ducto, & proinde ſimul cum eadem intelligentia acceptum eſſe inſtrumentum Dei ab eo eleuatum, ad producendam ſubſtantiam viuentem, & hoc ſenſu loquitur Diuus Thomas. Itaque ex corpore cæleſti moto ab intelligentia, atque ex intelligentia ipſa mouente, reſultat vnicum, atque completum inſtrumentum, quod à Deo eleuatur, vt poſſit attingere productionem harum ſubſtantiarum, quia non poteſt excogitari vlla alia cauſa principalis, & proxima per ſe influens, per ſeque eas producens præter Deum, tali inſtrumento vtentem.

Ad ſecundum, conceſſa maiori, ac minori, neganda eſt conſequutio: ſatis eſt enim vniuerſum vitam, & animam ſuatum partium includere, vt nulla eius pars, quantumlibet perfecta, ſit eo perfectior, cum omnem eius perfectionem, ſimul cum perfectione aliarum partium includat, vt pote totum quoddam quaſi artificiale ex omnibus gradibus eſſendi ordine quodam conflatum.

QVÆSTIO II.

An cæleſtia corpora dignitate præſtent cunctis rebus ſublunaribus.

QVæſtio procedit de cælo, non vt claudit intelligentiam, ſed ſecundum ſe, anima etiam aſſiſtente, deſtituto: & ſic certum eſt, aliis corporibus ſublunaribus vitæ expertibus perfectione præſtare, vt pote ſimplicius, & incorruptibile: & minus perfectum eſſe ſimpliciter hominibus, cuius ratio eſt, quia ſpecies humana conſtituitur per animam rationalem, ſpiritualem

lem, ſpiritualem quidem, independentem à corpore in ſuo eſſe intelligentem, ac volentem, & ideo gratiæ, virtutum, ac beatitudinis capacem; quibus omnibus perfectionibus caret forma cæleſtis, & cælum per eam conſtitutum; ergo longe eſt eo perfectior homo: ſolum ergo controuerſia procedit de animalibus, & plantis, an perfectione ſuperentur à corporibus cæleſtibus, vel digniora eis ſint.

Et prior ſententia affirmat, digniora eſſe cæleſtia corpora cunctis animantibus homine inferioribus, quam ſequitur Marſilius 1. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 6. & 7. & eandem tenere videntur Zumel, 1. part. quæſt. 3, art. 1. & Pater Pererius lib. 2. ſuæ Philoſophiæ cap. 6. probabilioremque eſſe docet Bañez 1. part. quæſt. 3. art. 1. & eam tenuiſſe Victoriam & Canum alioſque diſcipulos Diui Thomæ doctiſſimos, quam hac tempeſtate ſequuntur recentiores quidam cum limitatione ad ſola animalia imperfecta, quæ nō ex ſemine, ſed ex putri materia generantur, atque etiam ad plantas. Alij vero ad ſolas plantas limitanda cenſent. Probatur teſtimoniis Ariſtotelis, qui 6. libro Ethicorum cap. 7. non ſolum animalibus cæteris, ſed homine ipſo præſtantiora eſſe corpora cæleſtia, hiſce verbis docet: *Neque vero quidquam ad rem attinet, quod homo reliquorum animalium quiddam ſit quam optimum, ſunt enim & alia homine multo diuiniora, vt ea, quæ omnibus ſunt maxime in conſpectu ex quibus hic mundus coagmentatus, eſt.* Per quæ conſtat, cæleſtia corpora intelligere, & lib. 1. de cælo textu 13. docet præter inferiora corpora dari aliud longe nobiliſſimum: *Manifeſtum eſt, eſſe aliam ſubſtantiam præter eas, quæ hic ſunt priorem, ac diuiniorem his omnibus,* & text. 16. *Quapropter ex omnibus his aliquis ratiocinando crediderit, quod eſt aliquod, præter corpora, quæ hic, & circa nos ſunt, alterum ſeparatum*

tanto

tanto nobiliorem habens naturam, quanto plus diſtat ab his, quæ hic ſunt. Ac tandem 5. lib. de partibus animalium, cap. 5. non longe à principio, res naturales æternas, aſſerit, tantum præſtare cęteris rebus inferioribus, vt cognitio illarum, etiam minima ac tenuiſſima, multo præſtantior, ac nobilior ſit, quam harum rerum abſolutiſſima ſcientia.

Probatur deinde ratione, quia partes ex quibus cæleſtia corpora conſtant, nempe, materia, & forma perfectiores materia, & forma rerum inferiorũ ſunt; ergo corpora ipſa cæleſtia digniora erunt. Antecedens probo ex parte formæ, cuius perfectio ſumitur ex modo informandi: ſed modus informandi cæleſtis formæ nobilior eſt, cum inamiſſibili modo informet materiã, & indiſſolubili modo vnionis eis copuletur, ex quo habet, vt corpus incorruptibile cum ea conſtituat; quælibet autem forma ſublunaris (etiam ſi ſit anima) amiſſibili modo informat materiam, & modo vnionis diſſolubili ei vnitur, ex quo habet, vt corruptibile corpus conſtituat. Probatur deinde ex parte materiæ, quia materia cælorum dignior eſt ſublunari; vt ſuperiori libro oſtendimus, vnde etiam ſequitur, nobiliorem quoque debere eſſe formam. Probatur cõſecutio, quia ſpecies materiæ, & dignitas eius ex ordine ad formam accipitur: ergo maior dignitas materiæ ex digniori forma.

Secundo, corpora cæleſtia, ſimpliciora ſunt ſublunaribus, incorruptibilia, figuram, ac motum, circularem perfectiſſimum habent; locum item digniorem, & (quod caput eſt) virtute eorum generantur alia, atque conſeruantur animalia omnia: ergo longe ſunt eis perfectiora. Probatur conſequentia, quia ſuperiores iſtæ dignitates ſubſtantiam quoque ſuperioris ordinis plane indicant. Quam rationem re-

centiores vrgent pro animalibus imperfectis ex putri materia genitis, quorum non poteſt alia cauſa præcipua deſignari, præter cæleſtia corpora, in cuius proinde virtute eminenter contineri debent, cum non contineantur formaliter, eminenter autem contineri repugnat, niſi perfectiora ſint eis. Vrgent etiam pro plantis, tum, quia forma plantæ ideo tantum vita eſt, quia principium eſt nutritionis, & augmentationis, per quam attracto alimento viuens acquirit, & conſeruat debitam quantitatem, vt conſeruet proprium indiuiduum: ſed hęc perfectio longe minor eſt incorruptibilitate cæli, per quam cælum perpetuum eſt, ſine indigentia talis operationis. Tum etiam, quia nutritio, & augmentatio plantæ ſecundum ſubſtantiam non eſt operatio vitalis, cum conſtet, ignem quoque nutriri, & augeri, ſed ſolum quoad modum, quia per intus ſumptionem, & diſtributo alimento per omnes partes in earumque ſubſtantiam conuerſo; ignis vero per ſolam iuxta poſitionem lignorum in vna, vel alia parte: habere autem operationem ex ſolo modo vitalem minor eſt perfectio, quam eſſe incorruptibile: ergo cælum ſimpliciter perfectius eſt plantis.

Nihilominus ſententia poſterior negat, cæleſtia corpora dignitate præſtare vlli corpori viuenti ſiue ex ſemine, ſiue ex putri materia producto, ſed formicam, aut muſcam eſſe eſſentialiter perfectiorem cælo quocumque. Ita pronunciat Diuus Auguſt. in libr. de vera religione capit. 29. cuius hæc ſunt verba: *Non enim qualiſcumque moles, quanquam iſta viſibili luci præfulgeat, ſi vita careat, magni æſtimanda eſt, quælibet namque viua ſubſtantia cuilibet non viuæ ſubſtantiæ, naturæ lege præponitur.* Quam naturæ legem confirmat 11. libro de Ciuitate Dei, capit. 16. & ex ea colligit in libro

libro de duabus animabus, capit.4.muſcam Soli præferendam eſſe. Eandem ſententiam ſequuntur D. Thomas 1.parte,quæſt.3.art 1. ad 2.quæſt.70. arti.3. ad 2. atque in primo loco Caietanus, & Bañes 1. etiam libro contra Gentes, capit.20. & ibidem Ferrarienſis, Capreolus in 2.diſtin.10. quæſt.2. Soncinas 12.Metaphyſicæ,quæſt.12. ad ſecundum, Richardus in 2.diſputat. 14.quæſt.4.circa principale, ibidem Argentina, quæſtione vnica, artic. 1. Baſſolis quæſtio. 2.§. ad dicta, & Okam quæſt.23. Gabriel ſuper Canon,lectione 41.& omnes ferè, qui cælum inanimatum faciunt. Vnde Auerroes 2.libro de cælo,commẽtario 61.aſſeruit, defendi non poſſe, cælum eſſe perfectius, aliquo viuente, niſi anima præditum eſſe aſſeratur. Ita demum omnes recentiores, & nobis videtur omnino vera ſententia. Cuius ratio ſit, eſſentialis perfectio rerum corporearum ex perfectione formæ ſubſtantialis accipitur: ſed anima quæcumque eſt forma perfectior cæleſti: ergo viuens quodcumque eſt perfectius cælo. Minorem ſic probo. Anima quæcumque eſt actus corporis phyſici organici, potentia vitam habentis: ergo anima quæcumque eſt principium vitæ poſtulans organicum corpus, hoc eſt,diuerſis organis, ac membris præditum, pro diuerſitate operationum exercendarum, & habens differentias poſitionum ſibi intrinſecas, nempe, ſurſum, deorſum, dextrum, ſiniſtrum, ante, & retro, vel aliquot earum, ſed forma cæleſtis, nec eſt principium vitæ, nec poſtulat corpus organicum diuerſorum membrorum, ad exercendas varias operationes (quod conſtat perfectiſſimum eſſe in ratione corporis)ſed ſolum poſtulat corpus quoddã homogeneum, habens partes eiuſdem rationis,ſicut corpus aqueum, vel aereum(quod patet eſſe imperfectiſſimum, varie-

tate membrorum carens) ergo anima quæcumque perfectior eſt forma cæleſti.

Quod vero aliqui dicunt, formam cæli conſtituere ipſum incorruptibile, atque perpetuum, & incorruptibilitatem eſſe maiorem perfectionem, quam vitam ſaltem imperfectam animalium, vel plantarum, falſum eſt. Quia incorruptibilitas non excedit perfectionem formæ non viuentis, ſed ei conuenit, intra gradum talis naturæ infimum, propter modum informandi perfectiorem, quia explet, ac ſatiat appetitum materiæ, vt egregie docuit Diuus Thomas 1. parte, quæſt. 2. articul. 3. ad 2. quod conſtat non habere formam perfectiſſimam, qualis eſt anima rationalis; ergo incorruptibilitas non poteſt adæquare perfectionem gradus ſuperioris vitæ, nec propter illam poteſt forma cæleſtis attingere perfectionem vllius animæ, nec cælum perfectionem vllius viuentis.

Secundo, quia potentiæ cuiuſlibet rei, ex quibus actus, & propriæ operationes procedunt, emanant ab eius ſubſtantia, vel eſſentia: ergo ea ſubſtantia perfectior eſt, quæ habet potentias, & operationes maiores, & perfectiores, ſed viuens quodcumque habet potentias, & operationes perfectiores operationibus cælorum, ergo dignior, atque perfectior ſubſtantia. Minorem probo, quia potentiæ, & operationes prodeuntes à ſubſtantia viuente, ſunt vitales; quæ à termino, & principio duplicem perfectionem habent; à principio quidem quod neceſſe eſt eſſe intrinſecum, & ab extrinſeco principio (modo ſaltem naturali) procedere nequeunt, à termino vero, qui fere ſemper vitalis eſt, vt patet in cognitione, & amore, non ſolum partis rationalis, ſed etiam ſenſitiuæ, atque etiam in nutritione viuentis

pro

pria, cuius proprius terminus per eam productus eſt partialis ſubſtantia viuens. Cælum vero nullam habet vitalem potentiam, nec operationem, ſed quaſcumque habet, infimæ ſortis ſunt, eiuſdem videlicet conditionis, ac operationes ignis, & cuiuſlibet alterius rei non viuentis, quas conſtat, procedere poſſe ab extrinſeco principio, vt illuminationem, & circularem motum: nec per eas poteſt produci proprius, ac proximus terminus vitalis: ergo conſtat operationes vitales cuilibet viuenti proprias digniores eſſe operationibus cæli non vitalibus, ergo plane ſequitur, quamlibet ſubſtantiam viuentem dignitate præſtare omnibus cæleſtibus corporibus.

Confirmatur, quia animalia omnia, quantumlibet imperfecta attingunt cognitionem, & amorem, de quibus dubitari nullo modo poteſt, digniores eſſe operationes quibuſcumque cæleſtibus: ergo nec dubitari poteſt, quin eadem animalia à quibus procedunt, digniora ſint corporibus cæleſtibus cognitionis, & amoris prorſus incapacibus.

Et vrgeri poteſt ex modo operandi omnium viuentium, non enim operantur mota ab alio mouente extrinſeco, ſed virtutem habent intrinſecam, per quam ſe mouent, nempe animam, corpora vero cæleſtia carent virtute ſe mouendi, quia carent anima, quare ſic à mouente extrinſeco mouentur, vt eo ceſſante, ceſſet omnino eorum motus; ergo digniora ſunt corporibus cæleſtibus, non ſolum omnia animalia, ſed etiam plantæ, vt docet communis ſententia: quam ſic explicuit Diuus Thomas 1. parte, quæſtione 70. art. 3. ad 2. vt quælibet anima, & viuens quodcumque ſimpliciter, & abſolute dignius ſit corporibus cæleſtibus: ſed forma cæleſtis formaliter dignior

ſit ſecundum quid quacumque anima (etiam rationali) propter digniorem modum informandi materiam, explendo capacitatem eius, qui modus informandi radix eſt incorruptibilitatis cælorum; nam ex eo prouenit, vt materia cælorum aliam formam nec appetat, nec habere poſſit, ſed modo vnionis naturaliter indiſſolubili vniatur formæ, & ideo compoſitum naturaliter indiſſolubile, atque perpetuum cum ea conſtituat, quod nulla forma (etiam rationalis) habet, quamuis maiorem dignitatem, & perfectius eſſe ſimpliciter conferant.

Teſtimonia vero Ariſtotelis, vt ex verbis eorum, atque ex antecedentibus, & conſequentibus colligitur, de corporibus cæleſtibus intelliguntur, non nude conſideratis, ſed ſimul cum motricibus intelligentiis, vt adnotauit Diuus Thomas 6. libro Ethicorum lectione ſexta, quo pacto verum eſt, in hæc inferiora agere, ea multiplicare, ac conſeruare: hoc autem modo ſumpta, longe perfectiora ſunt cunctis viuentibus, ſi vero nude conſiderentur, ſuperantur ſimpliciter ab eis.

Ad primum argumentum diſtinguendum eſt antecedens: nam licet perfectior ſit materia, quia minus habet de potentia paſſiua, & perfectiorem modum informandi reſpicit ſeu formam meliori modo informantem, modo ſcilicet inamiſſibili, non ideo poſtulat perfectiorem formam, ſecundum ſpeciem, cum conſtet non poſtulare, immo nec habere poſſe animam rationalem omnibus perfectiſſimam. Quare ſolum probat argumentum, quod forma cæleſtis ſit perfectior non ſimpliciter, hoc eſt, non ex propria ſpecie, ſed ſolum ex modo informandi, & ideo non niſi ſecundum quid, & alias probaret argumentum, cælum eſſe perfectius homine, quod nec

nec contendunt, nec admittunt aduerſarij. Sic reſpondet Diuus Thomas 1.par.quæſt.70. artic.3. Corpora ergo cæleſtia, perfectiori materia prædita ſunt quibuſcumque ſpeciebus viuentium, atque etiam perfectiori forma, ſub communi ratione informandi materiam cum ſpecialibus diſpoſitionibus non habentibus contrarium: quare perfectior ſpecies corporis ex eis conſtituitur, vtpote incorruptibilis, cum tamen viuentia corpora ſint ſpecies corporis corruptibilis longe imperfectioris. At genus corruptibilis corporis, licet ſub gradu corporis imperfectius ſit, atque etiam omnes eius ſpecies, vt talem gradum participant, vlterius tamen contrahitur per differentias vitam attingentes, & per eas deſcendit ad ſpecies vitæ vſque ad perfectiſſimam, & cum gradus vitæ longe perfectior ſit gradu vitæ experte: ſequitur plane omnes ſpecies huius generis, vtpote gradum vitæ participantes, perfectiores eſſe omnibus ſpeciebus incorruptibilis corporis, quarum nulla attingit gradum vitæ, ſed intra gradum ſubſtantiæ vitæ expertis manent.

Neque illud quod additur, ad corroborandum idem argumentum, de cauſalitate cælorum reſpectu imperfectiorum animalium quidquam efficit, quia corpus cæleſte, ſecundum ſe non producit ea, ſed motum ab intelligentia, & adhuc ita ſumptum, non tanquam præcipua cauſa, ſed tanquam inſtrumentum Dei, vt ſuperius oſtendimus: non eſt ergo neceſſarium, quod ſecundum ſe ſumptum dignitate præſtet eiſdem animalibus.

Eodem modo ſoluitur ſecundum argumentum, nam etſi vera ſint illa omnia, quæ aſſumit, ſolum ex eis probatur, cælum præſtantius eſſe corpus his ſublunaribus intra latitudinem corporis, quo pacto ei con-

ueniunt, exceditur tamen à viuente, ac ſentiente quocumque in gradu vitæ, & naturæ ſenſitiuæ, cui dignitas cognitionis conuenit, qua caret cælum.

CAPVT II.

Textus Ariſtotelis.

Quoniam autem quidam ſunt, qui dicunt, eſſe quidpiam cæli dextrum, & ſiniſtrum, &c.

Breuis expoſitio textus.

EXplicata natura totius cæleſtis corporis, proſequitur Ariſtoteles explicare diuerſitatem partium eius, ſecundum ſitum & poſitionem, quam habent in ipſo, quo pacto differentiæ poſitionum vocari ſolent, nempe, ſurſum & deorſum, ante & retro, dextrum & ſiniſtrum. Diuiditur vero caput in duas partes, in quarum prima, expoſitis his differentiis, per principia, ex quibus accipiuntur, refert & reiicit ſententiam Pytagoreorum: in poſtrema ſtatuit propriam, quibuſdam aduerſus eam obiectis, ac ſolutis.

Pytagorei igitur quidam (ait Ariſtoteles) duas poſitionum differentias in cælo poſuere; quorum ſententiam, vt oſtendat falſam, exponit, quidnam per has differentias intelligi debeat, & vnde ſumantur. Sunt namque differentiæ iſtæ quaſi diuerſorum motuum principia, vel vnde incipere ſolent. A dextro enim pede, vel manu incipit motus localis animali conueniens: motus verò augmentationis initium habet ab ea parte, per quam ſumitur alimentum, vt à capite, vel ore in animalibus: à radice verò in plantis: vnde

caput

caput in illis pars, quæ ſurſum eſt, vocatur: pedes verò dicuntur pars deorſum: ex oppoſito verò in plantis: motus denique alterationis ſenſibilis, aut ſenſitiuæ animalibus propriè à cerebro incipit & in facie oſtenditur: nam in his partibus vigent ſenſus, & eorum operationes exercentur: & propterea anteriores vocantur: partes verò eiſdem oppoſitæ dicuntur poſteriores.

Quibus expoſitis docet, quòd animalia perfecta ſex omnes differentias habeant: imperfectis verò, quibus denegauit natura progreſſionem, quatuor duntaxat conueniunt, videlicet, ſurſum, deorſum, ante & retro: plantis verò, quibus ſolum augmentatio conuenit, duæ tantum conceduntur, nempe ſurſum & deorſum. Docet præterea, quòd ſola viuentia differentias poſitionis propriè habeant, quia his dumtaxat conuenit, habere diuerſitatem partium, ac membrorum pro eiſdem motibus vitalibus, ac ſenſitiuis exercendis accommodatam, reliqua verò eadem partium diuerſitate carent, & ex conſequenti eiſdem motibus per eas exercendis, ideo has differentias poſitionum non habent. Vnde quoties eaſdem poſitionum differentias corporibus vitæ ex partibus attribuimus per ſolum extrinſecum ordinem, ad viuentia eis conuenire cenſemus, vt ſurſum ei, quod verſus caput noſtrum eſt, deorſum, quod circa pedes, dextrum, quod verſus pedem, aut manum dextram, & pariter ſiniſtrũ, quod verſus ſiniſtram: & tandem ante eſſe dicimus, lapidem, qui verſus anteriorem partem noſtram reſidet, retro verò, qui verſus partem oppoſitam.

Iam verò Pytagoreorum poſitionem falſam eſſe oſtendit primo, quia varietas partium oſtendit perfectionem corporis, ſed maiorem varietatem continent aliæ differentiæ ab eis omiſſæ: ergo corpori cæ-

leſti(vt pote perfectiſſimo)omnes tribuere debuerũt. Minorem oſtendit, quia dextrum, & ſiniſtrum ſola virtute differunt,non figura:nam eiuſdem ſunt figuræ dextra, atque ſiniſtra manus, & pars ſurſum, atque deorſum: anterior, atque poſterior non ſola virtute ſed figura diuerſæ ſunt, eas igitur debuerunt cælo tribuere.

Secunda ratio: impoſſibile eſt,alicui corpori conuenire motum progreſſiuum,& alterationem,quin ei conueniat motus augmenti, & ex conſequenti erit impoſſibile, conuenire cælo differentias poſitionum, deſumptas à motu progreſſiuo,nempe dextrum,& ſiniſtrum, quin ei conueniant ſurſum, & deorſum deſumpta ex augmento: quod præſertim neceſſarium eſſe probat Ariſtoteles, quia cum differentiæ omnes conueniant perfectis animantibus, & cælum animatum ſit perfectiſſimum,neceſſe eſt,ei tribuere omnes: licet enim cælum non habeat partes diuerſæ figuræ, ſatis ad hoc eſt habere partes diuerſæ virtutis, diciturpars orientis dextera, quia ab ea inciperet motus,ſi initium haberet; ſurſum autem & deorſum ſumuntur ſecundum maximam diſtantiam inter polos repertam,ita vt arcticus ſit deorſum, & ſurſum antarcticus,qui nobis non apparet, & ideo concludit hemiſpherium noſtrum eſſe inferiorem,oppoſitum vero ſuperiorem:contra quod dicebant Pytagorici: quod probat Ariſtoteles, ex dextro cæli,quod eſt oriens, à quo ſi motus inciperet, & ad ſiniſtrum circumferretur (vt par eſt) neceſſarium foret, polum, qui non videtur, ſuperum eſſe, noſtrum vero deorſum: vt in motu conuerſionis humani corporis à dextra manu ad ſiniſtram neceſſario oſtenditur.

QVÆ

QVÆSTIO VNICA.

An ſex poſitionum differentiæ conueniant cælo ab intrinſeco, an ſolum per ordinem ad animalia.

ARiſtot.lib.de animalium inceſſu,cap.4.à principio,ex profeſſo agit de his differentiis poſitionum ſingulas explicans ex tribus viuentium, atque animalium motibus hiſce verbis: *Quoniam autem dimenſiones numero quidem ſunt ſex, ex quibus determinari datum eſt animal, ſummum videlicet,& imum;ante,& retro, præterea dextrum, & ſiniſtrum, ſummum certe, & imum, omnia habent viuentia, quoniam non ſolum in animalibus eſt ſummum, & imum, ſed etiam in ſtirpibus. Diſterminantur autem opere, & non ſolum poſitura, quæ ad terram ſit, aut ad cælum. Vnde enim alimenti ſingulis eſt diſtributio, & incrementi acceſſus, ſummum id ſane eſt, quo autem iſthuc vltimo pergit, id eſt, imum*: Et paucis interpoſitis: *Quæcunque autem non ſolum viuunt, ſed animalia etiam ſunt, huiuſmodi omnibus ante, & retro inſunt: ſenſum enim iſthæc omnia habent, per ante autem, & retro deſterminantur, in quo enim natum eſt eſſe ſenſibus, & vnde eſt ſingulis, anteriora huiuſcemodi exiſtunt, his autem oppoſita poſteriora. Quæcunque vero animalia non ſolum ſenſu ſunt prædita, ſed mouere etiam poſſunt ſeſe ea, quæ per locum eſt,mutatione, in his ad ea quæ dicta ſunt ſiniſtrum, & dextrum diſterminantur, ſimili modo vt illa, quæ dicta ſunt prius. Vnde enim mutationis per locum, corporis naturaliter eſt initium, id vnicuique dextrum eſt, oppoſitum vero, & quod hoc conſequi natum eſt, ſiniſtrum.* Quibus tria de eis docet: primum, quod quælibet ſit determinata pars quan

quantitatiua viuentis, vel animalis, in qua virtus vitalis, quæ principium alicuius motus vitalis ex tribus illis ſit, præcipue reſidet, vt virtus, quæ eſt principium motus localis, præcipuè reſidet in brachio, vel manu altera, quod propterea appellamus dextrum, & ab eo incipere motum progreſſiuum videmus.

Secundo docet, quod differentiæ iſtæ poſitionis ſint extrema trium dimenſionum, quas habere dicitur corpus extenſum, videlicet, longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ità vt ſurſum, & deorſum ſint extrema longitudinis corporis; dextrum, & ſiniſtrum extrema latitudinis; ante, & retro, extrema profunditatis.

Tertio, omnes has differentias reperiri in omnibus, & ſolis animalibus perfectis, quæ non ſolum ſentiunt, ſed mouentur motu locali progreſſiuo; in imperfectis, quibus talis motus non conceditur, reperiuntur quatuor: dextro vero, & ſiniſtro carent; & tandem plantis ſolum conueniunt ſurſum, & deorſum. Ex quibus colligitur integra ratio cuiuslibet harum differentiarum, in his tribus poſita, videlicet, quod ſit determinata pars viuentis, vel animalis; non quæcunque, ſed quæ ſit extremum alicuius dimenſionis, habeatque in ſe virtutem vitalem, à qua tanquam à principio, quaſi effectiuo, & non tanquam à termino, à quo, motus incipiat.

Sed illud eſt obſeruandum circa omnes quod D. Thomas in expoſitione textus tetigit, nempe dupliciter diſtingui poſſe, videlicet, per ordinem ad diuerſos motus locales, quorum ſunt principia: nam ſurſum eſt principium, à quo incipit augmentatio, extremumque longitudinis corporis, cum videamus, alimentum primo recipi in ore, vbi diſponi incipit pro conuerſione efficienda in ſubſtantiam aliti, & pars huic oppoſi-

ta deorſum eſt Illa vero pars, a qua incipit motus localis animalis, & eſt extremum latitudinis, dextrum vocatur, oppoſita vero pars ſiniſtra dicitur. Et ea tandem, à qua ſenſitiua alteratio initium ſumit, vel certe in qua viget, dicitur ante, ſeu anterior pars: oppoſita vero retro. Deinde poſſunt diſtingui penes eundem motum localem, ita vt pars ſurſum ea appelletur, à qua apprehenſio, ſeu cognitio, ad motum localem primo requiſita fieri incipit: nam in capite vigent ſenſus; pars vero, à qua incipit, quoad exercitium, vel executionem, idem motus dicitur dextera: huic vero oppoſita ſiniſtra, & tandem ante dicitur illud verſus quod mouetur animal, vt facies, vel pectus, & oppoſita pars dicitur retro.

His expoſitis, prima ſententia circa propoſitam quæſtionem negat in cælo reperiri vllam differentiã poſitionis ab intrinſeco, vel ex natura rei, & ſolum ei tribuit eas per quandam denominationem extrinſecam ad animalia ſeu viuentia, quo pacto dexter vocatur lapis, dũ ad dextrũ animalis poſitus eſt, & ſiniſter dum ad ſiniſtrũ eiuſdem: ſic pars cęli dextra vocari poteſt, dum verſus dextrum animalis eſt, & ſiniſtra dum verſus ſiniſtrum eiuſdem conſiſtit. Ita ſentiunt Picus Mirandulan. lib. 6. de examine vanitatis capite 9. Scaliger exercitatione 67. contra Cardanum, & cum his recentiores non pauci. Et probatur ex verbis Ariſtotelis in principio relatis, quibus docuiſſe vidimus, tria habere has differentias poſitionum, videlicet vt ſint partes corporis determinatæ, atque extrema dimenſionum eiuſdem corporis, & inſuper vt ſint principia alicuius motus vitalis, ſed tales partes non reperiuntur in cælo: ergo nec tales differentiæ poſitionum. Probatur, minor quia in cælo non reperiuntur veræ dimenſiones longitudinis, latitudinis, nec profunditatis

tis,potius quam in alio corpore rotundo vitę experte, vt in globo lapideo,vel ligneo,quibus propterea verę differentiæ poſitionum non conceduntur, niſi per extrinſecam denominationem à viuentibus, ſed nec dantur virtutes, quæ ſint principia augmentationis, alterationis,vel motus localis progreſſiui,cum motus iſti cælo non conueniant, nec tandem habet cælum virtutem aliquam effectiuam intrinſecam ſui motus circularis,ſed à motore extrinſeco, nempe intelligentia,mouetur : alienum eſt ergo ex propria natura ab his differentiis poſitionum.

Secundo, differentiæ poſitionum ſolum conueniunt ex natura rei viuentibus,ac ſentientibus corporibus,quorum ſunt proprietates, vt idemmet Ariſtoteles eiſdem verbis relatis docet. Sed cælum non eſt corpus viuens,ſed totius vitæ expers,vt ſupra diximus;ergo ex natura rei eas non habet. Nec ſufficiunt ad hoc virtutes, per quas cæli influunt in hæc inferiora, quia tales virtutes nec ſunt principia alicuius motus,nec partes, in quibus reperiuntur, ſunt heterogeneæ, ſed eiuſdem rationis atque eiuſdem figuræ, immo nec ſunt partes determinatæ, ſed quæ modo eſt in oriente, poſtmodum eſt in meridie, & tandem in occidente,cui ſuccedit alia, & alia diuerſa: quare nec virtus aliqua determinata poteſt eſſe in eis, ratione cuius dicantur ſurſum, vel deorſum, dextrum, atque ſiniſtrum : vel ſi determinata foret tranſiret plane de ſubiecto in ſubiectum, hoc eſt, de vna parte in alteram, quod patet eſſe impoſſibile.

Secundam opinionem tenet Villalpandus, 2. lib. de cælo cap. 2. quæſt. 3.quam dicit eſſe Auerrois propriam: eam vero ſic explicat. Intelligentia mouens cęlum,vt eſt intellectualis ſubſtantia,non vnitur

cælo,

cælo,nec vitam ei tribuit, ſed ſolum habet per ſe eſſe ac per ſe intelligere;ſed vt forma eius tribuit ei vitam,& ita neceſſario ei vnitur, vt non poſſit naturaliter ſeparari, cælumque ipſum ad vnionem cum ea naturalem habet propenſionem,& ex tali vnione vitam,motum,ac differentias poſitionum ex natura rei ſuſcipit, quod exponit exemplo animæ rationalis ſecundum ſe,& vt eſt forma corporis.Pro hac ſententia ſolum affert auctor iſte Ariſtotelem, qui diuerſis ſuæ doctrinæ locis ſuperius à nobis allatis teſtatur, cælum eſſe animatum, & capite præcedenti aduerſus Pythagoricos docet., non ſolum dextrum, & ſiniſtrum habere, ſed ſex omnes differentias poſitionum, tanquam corpus animatum, atque perfectum poſitum hiſce verbis:*Cum autem à nobis ſit antea definitum tales potentias his ineſſe, quæ principium motus habent, & cælum ſit animatum, atque principium habeat motus,patet ipſi ſuperum, inferumque, & dextrum, atque læuum ineſſe.*

Tertia opinio duo aſſerit, primum cælo non conuenire vllam differentiam poſitionis veram, & propriam ex natura rei aduerſus ſecundam opinionem, ſecundum quod non ſolum ei conueniat, per extrinſecam denominationem ad corpora viuentia, ſicut rebus omnino inanimatis, ſed per analogiam, quam habet ad illa ab intrinſeco. Et hæc noſtra ſententia valde conſona eſt ſenſui, ac modo loquendi Ariſtotelis,quam ſequuntur Patres Conimbricenſes 2. lib. de cælo,cap.2.quæſt.1.artic.2.Et quidem quantum ad primum aſſertum efficaciter ſatis probatur argumentis primæ opinionis.Quibus tamen duo libet addere, aduerſus Villalpandum; ſit autem primum aduerſus id,quod aſſerit,differentias poſitionis conuenire quidem cælo ex natura rei. Veræ atque propriæ differentiæ

ferentiæ poſitionum ſunt proprietates rei viuentis, & non poſſunt ex natura rei vitæ expertibus conuenire, vt concedit iſte auctor, ſed repugnat, cælum habere vitam etiam incorruptibilem, cum non ſit intelligibilis vita, quę non proueniat à forma informante: aſſiſtens enim ſicut non poteſt conferre eſſe corpori, ſic nec vitam, ſi quidem viuere viuentibus eſt eſſe, teſte Ariſtotele: aliam vero animam informantem, nec Villalpandus concedit. Quod autem aſſerit, intelligentiam mouentem cælum, licet non poſſit ei concedere veras differentias poſitionum, vt eſt intellectualis ſubſtantia, tribuere tamen vt formam eius conferentem ei vitam, ſic reuincitur. Si intelligentia vt forma, vnitur cælo, vel vnitur per modum vnionis ſubſtantialis, quem conſtat eſſe veram informationem ſubſtantialem, vel ſolum vnitur ei vnione virtuali, per quam imprimit ei impulſum, vel alio modo applicat ei ſuam virtutem ad motum: prior modus vnionis repugnat ſubſtantiæ completæ, per modum vero poſteriorem repugnat tribuere cælo eſſe ſubſtantiale, & ex conſequenti tribuere ei vitam: nam vita eſſe ſubſtantiale importat, non ergo poteſt ei tribuere veras, ac proprias differentias poſitionum, vitam corruptibilem, aut incorruptibilem conſequentes.

Probatur deinde ſecundum aſſertum, quod non cōueniant cælo differentiæ poſitionum per ſolam denominationem extrinſecam, ſed per analogiam, quam habet ab intrinſeco cum corporibus viuentibus. Primo expreſſis teſtimoniis Ariſtotelis, quibus affirmat cælum eſſe animatum, quod, vt minimum, de anima ei aſſiſtente ad motum neceſſario debet intelligi, à qua moueri ex propria inclinatione natum eſt, & propterea motum eius naturalem eſſe docuit in huius libri principio, quod conſtat, nulli corpori vitæ ex-

pерто

perto conuenire poſſe. Vnde infero alio modo longe diuerſo ſe habere cælum in ordine ad motum, quo ſe habent illa, & ex conſequenti alio modo nobiliori conuenire ei differentias poſitionum ex mente Ariſtotelis, ac conueniunt cæteris rebus vita carentibus. Quod capite præſenti expreſſius docuit: nam cum dixiſſet ad medium ferme eiuſdem, rebus vitæ expertibus non conuenire differentias poſitionis, vel ſolum per extrinſecam denominationem à viuentibus, quia vel non mouentur, vel ſi mouentur, omni ex parte ſimili modo, veluti ignis ſemper ſurſum, & terra ſemper deorſum. Cælo vero tribuendas fore tamquam corpori animato, atque perfecto docuit: euidens eſt ergo, eum ſentire, quod non per ſolam denominationem extrinſecam, ſicut rebus vitæ expertibus, ei conueniant, ſed alio modo perfectiori.

Probatur deinde ratione, quia conſtat cæleſtia corpora habere virtutes influendi in inferiora; conſtat etiam non poſſe eas ordinate exercere (hoc eſt, vt generationibus, & corruptionibus, viciſſitudinique earum congruit) niſi ab Oriente in Occidentem moueantur: ergo ex propria natura poſtulant ita moueri, vt ab ea parte motus incipiat: quod conſtat corporibus vitæ expertibus non conuenire: nam talibus virtutibus carent, nec poſtulant ab vna parte potius, quam ab aliis motum incipere, & hoc intellexit plane Ariſtoteles, dum aſſeruit modo omnino ſimili moueri: nihil ergo habent quod dextrum vocari poſſit, aut ſiniſtrum, potius quam aliud ex propria natura, ſed per ſolam denominationẽ extrinſecã à viuentibus: quod cum habeat cælum, ſequitur alio modo longe digniori conuenire ei poſitionum differentias,

Q

Quod vero conueniant cælo per ſimilitudinem, aut metaphoram ad viuentia corpora probatur, atque explicatur ſimul: quia ſicut pars animalis dicitur dextra, in qua viget virtus motiua totius corporis, hoc eſt, efficacior in ea, quam in cæteris partibus reperitur, ob meliorem illius partis temperiem, naturamque firmiorem, ad exercitium talis potentiæ: eadem ſimilitudine pars illa cæli, in cuius ſitu imaginario intelligentia reſidet, & cui primo applicat ſuam virtutē, imprimendo ei impulſum, quo totum corpus moueatur, dicitur dextra, quia virtutem habet inchoandi motum, & ei oppoſita dicitur ſiniſtra, & illa, quæ recipit virtutem, vt ſuper eam fiat motus, vocatur ſurſum, & huius oppoſita deorſum, anterior tandem ea, quæ recipit virtutem impulſiuam, continuandi motum, eique oppoſita poſterior.

Quod vt intelligatur ſcire oportet, intelligentiam mouentem cælum non eſſe in toto cælo præſentem, immo nec poſſe, quia limitata eſt ſecundum ſubſtantiam, & virtutem operandi, cum ſit certum, non poſſe ſimul eſſe præſentem, & in cælo, & in terra. Deinde non ſic mouet cælum, vt ad motum eius moueatur, cum eo, quia nec id neceſſarium eſt ad mouendum cælum, neque conſonum perfectioni eius: nam ideo anima mouens corpus, mouetur per accidens cum eo, quia vt pote forma informans, & pars eius, ipſi affixa eſt. Sic igitur mouet totum cælum, vt vni tantum parti impulſum imprimat, & media hac parte impulſa, totum ipſum corpus impellat, ac moueat.

Denique ſtatuendum eſt, hanc partem, cui primo impulſum imprimit intelligentia, non eſſe vnam aliquam determinatam, ac permanentem ſemper, ſicut eſt in animalibus, immo ſemper variari, & vnam alteri

alteri ſuccedere, ita vt, quæ nunc eſt in Oriente, poſtea ſit in Occidente, ſed ſemper poteſt dici vna, ac permanens per æquiualentiam, & in hoc conſiſtit ſimilitudo inter dextrum cæli, & animalium. Atque ex hoc habetur, quod illud dicatur per metaphoram. Ad hoc ſolum ergo eſt verum, quod intelligentia ſit in parte determinata ſpacij imaginarij, cui correſpondent ſucceſſiue partes, primum recipientes impulſum ab ea, quibus mediis mouetur totum cælum, & hanc partem intelligimus Orientis nomine: quam, ſatis probabile eſt, includere partem aliquam etiam ſpatij imaginarij, cui correſpondeat linea cæli æquinoctialis diuidens cælum medium, cum æquali diſtantia ab vtroque polo: quia hæc linea diſtantiſſima eſt ab vtroque polo; quo fit, vt partes cæli ei proximiores velocius moueantur cæteris omnibus, quia in eodem, aut æquali tempore maius longe ſpatium percurrunt. Eſt autem vero ſimile, ibi aſſiſtere per ſe præſentem intelligentiam, vbi perfectiorem cauſat effectum, ſimilitudine agentis naturalis fortius agentis in partes ſibi proximiores quam in remotiores. Et ex dictis ſatis intelligitur modus, quo mouetur ab intelligentia cælum, atque etiam, vbi ſit dextera pars eius eo modo, quo ei conceditur habere dextrum, & conſequenter cæteras differentias poſitionis iam expoſito.

Argumenta autem primæ opinionis ſolum probant, quod cælo non conueniunt differentiæ poſitionum ex natura rei eo modo, quo conueniunt animalibus, hoc eſt verè, & propriè; non tamen, quod per ſolam extrinſecam denominationem à viuentibus: nam præter extrema hæc datur medium noſtræ ſententiæ, nempe ſimilitudo, vel metaphora à differentiis

uiuentium deſumpta, cuius fundamentum ex natura rei cælo conuenit,& ex conſequenti habere differentias poſitionum ſecundum eandem metaphoram conuenit ei ex natura rei,non tamen corporibus vitæ expertibus, in quorum natura nullum eſt tale fundamentum, & propterea per ſolam & puram denominationem extrinſecam eis conceduntur.

Doctrinam vero ſecundæ ſententiæ efficaciter oſtendimus falſam: teſtimonium autem allatum intelligitur plane ab Ariſtotele, non de animatione vera per veram informationem, quam repugnare probauimus intelligentiæ, & cælo, quia vtrumque eſt completa ſubſtantia.

Hæc omnia, quæ de differentiis poſitionum attulit Ariſtoteles in hoc capite præſenti,& à nobis ſuperius iam allata ſunt, reſpectu primi mobilis ſunt accipienda: nam in inferioribus ſphæris; ſi proprio motu ab Occidente in Orientem mouentur, oppoſito modo ſe habebunt, ſecus ſi etiam ferantur in occaſum proprio motu,de quo inferius.

CAPVT III.

Textus Ariſtotelis.

Quoniam autem non eſt contrarius circularis motus circulari, &c.

Breuis expoſitio textus.

INtendit Ariſtoteles capite præſenti oſtendere, quod cæleſtia corpora non vnum duntaxat motum habeant, ſed plures. Diuiditur autem in duas partes, in quarum prima duo præſupponit: in ſecunda quatuor ex eis colligit. Principio igitur aſſerit, quod

quod ſi motus cæleſtis haberet contrarium, neceſſarium foret, oſtendere multiplicem eſſe,cum euidens ſit,duo vt minimum eſſe: nam idem non eſt ſibi contrarium. Sed cum contrario careat cæleſtis motus, non poteſt ex contrarietate oſtendi,multiplicem eſſe, ſed aliam eſſe rationem quærendam, eamque difficile inueniri,ob maximam diſtantiam cælorum, atque ob pauciſſima eorum accidentia nobis nota. Vt igitur aliam rationẽ inueniat, præſupponit primo,cælo deberi motum circularem, quod probat, quia ex motibus corpori debitis perfectiſſimus eſt circularis, quia initio caret, & fine, & ſolus poteſt eſſe perpetuus, vt octauo libro Phyſicorum probauit, ſed perfectiſſimo corpori, quale eſt cælum, perfectiſſima quoque operatio debetur,cum eſſe ſit propter operati:ergo motus cælo debitus circularis eſſe debet, & non alter.

Secundo præſupponit, motum circularem conuenire non poſſe toti mundo, ſed neceſſarium fore, vt aliquod corpus ex inferioribus quieſcat, & circa illud motus circularis fiat, quia ſicut motus rectus eſt de vno in alterum locum, pariter circularis debet circa aliquem locum verſari, & conſequenter circa corpus, quod quidem ſit quaſi centrum, circa quod verſetur idemmet circularis motus: hoc autem corpus quietum non poteſt eſſe eiuſdem naturæ cum cæleſti; nam ſi de natura cæli foret, violenter quieſceret in loco inferiori, quia ex propria perfectione poſtulat ſedem ſupra cætera corpora: deinde ſi in loco inferiori quieſceret naturaliter, ad eundem naturaliter moueretur, ſiquidem corpus quodcumque naturale eam petit ſedem per motum, in qua quieſcere congruit propriæ naturæ: ſed non poteſt ad inferiorem locum naturaliter moueri, cum naturale

ci ſit, moueri circulariter, & vni corpori vnus duntaxat motus naturalis conuenire poteſt: ergo neceſſario fatendum eſt, non naturaliter ibi, ſed violenter quieſcere. Vnde ſequeretur, talem eius quietem non eſſe ſempiternam, ac proinde, nec motum circularem cæli, cum non poſſit niſi circa tale corpus quieſcens in medio mundi fieri: efficaciter ergo probatur, corpus in medio mundi quieſcens, circa quod cælum moueri debet, alterius naturæ eſſe à cæleſti, ab eoque diſtinctum, & corpus hoc immobile permanens, & medium mundi vocatum eſt terra, circa quam mouetur cælum, & ecce tibi probatum, ex vi motus circularis cæleſtis præter cælum, dari in mundo terram.

Ex quo tria colligit Ariſtoteles, primo, quod ſi datur terra, neceſſe ſit dari ignem, quia contrarius illi eſt, dato autem vno contrariorum in natura rerum, neceſſe eſt dari alterum, quod certe non puto neceſſarium, niſi ſpectata perfectione vniuerſi, quæ eiuſmodi contraria poſtulat, non ſolum tanquam partes proprias, ſed in ordine ad finem, cuius gratia conditum eſt. Secundo colligit expoſitione terræ, & ignis dari neceſſario aquam, & aerem, quia extremis elementis poſitis, eadem perfectio vniuerſi exigit, dari elementa media, quæ vtrique extremo contraria ſunt: nam aqua contraria eſt igni, & aer terræ. Corollarium tertium eſt, quod ſi dantur quatuor elementa inter ſeſe contraria, neceſſe ſit, dari generationes, & corruptiones, & quidem perpetuas. Probat, quia contraria pugnant inter ſeſe: ergo neceſſe eſt inuicem ſe deſtruere: ex mutuo vero eorum congreſſu, ac deſtructione conſequitur mixtorum generatio, vt primo libro de ortu, & interitu vidimus; ergo neceſſe eſt, generationes, & corruptiones dari. Quod vero

ſint

ſint perpetuæ, ex mundi perpetuitate à ſe aſſerta octauo libro Phyſicorum ſequitur, quia generationes; & corruptiones neceſſarias eſſe conſtat ad conſeruationem mundi.

Vltimo colligit, intentum totius capitis, nempe corporibus cæleſtibus plures motus conuenire; quod ſic probat. In agentibus naturalibus idem, in quantum idem, & eodem modo ſe habens, non poteſt varios effectus edere, ſi igitur vnus tantum daretur cælorum motus, eodem modo ſe haberet ſemper quantum ad productionem effectuum, eoſdemque produceret ſemper, ſed experimur maximam varietatem in effectibus ſingulis annis: nam vno tempore generationes vigent, neque vlla fere res corrumpitur, alio vero pauciſſimæ generantur, & corrumpuntur quamplures: quam viciſſitudinem non poſſent afferre cæleſtia corpora, niſi per acceſſum, & receſſum planetarum, præſertim Solis: ergo neceſſe eſt præter motum diurnum proprios concedi planetis, vt huius viciſſitudinis congrua ratio reddatur.

TRACTATVS PRIMVS.

De cæleſtium corporum influxu in inferiorem mundum.

EX viciſſitudine generationum; & corruptionum ſublunarium corporum, probauit Ariſtoteles capite præſenti, non vnum tantum habere motum cæleſtia corpora, ſed multiplicem: quod (abſque dubio) nullius momenti foret, ſi cæleſtia corpora nullum in inferiorē mundum influxum haberent, nullam enim viciſſitudinem in effectus inducere poſſent, ſi effectrices eorum cauſæ medio motu non eſſent. Occa-

ſionem igitur præbuit ſententia huius capitis diſſerendi de influxu eorum in inferiora corpora, & propterea tractatum de eo primum inſtituimus, in quo quatuor præcipue examinãda proponimus, videlicet, an verum influxum, ſeu efficientiam habeant corpora cæleſtia circa inferiores effectus: quænam ſit eis ratio, ſeu virtus, per quam talem influxum habēt, & an motus talem eis virtutem agendi præbeat, vel ſolum ſit conditio agendi per virtutem aliam ab eo diſtinctam, & quaſi ei præſuppoſitam, & tandem ſi conditio ſit motus, an omnino neceſſaria, ita vt ſine eo nihil in inferiorem mundum agere valeant.

QVÆSTIO I.

An cæleſtia corpora verum, & realem influxum habeant circa effectus in inferiori mundo editos.

VEtus fuit error Aſtrologorum, cuius meminit Diuus Thomas in 2. diſtinct. 15. quæſt. 1. artic. 2. exiſtimantium, nullam dari penitus ſubſtantiam ſpiritualem, ſed ſolam corpoream, & cum ex alia parte ſibi perſuaſum haberent, in primis Deum eſſe perfectiſſimam ſubſtantiam, deinde omnium ſubſtantiarum corporearum nobiliſſimas eſſe cæleſtes, pro Diis eas habuerunt, ad quem errorem alluſiſſe videtur Ariſtoteles, initio præſentis capitis, cælum Deum vocans, & cæleſtia corpora diuina, atque etiam Plato eadem Deos appellare ſolitus eſt, vt adnotauit Diuus Thomas in huius capitis expoſitione. Poſuit enim in Epymonide quoſdam minores Deos, in quibus ſphæras cæleſtes enumerauit. Propterea conſequenter loquuti, primum influxum eis tribuebant, independentem à quocumque

alio,

alio, vnde non ſolum putabant inferiora corpora ab eis dependere in ſuis actionibus effectibuſque producendis, ſed in ſuo eſſe ab eiſdem condito. Sed error iſte euidentibus rationibus confutatur aliis locis, in quibus probatur, præter corpora dari ſpirituales ſubſtantias, quarum prima, à qua omnes accipiunt eſſe, virtutem operandi, & primum influxum omnium operationum, vocatur Deus.

Pro alio extremo refert Diuus Thomas quoſdam alios omnem influxum, & effectum à corporibus cæleſtibus circa inferiora auferentes. Quod videtur ſentire D. Damaſcenus primo libro Orthodoxæ fidei, cap. 6. vbi de corporibus cæleſtibus ſic loquitur: Nos autem dicimus, quod ipſa corpora non ſunt cauſa generationum eorum, quæ generantur, neque corruptionis eorum, quæ corrumpuntur: ſed generatio, & corruptio ad corporalia pertinent. Et ratione probari poteſt, quia nullum agens operatur, niſi in paſſum ſibi approximatum, & vt illud ſibi ſimile reddat, & iuxta propriam naturam, & conditionem, ſed nihil horum reperitur in corporibus cæleſtibus reſpectu horum inferiorum: ergo in ea non agunt. Minor probatur, quia non ſunt approximata per ſe, cum maxime diſtent, nec per ſuam virtutem: hæc enim nequit ad inferiora peruenire, niſi per media corpora cæleſtia, cum tamen iſta non ſint capacia caloris, frigiditatis, &c. Deinde nequeunt cæleſtia corpora aſſimilare ſibi inferiora in ſubſtantia, aut accidentibus, cum illa incorruptibilis ſit, hæc contrariis careant, quorum oppoſitum inferioribus congruit. Denique natura, & motus cælorum conſtantes, & æquabiles omnino ſunt: ergo ab eis nullus effectus contingens nullo caſu eueniet, id verò inferioribus ſæpe accidit: ergo corpora cæleſtia non influunt in ea.

ſionem igitur præbuit ſententia huius capitis diſſerendi de influxu eorum in inferiora corpora, & propterea tractatum de eo primum inſtituimus, in quo quatuor præcipue examinãda proponimus, videlicet, an verum influxum, ſeu efficientiam habeant corpora cæleſtia circa inferiores effectus: quænam ſit eis ratio, ſeu virtus, per quam talem influxum habẽt, & an motus talem eis virtutem agendi præbeat, vel ſolum ſit conditio agendi per virtutem aliam ab eo diſtinctam, & quaſi ei præſuppoſitam, & tandem ſi conditio ſit motus, an omnino neceſſaria, ita vt ſine eo nihil in inferiorem mundum agere valeant.

QVÆSTIO I.

An cæleſtia corpora verum, & realem influxum habeant circa effectus in inferiori mundo editos.

VEtus fuit error Aſtrologorum, cuius meminit Diuus Thomas in 2. diſtinct. 15. quæſt. 1. artic. 2. exiſtimantium, nullam dari penitus ſubſtantiam ſpiritualem, ſed ſolam corpoream, & cum ex alia parte ſibi perſuaſum haberent, in primis Deum eſſe perfectiſſimam ſubſtantiam, deinde omnium ſubſtantiarum corporearum nobiliſſimas eſſe cæleſtes, pro Diis eas habuerunt, ad quem errorem alluſiſſe videtur Ariſtoteles, initio præſentis capitis, cælum Deum vocans, & cæleſtia corpora diuina, atque etiam Plato eadem Deos appellare ſolitus eſt, vt adnotauit Diuus Thomas in huius capitis expoſitione. Poſuit enim in Epymonide quoſdam minores Deos, in quibus ſphæras cæleſtes enumerauit. Propterea conſequenter loquuti, primum influxum eis tribuebant; independentem à quocumque alio,

alio, vnde non ſolum putabant inferiora corpora ab eis dependere in ſuis actionibus, effectibuſque producendis, ſed in ſuo eſſe ab eiſdem condito. Sed error iſte euidentibus rationibus confutatur aliis locis, in quibus probatur, præter corpora dari ſpirituales ſubſtantias, quarum prima, à qua omnes accipiunt eſſe, virtutem operandi, & primum influxum omnium operationum, vocatur Deus.

Pro alio extremo refert Diuus Thomas quoſdam alios omnem influxum, & effectum à corporibus cæleſtibus circa inferiora auferentes. Quod videtur ſentire D. Damaſcenus primo libro Orthodoxæ fidei, cap. 6. vbi de corporibus cæleſtibus ſic loquitur: Nos autem dicimus, quod ipſa corpora non ſunt cauſa generationum eorum, quæ generantur, neque corruptionis eorum, quæ corrumpuntur: ſed generatio, & corruptio ad corporalia pertinent. Et ratione probari poteſt, quia nullum agens operatur, niſi in paſſum ſibi approximatum, & vt illud ſibi ſimile reddat, & iuxta propriam naturam, & conditionem, ſed nihil horum reperitur in corporibus cæleſtibus reſpectu horum inferiorum: ergo in ea non agunt. Minor probatur, quia non ſunt approximata per ſe, cum maxime diſtent, nec per ſuam virtutem: hæc enim nequit ad inferiora peruenire, niſi per media corpora cæleſtia, cum tamen iſta non ſint capacia caloris, frigiditatis, &c. Deinde nequeunt cæleſtia corpora aſſimilare ſibi inferiora in ſubſtantia, aut accidentibus; cum illa incorruptibilis ſit, hæc contrariis careant, quorum oppoſitum inferioribus congruit. Denique natura, & motus cælorum conſtantes, & æquabiles omnino ſunt: ergo ab eis nullus effectus contingens nullo caſu eueniet, id verò inferioribus ſæpe accidit: ergo corpora cæleſtia non influunt in ea.

Veritas nihilominus certiſſima huius rei eſt, quod cæleſtia corpora verum & realem influxum habeant circa inferiora, plureſque veros, ac reales effectus eis imprimant, quod euidentibus experientiis, omnibuſque manifeſtis conuincitur: nam omnes imprimis experimur, Solem ſua luce inferiora corpora calefacere, dealbare ceram, exſiccare lutum, pluresque alios effectus producere, quos non poteſt niſi ſtolidus negare, nec aliis cauſis tribuere. Videmus etiam Solis motum quadripartitam anni diſtinctionem afferre, quæ duo æquinoctia vere, & autumno, ac totidem Solſtitia, æſtate, & hyeme complectitur, ac per viciſſitudinem calorum, ac frigorum, rerum generationes, ac corruptiones efficere. Aſtra item ſuo congreſſu, ortuque, atque occaſu ſub certo quodam aſpectu, ſterilitatem, vel vbertatem terræ, tranquillitatemque maris, aut tempeſtatem cauſare, & ad morbos inducendos, vel ſanandos multum conferre, & ideo plurimum à medicis in eorum curatione obſeruari, vt apertè docet Galenus 3. lib. de diebus criticis docet. Et tandem experientia docet, polum ſuo aſpectu in magnetem influere eam attrahendo ſpecialemque influxum circa acum nauticum habere, quæ abſque dubio ſufficiunt, certiſſimum efficere influxum cæleſtium corporum in inferiora. Quem vt certiſſimum tenuerunt ſemper ſancti Patres, præſertim, Diuus Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus, Diuus Auguſtinus 15. de Trinitate cap. 4. Diuus Baſilius Homilia 6. Hexameron, & Diuus Thomas in 2. diſtinct. 15. quæſt. 1. artic. 2. & cum eo cæteri Doctores Scholaſtici eadem diſtinct. vniuerſique Theologiæ profeſſores, nemine excepto, & tandem tota ferme Philoſophorum antiquitas, præſertim Mercurius Triſmegiſtus in Aſclepio, Plato in Theocrito, Philo Iudæus in libro de mundi opificio,

opificio, & paſſim Ariſtoteles in libro de ortu & interitu cap. 10 textu 15. & 16. libro 4. de generatione animalium, cap. vltimo, 2. lib. phyſicorum, cap. 2. textu 26. & 12. Metaphyſicæ, cap. 6. textu 33. & 34.

Teſtimonium Diui Damaſceni pro oppoſita ſententia adductum, expoſuit bene D. Thom. art. illo citato ad 2. dicens, ſolum voluiſſe auferre à corporibus cęleſtibus primum influxum independentem ab alio, quem ille error eis tribuebat: quod vero tanquam creaturæ quibus cum eſſe conceſſit Deus virtutem influendi & agendi in inferiorem mundum à ſe dependentem, verè influant, & plures circa corpora inferiora effectus producant, non intendebat negare.

Ad argumentum reſpondetur, licet corpora cæleſtia per ſe diſtantia ſint à corporibus inferioribus, nihilominus per ſuam virtutem, quam per totum inferiorem mundum extendunt, dicuntur præſentia: vt tamen virtus eorum ad inferiora corpora deferatur, non eſt neceſſarium in intermediis produci qualitates, quæ producūtur in inferioribus, ſed ſufficit produci aliam, cuius capacia ſunt, qua tranſeunte ad inferiora producetur per eam illa alia, cuius eadem intermedia capacia non ſunt, bene tamen inferiora.

Ad illud de aſſimilatione agentis concedendum eſt, finem agentis eſſe aſſimilare ſibi paſſum, ſed aut ſecundum formam ſubſtantialem, ſi ſit agens vniuocum, aut ſecundum virtutem, aut aliquem effectum in virtute eius eminenter contentum; & licet priorem modum aſſimilationis non intendat, nec conſequatur agens æquiuocum, intendit, & conſequitur poſteriorem, quem abſque dubio conſequuntur cæleſtia corpora per influxū, & actionem in inferiorem mundum. Denique licet nihil contingens vel caſuale reperiatur in

in corporibus cæleſtibus,nec in modo agendi eorum per ſe conſiderato , ſequuntur nihilominus caſuales effectus circa hæc inferiora ratione cauſarum particularium,à quibus modificantur,& ſępe impediuntur influxus per ſe cælorum.

QVÆSTIO II.

An cæleſtia corpora influant in inferiorem mundum per ſolam lucem,vel etiam per aliam virtutem.

NVllus, quem viderim,negat, quod per lucem, tanquam per agendi rationem influant corpora cæleſtia circa hæc inferiora,quam ſentẽtiam, vt communem omnium ſtatuit D.Thomas 1.par.q.67.art. 3. oſtendens, lucem non minus eſſe actiuam qualitatem, quam calorem, & ideo per eam agere cœleſtia corpora in inferiora; quod euidens experientia conuincit: nam videmus lucem à Sole per medium effuſam, non ſolum illuminare illud ac reliqua corpora, ſed calefacere,& ſæpe intenſum calorem circa ea producere.Et propterea titulus quæſt. hoc præſuppoſito, quærit, an ſolum per lucem, vel etiam per aliam virtutem operentur, in quo non eſt leuis difficultas:nam plures Philoſophi per ſolam lucem agere ſentiunt, cuius virtute effectus omnes eis attributos operantur, vt Picus Miran. lib. 3. contra Aſtrologos cap. 5. & 6. Medina 2.libro ſuæ Parænesis, cap. 1. Georgius Agricola libro 4. & 5. de cauſis ſubterraneorum, & quidam alij, inter quos enumerandus videtur Pater Pereira,qui tom.1.in Geneſ. lib.2.diſp.aduerſus Aſtrologos cap. 3. ratio. 4. quaſi irridens alias qualitates occultas,quas in cælo ponunt,aſſerit nouitium inuentum,

tum, & ignorantiæ aſylum eſſe. Sed diuerſo modo hanc ſententiam explicant prædicti Doctores, vt infra referam.

Probari poteſt teſtimonio Ariſtotelis, qui nullam aliam qualitatem, vel rationem agendi præter lucem conceſſit corporibus cæleſtibus in tota ſua Philoſophia, ergo præter mentem eius eſt, aliam ponere. Probatur conſequentia, quia ſi eam dari ſentiret, aliquo verbo eam inſinuaret. Probatur etiam ratione, quia nemo agnouit talem qualitatem, nec ex effectu aliquo neceſſario colligitur, ſed pro omnibus effectibus lux ſufficit, non eſt ergo multiplicanda alia qualitas ſine vrgenti neceſſitate. Antecedens probatur, quia cum lux, & calor cæleſtis ſint qualitates ſuperioris ordinis cæteras omnes qualitates inferioris mundi ſua virtute, & eminentia continebunt, & ex conſequenti eas producere poterunt, quare non eſt alia pro eis producendis multiplicanda.

Secunda ſententia præter lucem ponit in corporibus cæleſtibus alias qualitates, tanquam rationes agendi, per quas effectus alios, ſiue qualitates à calore diſtinctas producunt, quas influentias vocare ſolent. Hæc eſt communis iam in ſchola, & fuit Platoni propria, vt D. Damaſcenus teſtatur in libro de conſolatione medicin. quam tenuerunt antiquiores, & grauiores ſcholaſtici, Diuus Thomas ſecundo lib. de cælo, lectione 10. & in 2. diſtinct. 15. quæſt. 1. artic. 2. ad 5. Albertus Magnus, quæſt. 1. Bonau. diſt. 14. quæſt. penultima, Richardus ibidem, circa tertium principale, quæſt. 5. ad 5. ibidem etiam maior quæſt. 5. Ferrarienſis 3. contra gentes ad caput 84. Abulenſis in 3. lib. Regum, cap. 17 quæſt. 9. Pater Toletus 2. lib. de generatione, quæſt. 2. concluſione 4. & Patres Conimbricenſes, 2. lib. de cælo, cap. 3. quæſt. 3. cum cæteris om-

nibus

nibus recentioribus, & hæc nobis tanquam vera placet. Probatur primo, quia corpora cæleſtia generant in vltimis terræ viſceribus (quæ non poteſt lux permeare, nec cæleſtis motus omnino attingere) aurum & argentum, & cætera metalla, ergo neceſſe eſt eis aliam virtutem, aut influentiam concedere, per quam talem effectum producere valeant. Antecedens probo, quia in viſceribus terræ nulla poteſt dari, nec excogitari qualitas, vel virtus ſufficiens ad hos effectus producendos longe perfectiores ipſamet terra, & aliis qualitatibus conſtantes, quibus eadem terra prorſus caret, ergo neque ab ea produci poſſunt; ſed neq; alia cauſa inferior excogitabilis eſt, à qua producantur (vt per ſe eſt manifeſtū) ergo à ſolis corporibus cęleſtibus generari poſſunt. Quod vero non poſſit eos attingere lux, nec motus probatur, quia impoſſibile eſt, tam ingentem terræ craſſitatem peruadere, aut penetrare lucis radios. Quod vero à quibuſdam dicitur lucem quidem non penetrare denſitatē illam magnam, bene tamen calorem ab eadem cum Sole multiplicatum, per terræ meatus, friuolum eſt, quia lux producta in ſuperficie terræ, vel extenſa ad aliquam eius profunditatem, valde limitatam habet ſphæram actiuitatis, ad quam poſſit extendere effectum caloris, & calor, quem intra hanc ſphæram producit, non habet tantam intenſionem, vt poſſit tam vaſtam molem penetrare, præſertim cum maximo ſit ei impedimento intenſa frigiditas terræ in denſiſſimo corpore reſidens, & hæc omnia manifeſta ſunt experientia explorata, ergo inſufficiens cauſa horum effectuum redditur, niſi ad cæleſtem influentiam à lumine, & motu & diſtinctam confugiamus.

Secundo probatur duplici experientia, priori quidem, quia notum eſt, acum attritu magnetis confricatam

catam trahi à cæli partibus polo vicinis, quam attractionem à luce non fieri manifeſtum eſt, quia nemo conceſſit luci vim attrahendi. Præterea talis attractio fit plane denſa caligine, & acu ipſa in tenebroſo loco poſita, vt euidens negantiū experientia docet. Ex quo plane colligitur, non ſolum à luce non fieri, ſed nec fieri neceſſario ex interueniente, aut deferente talem virtutem, & proinde neceſſario ponendam eſſe aliam à luce diſtinctam in aſtris. Experientia poſterior eſt fluxus, & refluxus Occeani ex communi conſenſu Philoſophorum à Luna procedentes, qui effectus, vt docet experientia, duobus temporibus fit, quibus à luce eius procedere repugnat, videlicet in interlunio, quando eiuſdem Lunæ facies, quæ mare reſpicit, lumine deſtituta eſt, & Luna etiam in altero hemiſphærio exiſtente, nec propterea talis motus aquæ his temporibus remittitur: ſignum igitur eſt, non à luce, ſed ab alia eius virtute, aut influentia à luce diſtincta fieri.

Probatur tandem, quia receptum eſt etiam ab autoribus, oppoſitæ ſententiæ, corpora cæleſtia, atque influxus aſtrorum producere, in inferioribus corporibus, non ſolum calorem, ſed frigiditatem, & cæteras qualitates primas, cum mixta, quæ eis conſtant, per ſe ab eis generentur, ſed per ſolam lucem non poſſint eas producere: ergo alia eſt neceſſario excogitanda qualitas, quæ ſit eis ratio eas producendi. Huic efficaci argumento tribus modis reſpondent aduerſarij: nam Picus Mirandulanus per lucem ſolum calorem produci aſſerit, hunc vero calorem, quia cæleſtem, cæteras omnes qualitates primas eminenter continere, & ideo eas producere. Itaque lumen remotam cauſam earum eſſe cenſet. Hæc tamen ſolutio falſa probatur primo, quia euidens eſt, lucem à qua procedit

dit calor, maioris eſſe virtutis, quam calorem, cum eum producat tanquam cauſa æquiuoca, à qua alij etiam effectus à calore diuerſi procedunt, ſed lux non poteſt producere omnes qualitates primas, ſed ſolum calorem, neque eas proinde eminenter continet, ergo ſine fundamento dicitur, calorem eas continere, ac producere poſſe. Secundo calor elementaris eſt eiuſdem ſpeciei cum calore producto à luce, ſed nec ille continet, nec producere poteſt cæteras qualitates primas: ergo neque iſte. Euidens eſt conſequentia, & antecedens probatur, quia calor elementaris intenditur à calore Solis (vt probat experientia) in aere calefacto à Sole, ergo ſunt eiuſdem ſpeciei; nam quod ſpecie differt ab alio, non poteſt ab eo intendi, cum ſit diuerſæ naturæ, & conditionis. Et vrgeri poteſt argumentum, quia qualitates iſtæ ſunt limitatæ perfectionis: ergo nulla earum poteſt producere effectus contrarios, ſoli enim Deo, tanquam vniuerſaliſſimæ cauſæ, in qua omnia continentur, id concedi poteſt.

Propterea alio modo reſpondet Agricola, videlicet, ſolam lucem, in quantum eſt virtus vnius Planetæ, vt Solis, cauſare calorem, & in quantum virtus alterius, frigiditatem; & pariter cæteras, vt eſt virtus aliorum. Sed non eſt minus falſa hæc ſolutio. Primo, quia de auro, & argento probauimus non poſſe à luce produci vllo modo in terræ viſceribus, quia naturaliter eſt impoſſibile, lucem peruadere profunditatem terræ denſiſſimam; quibus argumentis eodem modo conuincitur, id non poſſe efficere, ſiue accipiatur pro vt eſt virtus vnius, vel alterius aſtri, cum eadem ſit repugnantia, vt per ſe eſt manifeſtum. Secundo, quia nullum eſt fundamentum, ad diſtinguendum ſpecie lumen diuerſorum aſtrorum, etiam ſi nec totum, nec partem eius à Sole emendicent, vt ex aliis ef-

fectibus

fectibus eiuſdem rationis à lumine omnium cauſatis conſtat. Ergo falſum erit eidem lumini tribuere effectus ſpecie diuerſos,prout virtus diuerſorum aſtrorum. Accedit teſtimonium Ariſtotelis 4.lib. de partibus animalium,capit.5.in medio aſſerentis,plenilunij noctes calidiores eſſe propter pleniorem lucem. Quod verum eſſe non poteſt niſi talis exceſſus caloris à luce Lunæ, aliorumve aſtrorum producatur; quare falſum eſt, quod lux tantum ſit productiua caloris, vt eſt virtus Solis aliarumve qualitatum, vt eſt virtus aliorum aſtrorum.

Nec tandem minus eſt falſa ſolutio commentatoris 2.lib.de cælo, commento 42. & aliorum, qui eum ſequuntur: nempe, cæleſtia corpora per ſe tantum producere calorem;frigiditatem vero,& cæteras tantum per abſentiam lucis, quod eſt per accidens eas producere. Probatur vero falſa. Primo, quia non minus per ſe pertinet ad vniuerſalem cauſam rerũ corporearum,cæteras qualitates primas producere,quam calorem, cum omnes ſint diſpoſitiones per ſe ordinatæ à natura ad introductionem formarum materialium, & compoſitorum generationem: ergo abſurdum eſt,dicere, hunc tantum per influxum, illas vero per abſentiam producere, aut per accidens. Secundo, quia communis eſt omnium Philoſophorum ſententia, cæleſtia corpora ſua virtute, atque eminentia elementa continere, ergo continent primas omnes qualitates eorum:quare per ſe poſſunt omnes producere,& cum non poſſint per ſolam lucem (vt probauimus) neceſſe eſt,aliam virtutem à luce eis concedere, per quam operentur.

Ad teſtimonium Ariſtotelis reſpondeo, quod licet expreſſe non fecerit mentionem alterius qualitatis à luce,ex his tamen, quæ de influxu cæleſtium corpo-

rum docuit, colligitur,eam tanquam neceſſariam poſuiſſe, vt ex teſtimonio ſuper à nobis allato conſtar. Ad argumentum concedimus luci excellentiam ſuper cæteras qualitates: ſed non tantam, vt ſua virtute contineat omnes qualitates primas, hoc enim repugnat accidenti alicui determinato, quare repugnat etiam eas producere: immo cuicunque alteri qualitati neceſſario ponendæ in aſtris repugnat continere omnes,ſed plures ponendæ ſunt in diuerſis aſtris, pro his, cæteriſque effectibus diuerſis producendis in mundo inferiori, quas concedimus nobis eſſe occultas, & ſolum per effectus cognoſci à poſteriori, ſicut virtutem magnetis; & alias horum inferiorum corporum cognoſcimus per effectus, & modus iſte cognoſcendi ſufficientiſſimus eſt, ad eas ponendas, eoque conuicti poſuerunt eas omnes fere Philoſophi. Quæ omnia ſic intelligenda ſunt, vt pro effectibus accidentalibus producendis lux, aliæque influentiæ occultæ ponantur, à quibus, tanquam à præcipuis cauſis, atque proximis procedant; nam ſubſtantiales effectus, quos cæleſtia corpora in mundo inferiori producunt,ſolum ab his qualitatibus, tanquam ab inſtrumentis corũ producuntur; ſubſtantiis vero eorum, tanquam à cauſis præcipuis, mediis formis ſubſtãtialibus,tanquam rationibus,aut virtutibusagendi.

QVÆSTIO III.

An motus circularis cæli ſit ei ratio agendi in inferiorem mundum,vel ſolum conditio.

OStendimus lucem, & alias occultas qualitates (quas influentias vocant) eſſe cælo rationes agendi, ſed an ſint rationes agendi ſufficientes per ſe,

&

& ideo completæ, vel compleantur, & ſufficientes fiant per motum, & ita motus ſit quaſi partialis virtus, ſeu ratio agendi, aut ſolum ſit conditio applicans eaſdem rationes agendi per ſe ſufficientes ad corpora, circa quę operaturæ ſunt, non eſt certum, & propterea vertitur in quæſtionem.

Prior igitur ſententia tenet, eſſe quidem motum rationem, ſeu virtutem agendi cælo, ſaltem partialem, ita vt ex ea, & luce, ſiue alia occulta virtute, vel influentia, fiat vna ratio, aut virtus agendi totalis, & nõ eſſe ſolam conditionem, ſic Bañes 2. li. de generatione cap. 10. quæſt. 1. concluſione 4. & videtur idem ſentire D. Thomas, & complures alij ex eius diſcipulis, quæſtione ſequenti referendi. Probatur teſtimonio Ariſtotelis multis locis, præſertim 8. lib. Phyſicorum tex. 53. docentis, omnes motus inferiores reducendos eſſe ad motum cæli, tanquam ad primum, qui eſt cæterorum cauſa: eſſe autem cauſam plus dicit, quam eſſe conditionem, & idem eſt, ac eſſe rationem, ſeu virtutem agendi; ergo cenſet ita ſe haberi reſpectu cæli: ſed ſpecialius, & expreſſius 2. libro de cælo, cap. 7. tex. 42. vbi hæc verba legimus: *Calor autem ab ipſis, & lumen generatur attrito aere ab illorum latione, nam natura aptus eſt motus ignire & ligna, & lapides, & ferrum*; quibus aperte docet, motum cæli aliquando ignire lapidem, & ferrum, dum per aerem mouentur, vel in eo atteruntur: quod non poteſt eſſe verum, niſi ſit ratio, aut virtus agendi cælo: nam ignire, vel calefacere, ſolum dicitur illud, quod ignem, vel calorem producit, & ſolum producere dicitur, quod cauſa ignis geniti, vel caloris eſt, non quod eſt ſola conditio. Sentit ergo Ariſtoteles, motum cæli non eſſe ſolam conditionem, ſed cauſam, vel cauſandi rationem. Et probatur ratione ſatis efficaci ex eiſdem

verbis Ariſtotelis elicita, hoc modo: motus eſt cauſa caloris in corporibus calidis,quæ eo ipſo, ac mouentur, incaleſcunt(vt euidens experientia docet)ſed non poteſt excogitari alia cauſa, vel virtus agendi, à qua producatur talis calor præter motum; ergo non poteſt negari,quod ſit ratio agendi non ſolum cælo, ſed aliis corporibus inferioribus. Probatur minor, nam dum per aerem quantumlibet frigidum,ſagitta proiicitur, vel nos ambulamus,illa,& nos incaleſcimus, & cauſa noui caloris producti non poteſt eſſe calor aeris, cum præſupponatur nimis frigidus,ſed nec calor proprij corporis moti poteſt nouum calorem in ſe cauſare, quia calor non poteſt ſe ipſum intendere virtute propria, alioquin operaretur vltra propriã perfectionem ſe perficiendo. Relinquitur ergo,non dari aliam cauſam noui caloris producti præter motum, quare neceſſe eſt,fateri eſſe rationem ſeu virtutem agendi,& non ſolam conditionem.Et vrgeo argumentum,quia cælum eſt quaſi inſtrumentum intelligentiæ: inſtrumentum vero non operatur,niſi per per motum,quo mouetur à præcipuo agente,& ſæpe locali,vt patet de ſerra, & aliis inſtrumentis artis: ergo non habent aliam rationem agendi præter motum,quæ erit ratio agendi cælo. Et certe ſi motui cæli denegetur eſſe rationem cauſandi,nec poteſt eſſe maioris virtutis, nec poſſunt inferiora corpora magis dependere ab ipſo, quam à motu aliorum corporum inferiorum, quod abſurdum eſt.

Nihilominus probabilior longe ſententia negat, motum cæli eſſe ei rationem agendi totalem, vel partialem,& ſolum concedit,eſſe conditionem applicantem virtutem actiuam cælorum ad diuerſa loca, & corpora horum inferiorum.Ita Valleſius de ſacra Philoſophia,cap.31.pagin.263. & lib.4. controuerſiarum med.

med. cap. 3. Toletus 2. libr. de generatione, quæſt. 12. fundamento 1. & omnes recentiores fere. Probatur primo, quia cælum, etiam ſi non moueatur, eſt ens completum, habens virtutes operatiuas, ſicut habent cætera corpora completa inferiora, vt ignis, vel aqua, immo longe efficaciores, ſed inferiora corpora non indigent motu, pro ratione, ſeu virtute agendi etiam partiali, ſed ſine illo poſſunt agere in quodlibet ſubiectum capax intra propriam Sphæram actiuitatis exiſtens, vt experimento conſtat; ergo nec cælum indigebit.

Secundo, quia motus localis, quicumque ille ſit, ſolum habet eſſe viam ad acquirendam localem præſentiam, vel modum eius, ſed conſtat, localem præſentiā actiuam non eſſe, ſicut extenſio localis, vel quantitas actiua non eſt, nec ideo poſſe effectum aliquem producere; ergo nec motus localis, qui eſt quaſi fieri eius, vllam poteſt virtutem habere producendi effectum aliquem circa corpora. Et vrgeri poteſt argumentum, quia effectus debet contineri aliquo modo in virtute cauſæ: ſed qualitates, aut effectus alios productos per lumen, aut cæteras influentias non poteſt continere motus localis, cum ſit res imperfectiſſima; ergo nec eſſe rationem, ſeu virtutem eos producendi. Probatur tandem, quia certum eſt, Solem quieſcentem in bello Ioſue, atque etiam poſt diem iudicij, illuminaſſe, & illuminaturum inferiora corpora, & conſequenter, tunc eadem calefeciſſe, & calefacturum: ergo non habet motum pro ratione agendi totali, vel partiali: nam ſi haberet, non poſſet ſine illo effectum aliquem producere. Accedit, probabilem eſſe & D. Thomæ expreſſam ſententiam (vt mox videbimus) aſſerentem, cælum Empyreum influere in inferiora corpora, aliquem effectum in ea producendo, quod tamen im-

mobile eſſe ab omnibus ipſum ponentibus aſſeritur: ergo motus non eſt ei ratio agendi, nec proinde cæteris corporibus cæleſtibus.

Vltimo argumento reſpondere oportet, (nam pro ſoluendis cæteris infra ad cap. 7. ſpecialis controuerſia erit agitanda) & primo negandum eſt, cælum eſſe inſtrumentum proprium intelligentiæ, quia quidquid cæleſte corpus in hæc inferiora producit, ſiue vt præcipua cauſa, ſiue ſolum diſponendo ſubiectum, ad recipiendum effectum ab altera, propriæ virtuti eius, vt luci, vel alteri influentiæ proportionatum eſt, vt de calore, quem media luce, & aliis qualitatibus, quas mediis aliis aſtrorum virtutibus cauſat, manifeſtum eſt, quia in eiſdem virtutibus continentur, quare nec eas excedũnt, neque ideo reſpectu earum, inſtrumentum intelligentiæ eſſe poteſt cælum, aut motus illius. Deinde etiam ſi eſſet inſtrumentum, non deſeruiret ei motus, ab intelligentia cauſatus, pro ratione agendi, ſicut forte contingit in inſtrumentis artis, ſed ſolum pro conditione applicante, cum ex ſe habeat cælum ſufficientem virtutem ad eos effectus. Vnde non eſt maioris virtutis motus cæleſtis, quam aliorum corporum inferiorum, nec habent maiorem dependentiam inferiora corpora ab eo, quam à motu cæterorum, tanquam à virtute, ſeu ratione agendi, quia neuter eſt ratio agendi, tanquam à conditione vero multo magis dependent, quia maiores, ac illuſtriores virtutes affert, & à quibus magis dependent, & hac ratione maioris virtutis cenſetur.

* * *

QVÆ

QVÆSTIO IV.

An ceſſante motu cæleſti, ceſſare debeant motus omnes, actioneſque inferiorum corporum.

CErtum eſt, actiones intentionales, & quæ non ordinantur ad generationem ſubſtantiarum, vt illuminationem, & productionem ſpecierum intentionalium, non neceſſario ceſſare, ceſſante motu cæli, ſed permanere poſſe, ac permanſuras eſſe poſt diem iudicij, cælo quieſcente. Ita Diuus Thomas expreſſe, de potentia quæſt. 5. articul. 8. & cum eo cæteri omnes ſtatim referendi, cuius egregiam rationem reddit, quia actiones iſtæ minus materiales ſunt, & propter eſſe diminutum, & intentionale ſpiritualibus ſimiles, nec ad materiales generationes ſubſtantiarum ordinatæ: ergo licet à cælo, mundum illuminante dependeant, non tamen ab eius motu, ſine quo illuminare poſſe conſtat; quare eodem cælo quieſcente perſeuerare poſſunt in mundo inferiori. Solum ergo habet locum præſens controuerſia de actionibus, ac motibus corporum inferiorum pertinentibus ad motus eorum, & ordinatis ad generationem, & corruptionem ſubſtantiarum, an omnino ceſſarent, motu cæli ceſſante. De quibus apud omnes etiam conſtitutum reperio, neceſſarium eſſe motum cæli, vt actiones, & motus iſti exerceantur à corporibus inferioribus, prout oportet ad conſeruationem, & propagationem totius inferioris mundi. Cujus ea eſt ratio, quia niſi moueretur cælum, eodem ſemper modo illuminaret, eodem ſemper modo influeret, caloremque, aut frigus, aliaſque qualitates, aut ſecundum exceſſum,

vel defectum produceret ſemper, nec poſſet influxus eius, ſecundum diſtributionem accommodatam, communicari corporibus, illuminante vero eodem modo ſemper Sole, vel exceſſum caloris eis imprimeret, quo comburerentur, vel ita remiſſum, cum quo neque ſibi ſimiles effectus edere poſſent, per quos conſeruarentur ſpecies, nec proprium eorum temperamentum dici poſſet conſiſtere: neceſſaria igitur eſt alterna viciſſitudo illuminandi, calefaciendi, atque influendi, quam conſtat ſine motu non poſſe à cælo præſtari; ſine qua etiam viciſſitudo generationum, & corruptionum, omniumque corporearum actionum, & motuum, quam ſingulis annis conſpicimus, ceſſaret: nam cum plantarum geminatio, fructuum, ſegetumque productio, potiſſimum dependeat ex caloris, aliarumque qualitatum incremento, quod non poteſt prouenire à Sole, & aliis cæleſtibus virtutibus, niſi per motum approximatis, ſit pro hac viciſſitudine, & varietate generationum, corruptionum, & motuum, tantopere neceſſaria ad bonum ſtatum conſiſtentiæ, atque conſeruationem inferioris mundi, neceſſarium eſſe motum cælorum, & ex conſequenti ceſſare eo ceſſante. In eo igitur ſenſu dumtaxat locum habet quæſtio præſens, nempe, an tanta ſit naturalis dependentia corporum inferioris mundi à motu cælorum, vt eo ceſſante nullum motum corporeum habere poſſint, neque vlla poſſit ſubſtantiarum generatio, aut corruptio, vel qualitatum corporearum productio ad eam ordinata contingere.

Et prior ſentētia aſſerit, omnes penitus ceſſare, ceſſaturoſq; poſt diē iudicij cælo quieſcente. Ita Simplicius, quē refert D.Thom.2.lib. de cælo, lectione 4.ad finem

finem, Capreolus in 2. diſtinct. 14. Soncinas 12. Metaphyſicæ, quæſt. 11. Ferrarienſis 4. Contra Gentes, cap. vltimo, Sotus in 4. diſtinct. 48. quæſt. 2. art. 2. (niſi ego fallor) D. Thom. 2. lib. de cælo lection. 4. in fine, de potentia quæſt. 5. art. 8. de malo, quæſt. 3. artic. 2. in 2. diſtinct. 11. quæſt. 2. artic. 6. ad 3. in 4. diſtinct. 48. quæſt. 2. art. 2. & 4. lib. contra Gentes cap. vltim. Probant ex duplici vniuerſali principio Ariſtotelis: primo quidem 2. lib. Metaphyſicæ cap. 2. text. 4. hiſce verbis: *Neſcimus autem verum abſque cauſa, vnumquodque vero id ipſum maxime aliorum eſt, ſecundum quod alijs vniuocatio ineſt, vt puta ignis calidiſſimum, etenim cæteris hic eſt caliditatis cauſa. Quare veriſſimum eſt etiam id, quod poſterioribus, vt vera ſint, cauſa eſt.* Quod communiter circumfertur ſic: *Primum in vnoquoque genere eſt cauſa ſeu menſura cæterorum.* Poſteriori vero 2. libro Phyſicorum cap. 8. text. 75. Quod autem inquit lationum circulatio prima ſit, manifeſtum eſt. Ex quibus colligunt, motu cæli ceſſante, nullum prorſus cæterorum permanere, quia ceſſante cauſa præſertim vniuerſali, ceſſat neceſſario effectus. Deinde ratione: Primo, quia cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ ita ſe habent, vt inferior agere non poſſit ſine concurſu ſuperioris, cum eſſentialiter ab ea dependeat in agendo. Quod etiam docuit Ariſtoteles 2. Metaphyſicæ cap. 2. text. 6. in hęc verba: *Quare ſi primum nihil eſt, omnino nulla cauſa eſt.* Sed inferiora corpora eſſentialiter ſubordinantur cæleſtibus, quod vſque adeo verum eſt, vt ſæpe affirmet D. Thomas, eſſe quaſi eorum inſtrumenta, quæ proinde non operantur, niſi mota ab eis: ita enim ſe habet in mundo magno motus cæli reſpectu aliorum, ſicut in paruo (qui eſt homo) ſe habet motus cordis reſpectu aliorum membrorum: ergo non poſſunt quidquá agere, niſi mota à cælo, & ideo ceſſabunt motus om-

nes, actioneſque inferiorum corporum motu cæli ceſſante, quemadmodum ceſſante motu cordis, ceſſant motus omnes aliorum membrorum. Quod expendens, atque confirmans Ariſtoteles, 8. libro Phyſicorum, capitulo 1. text. 1. aſſeruit motum cæleſtem eſſe quaſi vitam cæteris corporibus in natura exiſtentibus, & 1. libro Meteororum, capitulo 2. *Oportere inferiorem mundum continguum, ſeu coniunctum eſſe ſuperioribus lationibus, vt inde vis eius vniuerſa regatur.* Et Plato in Theæteto, *Nihil aliud, inquit, per catenam, quam Solem Homerus intelligit, quia quouſque Solis circuitus præſeruat, omnia tam deorum, quam hominum ſunt, atque ſeruantur.* Alludens ad auream catenam, per quam Homerus octauo Iliados, harum omnium cauſarum nexum explicabat.

Secundo probat Iauellus, quia neceſſarium eſt, omnem motum reduci in aliquod principium immobile; ergo neceſſarium quoque erit, omnem actionem generabilium corporum reduci ad aliam cauſam ingenerabilem: ſed non eſt alia præter corpus cæleſte: ergo ad illud tanquam ad vniuerſalem cauſam reduci debet, ex cuius motu dependere neceſſarium eſt. Minorem probat, quia talis cauſa ingenerabilis non eſt intelligentia creata, quia hæc non poteſt immediate tranſmutare materiam ad formam, neque etiam prima omnium cauſa, nempe Deus, quia prima cauſa non agit per ſe immediate in hæc inferiora, ſed per cauſas medias; ergo erit cælum; tum quia non extat alia; tum etiam, quia cælo dedit virtutem, & motum, quibus mediis in mundo inferiori operetur, cum particularibus cauſis concurrens ad productionem ſuorum effectuum: motu igitur, & concurſu eius ceſſante, neceſſe eſt ſubito ceſſare omnem actionem inferiorum agentium.

Tertiò,

Tertiò,quia mouere aut agere in motum proprium eſt primi agentis, & propterea cæteris repugnat, vt Ariſtoteles 8.lib.Phyſicorum ſæpe repetit & D.Thomas docet 1. part. quæſt. 3.artic.1.ergo inferiora corpora mouere,aut agere nequeunt, niſi mota à primo corpore,non moto ab alio corpore,ſed à ſolo ſpiritu; ſed primum corpus mouet inferiora, per proprium motum ab intelligentia cauſatum;ergo nequeunt habere motum vllum eo ceſſante.Et vrgeri poteſt argumentum,quia poſt diem iudicij,nec motus,nec generationes erunt in inferiori mundo; cuius nulla poteſt alia ratio conueniens aſſignari præter ceſſationem motus cæleſtis.

Poſterior ſententia negat, motus omnes,actiones, & generationes ceſſare mixto cælo; quam ſequuntur Alexander,vt refert D.Thom.2.lib.de cælo lect. 4. ad finem,Scotus in 2.diſt.14.quæſt.3 Richardus diſtin.2. circa tertium principale quæſt.3.Durandus diſtin. 15. quæſt.vltim.Argentina diſt.14.artic.2. Iuxta quam ſit prima aſſertio:corpora ſublunaria in ſuis actionibus, & effectibus producendis, non dependent per ſe, & intrinſece à cæleſtibus,nec ſunt cauſæ eis eſſentialiter ſubordinatæ. Hæc eſt ex mente omnium, quos pro ſententia poſteriori retulimus. Tenet noſter Suarez tomo 5.Metaphyſicæ,diſputatione 2.ſectione 1.num. 10.& placet omnibus fere recentioribus, quamuis contrarium teneant Iauellus 12.Metaphyſicæ, quæſt. 13. Soto 2.lib.Phyſicorum,quæſt. 4.concluſione 1.& in 4.diſt.48.quæſt.2.artic.2.neque ab ea diſſentit Ferrarienſis 4.contra Gentes cap.97.§.Aduertendum tertio. Probatur primo, quia vel inferiores cauſæ ſunt ſufficientes,atque completæ in ſuo ordine particulari,& proximo, vel inſufficientes, quarum defectus à cælo ſuppleatur;ſi hoc poſtremum detur,plane ſequitur

tur quod licèt à cælo dependeant, ſicut vna cauſa partialis ab altera, non tamen ei ſubordinentur: cauſæ enim eſſentialiter ſubordinatæ, quælibet eſt ſufficiens in ſuo genere, licet inferior depẽdeat à ſuperiori. Probatur conſequentia, quia à natura totaliter, ſed partialirer dependebit; ſi vero dicatur primum, ſequitur non indigere auxilio, vel concurſu cælorum, ad producendos proprios effectus, & ideo non ſubordinari eis eſſentialiter: probatur conſequentia, quia non eſt excogitabile, quid eis præſtare valeant quo indigeant.

Et ſi dixeris, ſufficientes quidem eſſe in ſuo ordine, in hoc ſenſu, quod ſufficientem adhibent concurſum, particularem & proximum, ſed eum adhibere non valent niſi cælo cum eis concurrente: neque erit abſolute loquendo ſufficiens concurſus particularis earum, quamuis in ratione particularis ſit ſufficiens, niſi vniuerſalis cælorum accedat. Contra hoc ſic arguo, quia ſi concurſus particularis ſufficiens eſt vt particularis, vel dependet à concurſu cæleſti in eſſe, & conſeruari, vel non: dependere eſt impoſſibile, quia ſi particularis cauſa ſufficiens eſt ad eũ præſtandum: ergo erit ſufficiẽs ad eſſe eius, & ex conſequenti ad conſeruationem, ſuppoſito concurſu primæ cauſæ, à qua certum eſt vtroque modo dependere: quare non apparet vlla neceſſitas dependendi ab influxu cæleſti, vel ei eſſentialiter ſubordinari. Secundo, quia ideo inferiores cauſæ ſubordinantur primæ eſſentialiter, quia non ſolum dependent in ſuo eſſe ab ea, ſed accipiunt omnem virtutem operandi, & omnem concurſum, vt virtus earum actiones, & concurſus fiant, & conſequenter à Deo, ſine cuius influxu nec fieri, nec conſeruari poſſunt. Sed euidens eſt, non ſic dependere à cælo, quia per ſolum concurſum diuinum,

&

Digitized by Google

& proprium ab eo ſimul factum, & conſeruatum conſiſtere poteſt virtus operandi earum, actio, & concurſus ſufficiens in ſuo ordine ad productionem effectus : ergo denegandum omnino eſt, quod eſſentialiter ſubordinentur. Et vrgeri poteſt argumentum hoc modo : ſi particulares cauſæ non acciperent eſſe, virtutem operandi, operationes ipſas, atque concurſus à Deo, & denique conſeruationem horum omnium, ſicut poſſent ſine illo eſſe, & conſeruari, ſic poſſent ſine eo concurſum proprium præſtare, & ex conſequenti effectum producere, qui ab eis ſolum poſſet ſufficienter dependere, & propterea non eſſent tales cauſæ eſſentialiter Deo ſubordinatæ : ſed euidens eſt, nõ accipere à corpore cęleſti propriũ eſſe, & virtutem operandi, & euidentius non fieri à cælo proprium concurſum, & actionem earum, ſed à ſolo Deo accipere eſſe, & virtutem operandi, & ab eodem concurrente cum propriis virtutibus præſtari ſufficienter, atque conſeruari proprium concurſum, propriamque actionem ex ſe ſufficientem ad talem effectum: ergo nec dependent eſſentialiter in proprio eſſe, propriiſque operationibus à cælo, nec ſunt cauſæ eſſentialiter ei ſubordinatæ.

Secunda aſſertio eſt ceſſante motu cæli, non ceſſarent eo ipſo motus inferiorum corporum, nec omnino generationes viuentium, quorũcunque, quia eandẽ prorſus virtutem operandi habent corpora cæleſtia ſine motu, & cum illo, & per motum ſolum acquirunt maiorem approximationem diuerſarum ſuarum partium, ad hæc, vel illa corpora inferiora : ergo ceſſatio motus non poteſt tollere, quin per virtutem agendi in eis permanentem operentur, circa corpora omnia intra ſphæram actiuitatis eiuſdem virtutis contenta, & iuxta menſuram eius imprimere eiſdem pro-

prios

prios effectus. Antecedens probo, quia nihil virtutis effectiuæ in inferiora accipit cælum ab intelligentia mouente: hæc enim, iuxta communem ſententiam D. Thomæ 1. part. quæſt. 10. artic. 2. & 3. nihil poteſt corporibus imprimere præter motum localem, aut etiam impulſum ad illum: per motum autem localem, ſolum poteſt acquiri præſentia, vel nouus præſentiæ modus: ergo eadem ſemper perſeuerat virtus intrinſeca effectiua corporum cæleſtium, maxime cum hęc, vt pote naturalis potentia conueniat corporibus ex propria forma, vt in aliis conſtat. Quod multis exemplis oſtendi poteſt: nam cælo quieſcente non tolleretur, quin Sol illuminaret inferiorem mundum, eumque calefaceret, atque etiam quin Luna humectaret, & moueret mare, & pari ratione per alias virtutes occultas alios effectus produceret, per quos eadem inferiora corpora alteraret.

Secundo probatur, quia magnes etiam localiter immotus ferrum attrahit, & ignis intra ſphæram ſuæ actiuitatis calefacit contenta corpora, ad quos effectus, & motus edendos, cæleſti non indigent, per quem nec augentur virtutes eorum, nec approximantur ad alia corpora, nec videtur excogitabile, quid aliud à motu cæli percipiant, ſine quo eoſdem effectus, ac motus edere non poſſint. Et pari ratione de cæteris virtutibus, etiam vitalibus fatendum eſt: per quas quædam corpora ſibi ſimilia generant, in eiſdem generationibus cauſandi perſeueraturas, cælo quieſcente, cum ex ſe ſint ſufficientes ad tales effectus producendos, nec aliquid per motum cæleſtem accipiāt, à corporibus cæleſtibus, quod ſine motu accipere nequeant. Vrgeri que poteſt argumentum ex his, quæ in bello Ioſue, Iudicum 10. ceſſante motu cæli contigerunt: mouebantur enim homines, & animalia, ſicut

prius;

prius, & id quidem ſine nouo miraculo, nec ex virtute prioris, ſiquidem huius nulla eſt neceſſitas, nec fundamentum; ergo neceſſarium non eſt, motus,& actiones Phyſicas ceſſare,cælo quieſcente.

Probantur tandem, quia inferiora corpora non ſunt eſſentialiter ſubordinata cæleſtibus, vt probauimus,ſed prorſus accidentaliter,quam tum ad aliquem modum exercendi has, vel illas operationes cum tali viciſſitudine, aut varietate, aut etiam, quantum ad diuturnam perſeuerantiam in eis;ergo non dependēt in eis exercendis ſimpliciter ab eis: vel eorum motu. Et vrgeri poteſt: nam operationes minus materiales, vt illuminationes, ſenſationes internæ, atque externæ, operationeſque obiectorum externorum, per quas immutantur ſenſus ſpecieſque in eis producũtur,hiſque ſimiles perſeuerare poſſunt, ac de nouo procedere à ſuis cauſis proximis, motu cæli ceſſante iuxta Diuũ Thomam, & omnes opinantes:ergo non ſubordinantur ei eſſentialiter corpora, à quibus procedunt.Ex quibus efficaciter ſatis probatur,nec in cæteris motibus eſſentialiter ei ſubordinari, cum eſſentialis ſubordinatio communis ſit omnibus, vt patet de ſubordinatione reſpectu primę cauſæ.Quod enim minus ſint materiales iſtæ,nihil refert,ſiquidem intra genus Phyſicum,& materiale continentur, & ſolum dicuntur intentionales motus, & res minus materiales,quia intra genus materialium rerum magis diminutum eſſe habent quod impoſſibile eſt tollere dependentiam, vel ſubordinationem, ſi ſemel ponatur eſſentialis,non eſt igitur talis cenſenda, & propterea neque cenſendum, ceſſaturos motus, vel actiones ſublunarium corporum,cælo quieſcente.

Aſſertio vltima,ceſſante omni influxu cæleſti, adhuc non ceſſarent motus omnes, nec generationes rerum,

rerum,ſed ceſſarent omnes generationes viuentium, & aliorum, quorum vel non datur cauſa particularis inferior per ſe, vel non omnis ſufficiens. Prior pars ſequitur efficaciter ex prima aſſertione, quia ſi inferiores cauſæ non ſubordinantur eſſentialiter cælo, ſequitur, quod ſufficientes ſint ad producendos proprios effectus, neque aliquid eis in proprio ordine cauſandi deficiat,ac proinde,non indigebunt aliquo cæleſti concurſu, ſed cum ſolo concurſu primæ (cui eſſentialiter ſubordinantur) poterunt eos naturaliter producere:Sed adhuc eam probo ſic:Plures ſunt cauſæ inferiores,habentes proportionatam, ac ſufficientem virtutem ad proprios effectus producendos. Vt ignis ſufficiens eſt combuſtionis,& alterius ignis cauſa:ergo præter generalem concurſum Dei, non indiget alio, ad talem actionem, & effectum producendum.Probatur conſequentia,quia ex concurſu primę, ac proximæ cauſæ ſufficientis reſultat vnum integrum concurſum, atque completum, & perfectum, cui nihil deeſſe poteſt ad producendum effectum ſibi ſimilem in ſpecie,neque eſt intelligibile, quid ei præſtare poſſit corpus cæleſte: quare etiam ſi concurſus eius omnino ceſſaret,non ceſſarent tales cauſæ à generatione, vel productione ſuorum effectuum. Probatur deinde poſterior pars;quia generatio viuētium indiget calore Solis, quia ſi non foueatur ſeminalis virtus,non valebit materiam diſponere, neque organizare, & ex conſequenti nec vnionem animæ cum eo attingere; & propterea de humana generatione loquens Ariſtot.2.lib.Phyſicorum cap.2.textu 26.verba illa protulit: *Sol, & homo generant hominem*, quaſi dicat, non poſſe ſolum hominem perficere generationis opus, niſi à Sole adiuuetur,eiuſque calore foueatur,Par eſt ratio de cæteris generationibus viuentium,

tium, immo argumentum à maiori ſatis efficax ex humana generatione deſumitur; probans de eis, quia ſi animal perfectiſſimum, quale eſt homo, habens perfectiorem longe animam, & iuxta perfectionem eius generatiuam potentiam valde perfectiorem, non poteſt ſine concurſu cæleſti hominem ſibi ſimilem generare, longe minus poterunt imperfecta animalia generare ſibi ſimilia, in propria ſpecie: eo igitur ceſſante, ceſſabunt omnes generationes viuentium, eorum præſertim, quæ non habent cauſam particularem, à qua diſponatur materia, & organizetur corpus pro introductione animæ, qualia ſunt, quæ ex putri materia generantur, ad quarum generationem neceſſe eſt, cæleſtia corpora concurrere, materiam diſponendo loco particularis cauſę atque etiam Angelos applicando actiua paſſiuis. An vero introductionem animæ, & vnionem eius cum corpore, ac proinde generationem ſubſtantialem attingant cæleſtia corpora; inferius definietur.

De pluribus etiam aliis generationibus non viuentium eadem ratione conuincitur, cælo non influente, non poſſe naturaliter permanere, vt de generationibus metallorum, in viſceribus terræ, quæ cum non habeant aliam cauſam particularem per ſe, vel certe non ſufficientem, per lucem, & calorem Solis, aliaſque cæleſtes influentias producuntur per ſe. Quare neceſſe eſt, his influentiis penitus ceſſantibus, ceſſare.

Addendum tamen eſt, ceſſante motu cæli, omnique cælorum influxu, paulatim, ac poſt breue tempus, ceſſarent quæcumque actiones, generationes, & motus inferiorum corporum, quia omnia corpora mixta corrumperentur, & eſſe deſinerent, maxima-

que ex parte in elementa abirent: nam ſi Sol, dum mouetur, tam intenſum producit calorem in mundo inferiori, quanto magis intenſum produceret, in eadem diſpoſitione perſeuerans, ceſſante motu; quare temperamentum mixtorum deſtrueret, ipſaque diſſiparet, & maxima ex parte in ignem conuerteret: ex oppoſito vero, partes inferioris mundi, quas ſine motu non poſſet attingere, conuenienti calore deſtituerentur, & præ nimio frigore, & humore deficerent à proprio, ac naturali temperamento, & ita deſtruerentur, & in aquam, vel terram abirent; & propter hæc merito vocatur motus cæli quaſi horum inferiorum vita, & conſeruatio, quia ad temperandos cæleſtes influxus, diſpertiendoſque, pro cuiuſque corporis inferioris natura, atque indigentia, vt ita poſſint ſingula, atque etiam collectio omnium, ex quibus integratur ſuo modo vniuerſum, conſiſtere, & in ſua naturali diſpoſitione conſeruari, neceſſarius eſt, vt in principio huius controuerſiæ, ex communi omnium Philoſophorum conſenſu ſtatuimus.

Ad teſtimonia Ariſtotelis, adducta pro priori ſententia, reſpondemus, motum cæli eſſe primum omnium, illud vero, quod dicitur primum in vnoquoque genere eſſe cæterorum cauſam, verum eſt, ſi ſit primum in aliquo genere cauſalitatis, tunc enim neceſſe eſt, cæterorũ omnium illius generis eſſe cauſam; quod ſi ſolum ſit perfectione primum, non eſt cauſa cæterorum, ſed menſura, ita vt quod magis alia illius generis ad ipſum accedũt, maioris ſint perfectionis. Motus autem cæli non eſt primus in aliquo genere cauſalitatis, immo nec alterius motus cauſa eſt; neque efficiens, neque finalis, nec exemplaris, ſed ſolum eſt perfectione primus ſicut homo in genere animalis: quare non ſequitur eſſe aliorum motuum cauſam, ſicut

cut neque hominem aliorum animalium, & propterea non ſequitur, quòd eo ceſſante, ceſſarent neceſſario cæteri motus.

Ad primam rationem, conceſſa maiori, neganda eſt minor abſolute, quod inferiora corpora ſubordinentur neceſſario cæleſtibus: quadam tamen ratione, & modo limitato, & à nobis expoſito, ad certas quaſdam generationes, & motus, ac viciſſitudinem earum ſubordinantur naturaliter cælo, & ideo hac ſola ratione, & modo ab eo dependent, & ex conſequenti, motu eius ceſſante, ceſſabunt, naturaliter, non ſimpliciter, & abſolute loquendo. Teſtimonium vero Ariſtotelis in eodem argumento oppoſitum ſolum intelligitur de cauſis eſſentialiter ſubordinatis, quales ſunt omnes ſecundæ reſpectu primæ, cuius concurſu ceſſante, ceſſabunt neceſſario motus omnes, & actiones earum.

Quod vero additur de motu cordis non eſt omnino ſimile; nec enim tam ſtricta eſt dependentia operationum aliquorum inferiorum à motu cæli, ac motuum aliorum membrorum à motu cordis, licet quoad aliquas, & omnium viciſſitudinem, par eſt ratio, vt explicatum eſt in aſſertionibus.

Ad ſecundum argumentum Iauelli, conceſſo toto primo enrhymemate, negãda eſt minor, quod non ſit alia cauſa ingenerabilis, ad quam reduci debeant actiones generationum, præter corpus cæleſte: eſt enim prima, nempe Deus, & cum addit, primam cauſam nó agere per ſe immediate cum primis proximis particularibus, & mediatis, ſed medio corpore cæleſti, negandum eſt, ſed ab ea, & particularibus ſufficienter producitur effectus, abſque vlla neceſſitate cæleſtis influxus, ſi proximæ cauſæ ſint ſufficientes:

quod ſi aliquid eis deficiat in ſuo ordine, indigent plane cæleſti concurſu id ſupplente, ex quo nulla ſubordinatio eſſentialis colligitur, ſed ſolum, quod per modum partialis cauſæ proximæ in his caſibus concurrant, cum particularibus, & proximis, vt ſatis explicatum iam eſt à nobis.

Ad tertium diſtinguendum eſt antecedens, quod mouere in motum ſit proprium primi agentis: nam mouere in motum actu, & potentia, hoc eſt, ita vt nec ab alio moueatur, nec moueri poſſit, ſoli primo agenti conuenit, cæteris vero ſolum poteſt conuenire, quod moueat non mota actu, eodem genere motus, quo pacto conuenit intelligentiæ mouenti cælum, & cælo alteranti per influentias inferiora corpora, & multis luminoſis illuminare alia; quare non ſequitur ex illo principio, quod nullum corpus inferioris mundi moueri, vel mouere poſſit niſi motum à cęlo, & ex conſequenti, neque talem motum actiuum, neque paſſiuum, ceſſare neceſſario, cælo quieſcente. Quod vero additur de diſpoſitione inferioris mundi, poſt diem iudicij nihil probat, quia licet viciſſitudo generationũ ceſſatura ſit, & cætera, de quibus à motũ cæli; ac naturaliter pendere admiſimus: multa vero alia, quæ ab eo dependere negauimus, ceſſabunt quidem, non propter ceſſationem cæleſtis motus, ſed per ſuſpenſionem diuini concurſus.

TRACTATVS SECVNDVS.

De effectibus cæleſtis influxus.

VArij ſunt effectus, quos cæleſtes influentias in inferiori mundo experimur edere: eos vero breuitatis ſtudio ad quatuor genera referre placet, ac de ſingulis propriam controuerſiam proponere, atque

diſcu

diſcutere. Primum effectum (ab imperfectioribus rem inchoando) conſtituunt corpora vitæ expertia, vt metalla, & pleraque alia, & ex euidentibus calor, cum cæteris primis qualitatibus, & ex ſecundis nonnullæ; ſecundum, viuentia corpora infimæ ſortis, vtpote, quæ non ex ſemine, ſed ex putri materia generantur, vt mures: tertium, perfectiora viuentia ex ſemine producta, qualia ſunt, perfectio organorum apparatu diſtincta, vt equus, vel leo: quartum, ea, quæ nullam habentes particularem cauſam per ſe caſu produci cenſentur, & ad hæc quatuor genera aliquo modo cæleſtia corpora concurrere dicuntur. Præter hæc ſupereſt quintum, atque poſtremum, idque cæteris excellentius, quem liberum vocamus, quia à ſolo libero arbitrio, ſeu libera voluntate tanquam à propria, proximaque cauſa elicitur, de quo duo à nobis ſunt maxima breuitate diſputanda, videlicet, an illud ſua cauſalitate, attingant corpora cæleſtia; præterea, an ex ſyderum obſeruatione poſſit certo ab his, qui aſtrorum ſcientia pollent, prænunciari futurum. His igitur ſex controuerſiis eodem ordine diſcutiendis perficietur tractatus præſens.

QVÆSTIO I.

An cæleſtia corpora ſuo influxu producant metalla, & cætera corpora vitæ expertia, quæ non habent aliam cauſam particularem, ac ſufficientem.

INter eos, qui de metallorum generatione diſſerunt, præcipui ſunt Plat. in Timæo, Ariſtotel. 3.

lib. Metheororum, c. vlt. Plin. libr. 33. & 34. naturalis hiſtoriæ. Georgius Aricola in libro de ortu, & cauſa ſubterraneorum. Albertus Magnus in ſuo opere de mineralibus.

Et de locis quidem, in quibus generantur, ſubſcribunt omnes Ariſtoteli ibidem docenti, in ſinu terræ produci, quod tanquam in loco præcipuo debet intelligi. Nam in aquis, atque etiam in aere aliquando produci conſtat, non ſolum cætera mixta vitæ expertia, ſed etiam metalla.

Ex qua vero materia proxima examinandum eſt; Agricola putat ex aqua terræ admixta tanquam ex proxima materia generati; tum quia duo hæc in metallorum matricibus apparent; tum etiam, quia metalli pondus indicat plane naturam terream, liquatio vero, ac fluxus naturam aqueam. Ariſtoteles vero eodem capite citato putat, metallorum materiam proximam eſſe vaporem humidum intra terræ viſcera lapidibus potiſſimum incluſum, & ob terræ, lapidumque ſiccitatem, ac frigus coagulatum: ita vt ſicut ros, & pruina ex vaporibus eleuatis à terra, & aeris circunſtantis frigiditate condenſatis fiunt: modo ſimili metalla ex vapore nondum à terra eleuato, ſed adhuc in ſinu eius degente, & frigiditate, idem docet Albertus ſupra. Quod in primis rationi conſentaneũ eſt, vt eadem ſit materia eorum, quæ per eleuationem à terra fiunt, & quæ intra ipſam adhuc retenta generantur. Deinde, quia experientia conſtat, ex vaporibus, atque exhalationibus, à terra aſcendentibus, ferrum, & æs aliquando generari: quod in Perſide contigiſſe referunt viri grauiſſimi, & in Valentia Hiſpaniarum Regno decidiſſe aliquando è nubibus maſſam lapideam metallicis venis infectam. Hos igitur vapores metallorum materiam fore exiſtimandum

eſt,

eſt, ſicut aliorum mixtorum imperfectorum in aere productorum. Si igitur vapor, & exhalatio ſic poſſunt in aere addenſari, vt in metallum tráſeat, facilius multo id poterit in ſinu terræ fieri: nam in aere ſolus motus, per quem feruntur, ſufficit ea diſſipare, efficereque, vt nec addéſentur, nec ſolidentur, quod apprimè neceſſarium foret, vt in metallum verterentur. Albertus probat, quià dum liquefiunt metalla, in ſimilem vaporem reſoluuntur.

Hæc autem ſententia ita attemperanda eſt, vt non intelligatur Ariſtoteles conſtituere, vaporem ſolum materiam metallorum, ſed quaſi fumum aliquem, vel halitum ex vapore, & exhalatione conſtantem, in quo prædominetur humiditas vaporis, ideoque eodem illo capite metheororum citato aſſerit, metalla partim eſſe aquam, & partim non aquam; aquam quidem prout coaleſcunt ex vapore, qui eſt aqueæ naturæ; non aquam vero, prout exhalatione terrea ſiccæ naturæ conſtát. Huius autem permixtionis vaporis & exhalationis ad proximam metallorum materiam conſtituédá à poſteriori probatur, ex eo quod metalla igniuntur, & liqueſcunt: igniuntur enim propter ſicá exhalatíonem, liqueſcunt vero propter vaporem humidum, qui cum aqueus ſit, ſicut exhalatio terrea, participant metalla naturam vtriuſque elementi aquæ, & terræ, ex quo accipiunt grauitatem, & non ex eo, quod ex vtroque elemento, tanquam ex proxima materia generentur, quamuis aqua, & terra in venis metallicis reperiantur, à quibus vapor, & exhalatio procedunt, quæ proxima materia eorum intelliguntur, remota vero elementa ipſa, & in hoc ſenſu vera eſt ſententia Agricolæ in alio vero falſa.

Circa cauſam vero efficientem metallorum, ſunt qui negent, metalla de nouo fieri, putantes nullam

dari ſufficiẽtem cauſam eorum in tota natura rerum, nec eſſe neceſſariam, quia non fiunt de nouo, ſed à Deo fuerunt condita in prima creatione mundi: quod videtur ratione conſonum, quia ſicut terram Deus condidit, in qua veriſimile eſt, condidiſſe lapides, pari ratione metalla, quæ velut lapides quidam ſunt in terra reperti, & id quidem ad maximam perfectionem terræ, & inferioris mundi pertinebat, quod eum quaſi prædiuitem, & opulentum conderet, metallorum ornatum egregium in ſua conditione ei tribuens, ſicu tribuiſſe conſtat terræ, ac toti mundo herbarum, arborumque pulchritudinem, & aquæ piſcium varietatem: veritas nihilominus huius rei vtrumque precitetur, videlicet, magnam metallorum copiam in terræ ſinu conditam eſſe à Deo, & progreſſu temporis augeri acceſſione aliorum, quæ de nouo gignuntur. Cuius hæc eſt ſatis pulchra ratio, quia ſicut Deus primas arborum, animaliumque ſpecies, à principio cõdidit, tribuens eis virtutem alias ſibi ſimiles producendi: ita fuit conueniens, vt à principio conderet ipſe metalla, non tamen omnia, ſed naturalibus cauſis vim conferret gignendi alia eiſdem ſimilia, qua virtute nobilitarentur, & quaſi illuſtriores fierent. Quod experientia conuinci poteſt, quia conſtat metalla in principio condita tempore procedenti augeri in mineralibus, immo in nubibus, & aere de nouo fieri, vt ſuperius oſtendimus. Conſtat etiam, margaritas, & pretioſos alios lapides in mari, ac terræ gremio paulatim effor[illegible] in dies vſque ad ſtatum perfectum increſcere. [illegible] cauſam [illegible] effectricem metallorum de nouo [illegible] ere oportet.

[illegible] a cœleſtia, his argumentis oſten- [illegible] ſa (præſertim principalis) alicuius [illegible] continere formaliter (ſi vniuoca ſit

ſit)vel eminenter(ſi ſit æquiuoca)ſed corpora cæleſtia neque vno,neque alio modo continent metalla, vel alia mixta eiuſdem conditionis, ergo non poſſunt ea producere. Euidens eſt minor de continentia formali,quia corpora cæleſtia alterius ſunt conditionis, & ſpeciei à metallis,cauſa vero vniuoca eiuſdem ſpeciei eſſe debet cũ effectu;ſed probatur,quod nec eminenter ea contineant,nã quod eminenter continet aliud, debet habere gradum eſſendi ſuperioris ordinis, vt anima rationalis non contineret ſenſitiuã, & vegetatiuam:niſi haberet eſſe alterius ordinis, nempe ſpirituale independens à materia,ſed cæleſtia corpora habent eundem gradum, ac modum eſſendi cum metallis,& aliis mixtis corporibus, cum ſint materialia,& quorum formæ eductæ fuerunt de potentia materiæ, à qua dependent in eſſe,in fieri,& in conſeruari; non ſecus ac formæ metallorum,vt in noſtris commentariis phyſicis oſtendimus: ergo nequeunt ea continere eminenter,nec producere tanquam cauſa æquiuoca.

Secundo, quia metalla,vt plurimum gignuntur in terræ ſinu,quo non poteſt influxus cæleſtis pertingere; ergo nec poteſt ea generare. Antecedens probo, quia vel cælum attingit ſubterraneum locum per ſe, vel per propriam virtutem,ſiue (quod aiunt) immediatione virtutis,vel ſuppoſiti;non modo priori, cum conſtet per proprium ſuppoſitum illuc non peruenire, nec naturaliter poſſe; ſed nec per virtutem propriam, quia cælum præcipue agit per lucem, quam conſtat non poſſe tam magnam molem terræ, & corpus adeo opacum permeare, vt illuc poſſit pertingere,quod ſi lux non poteſt, multo minus poterit quæcunque alia virtus, ſeu influentia aſtrorum, cum ſit illa harum omnium perfectiſſima,& cum materia-

les ſint omnes, non eſt minus impoſſibile, cæteras penetrare totam terræ molem, quam lucem. Quod hoc modo vrgeri poteſt; non poteſt naturale agens circa extremum corpus à ſe remotum agere, niſi agendo in medium (vt 2. lib. phyſicorum oſtendimus) ſed nulla virtus cæleſtis poteſt agere in totam molem terrę intermediam: ergo nec in partes ſubterraneas, ac centro vicinas, circa quas gignuntur metalla. Probo iterum minorem, quia ſi in totum medium ageret, aliquem effectum produceret, quod patet eſſe impoſſibile, cum conſtet non producere eundem effectum, quia non gignuntur metalla in toto medio terræ, nec eſt excogitabilis effectus alter, quem per totum medium imprimat, ergo ſine fundamento adſcriberetur cælo effectus metallorum in ſubterraneis locis productus.

His tamen non obſtantibus, teneo cum communi, ſententia Scholæ, corpora cæleſtia eſſe cauſam effectricem metallorum, & aliorum mixtorum metheorologicorum, quæ in ſinu terræ, atque etiam in nubibus, & aere generantur. Sic in primis ſentiunt antiquiores à principio huius controuerſiæ citati: ſic tandem recentiores omnes, præſertim Patres Conimbricenſes tractatu 13. cap. 2. in libr. Metheororum: quam ſententiam ego intelligo de cauſa particulari, principali, & per ſe proxima, & totali: & ſic probo primo, quia corpora cæleſtia habent virtutem producendi omnes primas qualitates, nempe, calorem, & ſiccitatem, quas à Sole produci præcipue videmus per lucem, immo etiam ab aliis aſtris, à quibus producuntur etiam humiditas, & frigiditas, nam Lunam experimur humectare inferiora corpora: ergo poſſunt per has qualitates diſponere materiam, quam ſua etiam virtute extrahunt ab elementis, vt humidos, & frigidos

vapores,

vapores, & exhalationes ſiccas à terra, & aqua, quibus mediis qualitatibus eandem materiam extractam addenſare poſſunt, & ita eam diſponendo formam metallorum, & aliorum mixtorum educere de potentia eius, eamque in eadem materia ſic diſpoſita inducere, integrumque ſubſtantiale compoſitum mixtum generare. Probatur tota hæc conſecutio, quia cæleſtia corpora iuxta communem ſententiam Scholæ, longe perfectiora ſunt cunctis inferioribus vitæ expertibus, vt excellentiores effectus ab eis emanantes oſtendunt: ergo ſicut omnes primas qualitates, atque etiam ſecundas, pro diſpoſitione materiæ neceſſarias ac ſufficientes continent, ſic neceſſe eſt, ſubſtantiales formas, ad quas educendas, atque inducendas in eadem materia ordinantur, & quæ tales diſpoſitiones naturaliter conſequuntur, ſua eminenti virtute contineri, eaſque tanquam præcipuas cauſas, & immediatas inducere, & compoſita, quæ ex eis coaleſcunt; vnde ſequitur ſine vllo fundamento denegare eis talem cauſalitatem.

Secundo, quia nullum elementum, neque omnia ſimul ſumpta habent virtutem producendi metalla, & alia mixta, de quibus agimus, neque vlla alia corpora: ergo neceſſe eſt, aliquam aliam cauſam per ſe, ac particularẽ, & immediatam eorũ deſignare. Probatur conſequentia, quia in his, quæ ſecũdum ordinẽ naturaliũ rerũ quotidie producuntur de nouo, non eſt recurrendũ ad primam cauſam, ſed intelligẽdum plane, ad prouidentiam infinitã eius pertinuiſſe, particulares, cauſasq́; naturales ordinaſſe ad eorũ productionẽ, ſicut ordinauit ad productionẽ aliorum effectuum, ſecũdũ communem naturæ curſum producendorum. Antecedens probatur, quia mixta hæc longe perfectiora ſunt elementis, vt ex formis, & proprietatibus, ac ac-

cidentibus

cidentibus eorum fit manifeſtum.Et vrgeo argumentum hoc modo: Quodlibet elementum, dum congreditur cum cæteris,vel cum aliquo eorum, ſolum poteſt per ſe intendere, illud in ſe conuertere: nam qualitates,per quas operatur, ſolum intendunt per ſe, immo ſolum poſſunt per ſe inducere in elementum contrarium alias ſibi ſimiles pro ſola forma ſubſtantiali eiuſdem elementi diſponentes materiam:ergo ſi ex tali congreſſu elementorum, vel vnius cum altero ſequatur productio alicuius mixti (vt ſolet) per accidens, ac præter eorum intentum ſequitur, ſolum igitur poſſunt tanquam cauſæ per accidens attingere productionem eius,& propterea neceſſe eſt,adhuc in caſu iſto aliam cauſam particularem per ſe deſignare, & cum nulla alia reperiatur in mundo inferiori,& ex alia parte virtus cæleſtium corporum ſufficiens ſit ad ea producenda, neceſſe eſt concedere, quod ab eis, tanquam à cauſa particulari; & proxima, vel modum particularis, & proximæ habente producatur. Et ſi dixeris produci quidem ab eis, non tamen vt cauſa per ſe,ſed per accidens,ſicut ab elemẽtis produci admittimus: nam ſic videtur ſequi productio horum mixtorum per accidens, reſpectu cælorum, ſicut reſpectu elementorum,cum prẹter intentionem eorum ſequantur, ſicut ſequi dicimus,præter intentionẽ elementorum.Reſpondeo,diſparem eſſe rationẽ,& ratio diſcriminis egregia ſatis eſt,quia natura elemẽtorũ,ac ſubſtãtiales formæ eorũ particulares ſunt,& quæ ſolũ poſſunt ſibi ſimiles producere, vt vniuoca cauſa, vt ignis ignem,aqua aquam; quare ſolum poſſunt tales effectus per ſe intendere,& quidquid aliud reſultat ex eorum actionibus,præter intentionem eorum, ſequitur,cuius propterea non poſſunt eſſe cauſa per ſe, ſed per accidens,& horum ratio à poſteriori eſt,quia for-

mæ

mæ eorum ſubſtantiales,præter alias ſibi ſimiles,nihil aliud continent,nec ideo per ſe intendere, vel per ſe producere valent. At cæleſtia corpora eminentiora ſunt ratione formarum ſubſtantialium, & inferiora hæc corpora vitę expertia eminenter continent,quare ad productionem eorum per ſe ordinantur à natura, poſſunt igitur per ſe intendere productionem eorum, per ſe diſponere materiam pro inductione formarum,per ſe eas à materia educere,& compoſita per ſe generare:falſum igitur eſt,quod aſſumitur, videlicet,præter intentionem,& per accidens, ſequi metallorum, & aliorum mixtorum generationem reſpectu corporum cæleſtium,ſicut præter intentionem,& per accidens ſequitur reſpectu elementorum.

Argumenta vero in fauorem oppoſitæ ſententiæ præfacta ſic diſſoluenda ſunt. Primum quidem, conceſſa maiori,& minori negata, videlicet cæleſtia corpora non continere eminenter metallorum, & aliorum mixtorum formas ſubſtantiales: & cum dicitur non poſſe vnum continere aliud eminenter niſi habeat gradum eſſendi ſuperioris ordinis diſtinguẽdum eſt:nam ſi per hunc gradum intelligatur extra idem genus,vel prædicamentum eius, falſum eſt; nam lux continet eminenter calorem,& non habet gradum eſſendi extra genus,vel prædicamentum eius,ſed in eodem prædicamento qualitatis collocatur; & fortaſſe intra idem genus eiuſdem prædicamenti. Si vero per gradum eſſendi ſuperioris ordinis intelligatur, ſpecificus ſaltem maioris,vel ſuperioris perfectionis eſſentialis(abſque dubio)eſt neceſſarium,atque ſufficiẽs,vt in eodem exemplo lucis oſtenditur, atque etiam in anima ſenſitiua cuiuſlibet ſpeciei animalis continente vegetatiuam, quamuis ſub eodem genere viuentis cum ea conſtituatur.Et ſatis eſt ratione cõſentaneum,

vt

vt id, quod habet ſuperiorem gradum, maioris, ac diſtinctæ perfectionis eſſentialis reſpectu alterius, ſua virtute contineat perfectionem eius, tanquam inferioris, in quo ſi concurrant requiſita omnia ad veram cauſalitatem eiuſdem inferioris, poterit illud producere; cum ergo cæleſtia corpora reſpectu inferiorum habeant altiorem gradum eſſendi, ſpecie diſtinctum ſub genere corporis, vt pote ex propria natura incorruptibilia, & ex alia parte requiſita omnia ad veram cauſalitatem, & productionem eorum, vt probabimus, non eſt eis deneganda dignitas propriæ, ac principalis cauſæ reſpectu eorum.

Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quod non poſſit virtus corporum cæleſtiũ pertingere ad ſubterranea loca, in quibus metalla generantur, nam lux Solis ad aliquam diſtantiam pertingere poteſt, & ab illa extendere propriam actionem per totam ſphæram actiuitatis ſuæ, quæ ſatis eſt magna, cum ſit ipſa magnæ actiuitatis. Per hanc igitur actionem producit calorem in tota ſphera, per quem vapores, atque exhalationes extrahit à terra, & aqua (nam & aquam totam penetrare poteſt, propter eius tranſparentiam) & mediis eorũ qualitatibus, nempe, frigore, & humiditate, ac ſiccitate addenſare eos poteſt, & in metalla cõuertere, quam conuerſionem non parum iuuant Luna, cæteraque aſtra, in primis per lucem, ſed præcipue per occultas virtutes (quas influentias vocant) & quas habere ad effectus ſatis mirabiles, ſuperius probauimus. Has autem influentias minus ſenſibiles eſſe, minusque materiales quàm lux, in aperto eſt, cum non percipiantur per ſenſus, quare nec determinantur ad corpora diaphana, tanquam ad ſubiecta propria, ſicut lux (quæ ideo opaca non poteſt permeare) ſed opaca etiam peruadere poſſunt: ita quidem,

vt

vt in toto medio aliquem etiam occultum effectum producant (ſi eorum per quos generationem metallorum attingunt, capacia non ſunt) ſi vero capacitate polleant, eundem. Quamuis autem effectus iſti occulti ſint, ſicut virtutes ipſæ, per quas cauſantur, ſatis tamen efficaciter probantur tam ipſi quam virtutes, per alios effectus non minus certos, quam occultos, ſicut virtus magnetis, & effectus eius, atque etiam virtutes, & effectus aliorum lapidum. Et ecce tibi modum, quo cæleſtia corpora per virtutes proprias attingere poſſunt generationem metallorum, quantumuis in profundiſſimis terræ ſinibus, vel aquæ locis generentur: ſic ſolutum eſt argumentum, atque confirmatio eius. Non enim probatur impoſſibilis diuerſitas effectuum, in diuerſis corporibus extremis, & intermediis, iuxta diuerſam naturam, & capacitatem eorum, quamuis non omnes ſubiiciantur ſenſibus, neque eos proinde ſenſibili modo percipiamus; ſatis eſt enim, alios ſenſibiles percipere, ex quibus illos produci colligitur efficaci ratione: nam licet corpora cæleſtia intermedia, inter Solem, & aerem non videamus, experimur tamen aerem illuminare per lucem, & media luce eum calefacere: & quamuis intelligamus in corporibus intermediis non producere calorem, cenſemus producere neceſſario lucem, ea ratione ducti, quia agens naturale non poteſt agere in paſſum remotum, quin eundem effectum, vel alterum ſua virtute producat in medium, nam ſi nihil in medium produceret, non poſſet virtus eius peruenire ad extremum, nec proinde circa illud agere, præcipuumque effectum ei imprimere.

QVÆ

dari ſufficiétem cauſam eorum in tota natura rerum, nec eſſe neceſſariam, quia non fiunt de nouo, ſed à Deo fuerunt condita in prima creatione mundi: quod videtur ratione conſonum, quia ſicut terram Deus condidit, in qua veriſimile eſt, condidiſſe lapides, pari ratione metalla, quæ velut lapides quidam ſunt in terra reperti, & id quidem ad maximam perfectionem terræ, & inferioris mundi pertinebat, quod eum quaſi prædiuitem, & opulentum conderet, metallorum ornatum egregium in ſua conditione ei tribuens, ſicut tribuiſſe conſtat terræ, ac toti mundo herbarum, arborumque pulchritudinem, & aquæ piſcium varietatem: veritas nihilominus huius rei vtrumque pro[illegible]tetur, videlicet, magnam metallorum copiam in terræ ſinu conditam eſſe à Deo, & progreſſu temporis augeri acceſſione aliorum, quæ de nouo gignuntur. Cuius hæc eſt ſatis pulchra ratio, quia ſicut Deus primas arborum, animaliumque ſpecies, à principio cōdidit, tribuens eis virtutem alias ſibi ſimiles producendi: ita fuit conueniens, vt à principio conderet ipſe metalla, non tamen omnia, ſed naturalibus cauſis vim conferret gignendi alia eiſdem ſimilia, qua virtute nobilitarentur, & quaſi illuſtriores fierent. Quod experientia conuinci poteſt, quia conſtat metalla in principio condita tempore procedenti augeri in mineralibus, immo in nubibus, & aere de nouo fieri, vt ſuperius oſtendimus. Conſtat etiam, margaritas, & pretioſos alios lapides in mari, ac terræ gremio paulatim efformari, & in dies vſque ad ſtatum perfectum increſcere: cauſam igitur effectricem metallorum de nouo productorum quærere oportet.

Quā nō eſſe corpora cęleſtia, his argumentis oſtendo: primo, quia cauſa (pręſertim principalis) alicuius effectus debet eum continere formaliter (ſi vniuoca ſit

ſit)vel eminenter(ſi ſit æquiuoca)ſed corpora cæleſtia neque vno,neque alio modo continent metalla, vel alia mixta eiuſdem conditionis, ergo non poſſunt ea producere. Euidens eſt minor de continentia formali,quia corpora cæleſtia alterius ſunt conditionis, & ſpeciei à metallis,cauſa vero vniuoca eiuſdem ſpeciei eſſe debet cũ effectu;ſed probatur,quod nec eminenter ea contineant,nã quod eminenter continet aliud, debet habere gradum eſſendi ſuperioris ordinis, vt anima rationalis non contineret ſenſitiuã, & vegetatiuam:niſi haberet eſſe alterius ordinis, nempe ſpirituale independens à materia,ſed cæleſtia corpora habent eundem gradum, ac modum eſſendi cum metallis,& aliis mixtis corporibus, cum ſint materialia,& quorum formæ eductæ fuerunt de potentia materiæ, à qua dependent in eſſe,in fieri,& in conſeruari; non ſecus ac formæ metallorum,vt in noſtris commentariis phyſicis oſtendimus: ergo nequeunt ea continere eminenter,nec producere tanquam cauſa æquiuoca.

Secundo, quia metalla,vt plurimum gignuntur in terræ ſinu,quo non poteſt influxus cæleſtis pertingere; ergo nec poteſt ea generare. Antecedens probo, quia vel cælum attingit ſubterraneum locum per ſe, vel per propriam virtutem,ſiue (quod aiunt) immediatione virtutis,vel ſuppoſiti;non modo priori, cum cõſtet per proprium ſuppoſitum illuc non peruenire, nec naturaliter poſſe; ſed nec per virtutem propriam, quia cælum præcipue agit per lucem, quam conſtat non poſſe tam magnam molem terræ, & corpus adeo opacum permeare, vt illuc poſſit pertingere,quod ſi lux non poteſt, multo minus poterit quæcunque alia virtus, ſeu influentia aſtrorum, cum ſit illa harum omnium perfectiſſima,& cum materia-

les ſint omnes,non eſt minus impoſſibile,cæteras penetrare totam terræ molem,quam lucem. Quod hoc modo vrgeri poteſt; non poteſt naturale agens circa extremum corpus à ſe remotum agere,niſi agendo in medium(vt 2. lib. phyſicorum oſtendimus) ſed nulla virtus cæleſtis poteſt agere in totam molem terrę intermediam:ergo nec in partes ſubterraneas,ac centro vicinas,circa quas gignuntur metalla. Probo iterum minorem, quia ſi in totum medium ageret, aliquem effectum produceret,quod patet eſſe impoſſibile,cum conſtet non producere eundem effectum, quia non gignuntur metalla in toto medio terræ, nec eſt excogitabilis effectus alter, quem per totum medium imprimat,ergo ſine fundamento adſcriberetur cælo effectus metallorum in ſubterraneis locis productus.

His tamen non obſtantibus,teneo cum communi, ſententia Scholæ, corpora cæleſtia eſſe cauſam effectricem metallorum, & aliorum mixtorum metheorologicorum,quæ in ſinu terræ, atque etiam in nubibus,& aere generantur. Sic in primis ſentiunt antiquiores à principio huius controuerſiæ citati:ſic tandem recentiores omnes,præſertim Patres Conimbricenſes tractatu 13.cap.2.in libr. Metheororum:quam ſententiam ego intelligo de cauſa particulari, principali,& per ſe proxima, & totali: & ſic probo primo, quia corpora cæleſtia habent virtutem producendi omnes primas qualitates, nempe, calorem, & ſiccitatem,quas à Sole produci præcipue videmus per lucem,immo etiam ab aliis aſtris,à quibus producuntur etiam humiditas,& frigiditas,nam Lunam experimur humectare inferiora corpora : ergo poſſunt per has qualitates diſponere materiam, quam ſua etiam virtute extrahunt ab elementis,vt humidos, & frigidos vapores,

vapores, & exhalationes ſiccas à terra, & aqua, quibus mediis qualitatibus eandem materiam extractam addenſare poſſunt,& ita eam diſponendo formam metallorum, & aliorum mixtorum educere de potentia eius, eamque in eadem materia ſic diſpoſita inducere,integrumque ſubſtantialecompoſitum mixtum generare. Probatur tota hæc conſecutio,quia cæleſtia corpora iuxta communem ſententiam Scholæ, longe perfectiora ſunt cunctis inferioribus vitæ expertibus, vt excellentiores effectus ab eis emanantes oſtendunt:ergo ſicut omnes primas qualitates, atque etiam ſecundas, pro diſpoſitione materiæ neceſſarias ac ſufficientes continent,ſic neceſſe eſt,ſubſtantiales formas,ad quas educendas, atque inducendas in eadem materia ordinantur, & quæ tales diſpoſitiones naturaliter conſequuntur, ſua eminenti virtute contineri,eaſque tanquam præcipuas cauſas,& immediatas inducere,& compoſita,quæ ex eis coaleſcunt;vnde ſequitur ſine vllo fundamento denegare eis talem cauſalitatem.

Secundo, quia nullum elementum, neque omnia ſimul ſumpta habent virtutem producendi metalla, & alia mixta, de quibus agimus, neque vlla alia corpora:ergo neceſſe eſt,aliquam aliam cauſam per ſe,ac particularē, & immediatam eorū deſignare. Probatur conſequentia, quia in his,quæ ſecūdum ordinē naturaliū rerū quotidie producuntur de nouo, non eſt recurrendū ad primam cauſam,ſed intelligēdum plane, ad prouidentiam infinitā eius pertinuiſſe,particulares cauſas naturales ordinaſſe ad eorū productionē,ſicut ordinauit ad productionē aliorum effectuum, ſecūdū communem naturæ curſum producendorum. Antecedens probatur, quia mixta hæc longe perfectiora ſunt elementis,vt ex formis,& proprietatibus, ac accidentibus

cidentibus eorum fit manifeſtum. Et vrgeo argumentum hoc modo: Quodlibet elementum, dum congreditur cum cæteris, vel cum aliquo eorum, ſolum poteſt per ſe intendere, illud in ſe conuertere: nam qualitates, per quas operatur, ſolum intendunt per ſe, immo ſolum poſſunt per ſe inducere in elementum contrarium alias ſibi ſimiles pro ſola forma ſubſtantiali eiuſdem elementi diſponentes materiam: ergo ſi ex tali congreſſu elementorum, vel vnius cum altero ſequatur productio alicuius mixti (vt ſolet) per accidens, ac præter eorum intentum ſequitur, ſolum igitur poſſunt tanquam cauſæ per accidens attingere productionem eius, & propterea neceſſe eſt, adhuc in caſu iſto aliam cauſam particularem per ſe deſignare, & cum nulla alia reperiatur in mundo inferiori, & ex alia parte virtus cæleſtium corporum ſufficiens ſit ad ea producenda, neceſſe eſt concedere, quod ab eis, tanquam à cauſa particulari; & proxima, vel modum particularis, & proximæ habente producatur. Et ſi dixeris produci quidem ab eis, non tamen vt cauſa per ſe, ſed per accidens, ſicut ab elemẽtis produci admittimus: nam ſic videtur ſequi productio horum mixtorum per accidens, reſpectu cælorum, ſicut reſpectu elementorum, cum prçter intentionem eorum ſequantur, ſicut ſequi dicimus, præter intentionẽ elementorum. Reſpondeo, diſparem eſſe rationẽ, & ratio diſcriminis egregia ſatis eſt, quia natura elemẽtorũ, ac ſubſtãtiales formæ eorũ particulares ſunt, & quæ ſolũ poſſunt ſibi ſimiles producere, vt vniuoca cauſa, vt ignis ignem, aqua aquam; quare ſolum poſſunt tales effectus per ſe intendere, & quidquid aliud reſultat ex eorum actionibus, præter intentionem eorum, ſequitur, cuius propterea non poſſunt eſſe cauſa per ſe, ſed per accidens, & horum ratio à poſteriori eſt, quia for-

mæ eorum ſubſtantiales,præter alias ſibi ſimiles,nihil aliud continent,nec ideo per ſe intendere, vel per ſe producere valent. At cæleſtia corpora eminentiora ſunt ratione formarum ſubſtantialium, & inferiora hæc corpora vitę expertia eminenter continent,quare ad productionem eorum per ſe ordinantur à natura, poſſunt igitur per ſe intendere productionem eorum, per ſe diſponere materiam pro inductione formarum,per ſe eas à materia educere,& compoſita per ſe generare:falſum igitur eſt,quod aſſumitur, videlicet,præter intentionem,& per accidens, ſequi metallorum, & aliorum mixtorum generationem reſpectu corporum cæleſtium,ſicut præter intentionem,& per accidens ſequitur reſpectu elementorum.

Argumenta vero in fauorem oppoſitæ ſententiæ præfacta ſic diſſoluenda ſunt. Primum quidem, conceſſa maiori,& minori negata, videlicet cæleſtia corpora non continere eminenter metallorum, & aliorum mixtorum formas ſubſtantiales: & cum dicitur non poſſe vnum continere aliud eminenter niſi habeat gradum eſſendi ſuperioris ordinis diſtinguẽdum eſt:nam ſi per hunc gradum intelligatur extra idem genus,vel prædicamentum eius, falſum eſt; nam lux continet eminenter calorem,& non habet gradum eſſendi extra genus,vel prædicamentum eius,ſed in eodem prædicamento qualitatis collocatur; & fortaſſe intra idem genus eiuſdem prædicamenti. Si vero per gradum eſſendi ſuperioris ordinis intelligatur, ſpecificus ſaltem maioris,vel ſuperioris perfectionis eſſentialis(abſque dubio)eſt neceſſarium,atque ſufficiẽs,vt in eodem exemplo lucis oſtenditur, atque etiam in anima ſenſitiua cuiuſlibet ſpeciei animalis continente vegetatiuam, quamuis ſub eodem genere viuentis cum ea conſtituatur.Et ſatis eſt ratione cõſentaneum,

vt

vt id, quod habet ſuperiorem gradum, maioris, ac diſtinctæ perfectionis eſſentialis reſpectu alterius, ſua virtute contineat perfectionem eius, tanquam inferioris, in quo ſi concurrant requiſita omnia ad veram cauſalitatem eiuſdem inferioris, poterit illud producere; cum ergo cæleſtia corpora reſpectu inferiorum habeant altiorem gradum eſſendi, ſpecie diſtinctum ſub genere corporis, vt pote ex propria natura incorruptibilia, & ex alia parte requiſita omnia ad veram cauſalitatem, & productionem eorum, vt probabimus, non eſt eis deneganda dignitas propriæ, ac principalis cauſæ reſpectu eorum.

Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quod non poſſit virtus corporum cæleſtiũ pertingere ad ſubterranea loca, in quibus metalla generantur, nam lux Solis ad aliquam diſtantiam pertingere poteſt, & ab illa extendere propriam actionem per totam ſphæram actiuitatis ſuæ, quæ ſatis eſt magna, cum ſit ipſa magnæ actiuitatis. Per hanc igitur actionem producit calorem in tota ſphera, per quem vapores, atque exhalationes extrahit à terra, & aqua (nam & aquam totam penetrare poteſt, propter eius tranſparentiam) & mediis eorũ qualitatibus, nempe, frigore, & humiditate, ac ſiccitate addẽſare eos poteſt, & in metalla cõuertere, quam conuerſionem non parum iuuant Luna, cæteraque aſtra, in primis per lucem, ſed præcipue per occultas virtutes (quas influentias vocant) & quas habere ad effectus ſatis mirabiles, ſuperius probauimus. Has autem influentias minus ſenſibiles eſſe, minusque materiales quàm lux, in aperto eſt, cum non percipiantur per ſenſus, quare nec determinantur ad corpora diaphana, tanquam ad ſubiecta propria, ſicut lux (quæ ideo opaca non poteſt permeare) ſed opaca etiam peruadere poſſunt: ita quidem, vt

vt in toto medio aliquem etiam occultum effectum producant (ſi eorum per quos generationem metallorum attingunt, capacia non ſunt) ſi vero capacitate polleant, eundem. Quamuis autem effectus iſti occulti ſint, ſicut virtutes ipſæ, per quas cauſantur, ſatis tamen efficaciter probantur tam ipſi quam virtutes, per alios effectus non minus certos, quam occultos, ſicut virtus magnetis, & effectus eius, atque etiam virtutes, & effectus aliorum lapidum. Et ecce tibi modum, quo cæleſtia corpora per virtutes proprias attingere poſſunt generationem metallorum, quantumuis in profundiſſimis terræ finibus, vel aquæ locis generentur: ſic ſolutum eſt argumentum, atque confirmatio eius. Non enim probatur impoſſibilis diuerſitas effectuum, in diuerſis corporibus extremis, & intermediis, iuxta diuerſam natutam, & capacitatem eorum, quamuis non omnes ſubiiciantur ſenſibus, neque eos proinde ſenſibili modo percipiamus; ſatis eſt enim, alios ſenſibiles percipere, ex quibus illos produci colligitur efficaci ratione: nam licet corpora cæleſtia intermedia, inter Solem, & aerem non videamus, experimur tamen aerem illuminate per lucem, & media luce eum calefacere: & quamuis intelligamus in corporibus intermediis non producere calorem, cenſemus producere neceſſario lucem, ea ratione ducti, quia agens naturale non poteſt agere in paſſum remotum, quin eundem effectum, vel alterum ſua virtute producat in medium, nam ſi nihil in medium produceret, non poſſet virtus eius peruenire ad extremum, nec proinde circa illud agere, præcipuumque effectum ei imprimere.

QVÆ

QVÆSTIO II.

An cœlum ſit cauſa imperfectorum animalium quæ generantur ex putri materia.

PRæſupponitur quæſtio, quędam eſſe animalia imperfecta, quæ ex ſemine aliorum generantur, alia vero intra eandem ſpeciem, ſine ſemine ex ſola putri materia: quod euidens experientia non ſolum in terra, ſed etiam in mari contingere docet, teſtaturque expreſſe Ariſtoteles 6. lib. de hiſtoria animalium cap. 16. & Plinius lib. 10. naturalis hiſtoriæ cap. 68. Hoc igitur tanquam certo præſuppoſito, de ſolis imperfectis animalibus, ex putri materia factis ſuſcitatur, an producantur virtute cælorum. Et prima opinio docet non à cælo, ſed ab intelligentia quadam infima, inferioris mundi gubernatrice produci. Ita ſentit Auicena in ſua Metaphyſica tractatu 9. cap. 4. & 1. ſufficientiæ cap. 10. & cum eo Themiſtius, & Alpharabius, quos Patres Conimbricenſes referunt 2. lib. de cælo, cap. 3. quæſt. 6. art. 2. Sed hanc merito excludit D. Thomas 3. contra Gentes cap. 69. & 103. & 1. parte, quæſt. 110. artic. 2. hac ratione: Omne agens contendit, effectum ſibi ſimilem producere, ergo, quod compoſitum producit, compoſitum eſſe debet ex materia, & forma, aut formaliter, quemadmodum id quod producitur, compoſitum eſt ex eiſdem, vel eminenter, quia cauſa efficiens vno ex his modis debet effectum continere; ſed conſtat, intelligentiam non continere formaliter materiale compoſitum, cui toti competit produci, ſicut eſſe, nec etiam eminenter, ſicut non continet vtramque ejus partem, nempe, materiam, & formam,

mam, ſed à ſolo Deo continentur, ergo nullum agens ſpirituale præter Deum, poteſt producere materiale compoſitum; quare repugnat ab vlla intelligentia produci. Et eadem ratione probatur, nullam formam ſubſtantialem, vel accidentalem poſſe intelligentiam in corpore aliquo producere; niſi per accidens, applicando vnum corpus alteri, à quo produci poſſit; ſed per ſe loquendo ſolum poteſt intelligentia mouere corpora motu locali, & in ordine ad hunc motũ impulſum ei imprimere, quod tenet communis Scholæ conſenſus.

Secunda opinio affirmat, animalia hæc imperfecta produci à cælo, tanquam à cauſa particulari, & proxima. Ita ſentiunt omnes illi, qui ſupra tenuerunt, corpora cęleſtia nobiliora eſſe his. Quo ſuppoſito difficultate caret, quod ab eis producantur, ſed fundamentum eorum refutauimus ibidem: quod vero imperfectius eſt, nequit propria virtute producere ſe perfectiora, tanquam præcipua cauſa: ergo repugnat, hæc animalia à cælo, vt à cauſa præcipua, & proxima produci.

Propterea aſſerit tertia ſententia, à cælo quidem produci, non tamen vt à præcipua cauſa, ſed tanquam ab inſtrumento intelligentiæ. Ita ſentire videtur D. Thomas prima parte, quæſtione 70. articulo tertio ad tertium, hiſce verbis: *Corpus cæleſte, cum ſit mouens motum, habet rationem inſtrumenti, quod agit in virtute principalis agentis, & ideo ex virtute ſui motoris, qui eſt ſubſtantia viuens, poteſt cauſare vitam.* Quamuis duobus aliis locis eiuſdem primæ partis videatur ſentire, quod propria virtute, & tanquam præcipua cauſa ea producant, nempe, quæſtione 45. articulo octauo ad tertium, ſic inquiens: *Ad generationem animalium imperfectorum ſufficit agens vniuerſale, quod eſt virtus cæleſtis,*

cui aſſimilantur, non ſecundum ſpeciem, ſed ſecundum analogiam quandam. Neque oportet dicere, quod eorum formæ creantur ab agente ſeparato: ad generationem vero animalium perfectorum, non ſufficit agẽs vniuerſale, ſed requiritur agens propriũ, quod eſt generans vniuocum. Et tandẽ q. 91. articulo ſecundo ad ſecundum, ita ait: *Animalia perfecta, quæ generantur ex ſemine, non poſſunt generari, vt Auicena fingit*: Et paucis interpoſitis: *Sufficit autem virtus cæleſtium corporum ad generandum quædam animalia imperfectiora ex materia diſpoſita: manifeſtum eſt enim, quod plura requiruntur ad productionem rei perfectæ.* Propriam tamen mentem D. Thomæ eſſe exiſtimo, quod cæleſtia corpora, non propria virtute, nec tanquam præcipua cauſa, ſed tanquam inſtrumentum intelligentiæ, producant eiuſmodi animalia imperfecta, vt perſpicue docet in primo loco: nam ita ſentiunt omnes diſcipuli eius communiter, præſertim Capreolus in 2. diſtinctione nona quæſtione vnica, Ferrarienſis primo contra Gentes capite 69. & Soncinas 7. libro Metaphyſicæ, quæ. 14.

Hæc etiam ſententia difficilis eſt, propter duo hæc argumenta. Primum, quia intelligentia etiam apud Diuum Thomam, non habet virtutem producendi hæc animalia, immo neque vllum compoſitum materiale, ſed nec formam aliquam poteſt imprimere corporibus: ergo nec medio cæleſti corpore, tanquam inſtrumento poteſt aliquid horum præſtare. Probatur conſequentia, quia inſtrumentum non poteſt atttingere effectum ſe præſtantiorem, niſi eleuetur à præcipua cauſa, vel virtus eius ſit ei conceſſa à natura, in ordine ad talem effectum producendum: ſed neutro modo poteſt cælum eſſe inſtrumentum intelligentiæ ad generandum hæc animalia: ergo non poſſunt ab eo, vt tali inſtrumento produci. Maiorem

rem ſic probo: cauſa præcipua ideò poteſt eleuare inſtrumentum ad productionem alicuius effectus, quia eum continet formaliter, aut eminenter; nam ſi aliquo ex his modis eum non continet, non habebit virtutem eum producendi: quare neque poterit eam cõmunicare inſtrumento, neque proinde illud pro tali effectu producendo eleuare: minorem vero, quod neutro illorum modorum poſſit intelligentia eleuare cælum ad producenda illa animalia, oſtendo, quia non continet ea formaliter, cum ſit alterius ordinis, atque ſpeciei, nempe ſubſtantia ſpiritualis, atque incorporea, non compoſita ex materia, & forma, ſed nec eminenter, quia non continet materiam, & formam, ex quibus corporea ſubſtantia componitur, nec proinde compoſitam ipſam ſubſtantiam ex vtraque: non eſt igitur ſubſtantia hæc vllo modo ſimilis intelligentiæ, & propterea non poteſt ab ea produci, quia agens ſibi ſimile aliquo modo producere debet.

Secundo probatur, quia intelligentia non poteſt vllam virtutem conferre corporibus cæleſtibus, præter motum localem, & impulſum, vt ex communi Scholæ ſententia ſupra attulimus, atque probauimus: ſed per impulſum, & motum localem, nequit attingere productionem horum animalium, cum non ſit eis motus virtus, ſeu ratio agendi, ſed ſolum applicatio ad paſſum (vt etiam ſuperius probauimus) ex eo igitur, quod cælum moueatur ab intelligentia, nullam virtutem conſequitur inſtrumentalem, per quam poſſit eſſe inſtrumentũ eius ad producẽda hæc animalia. Quod ſic vrgeri poteſt: omnes virtutes cæleſtis corporis præſupponuntur motui locali eius, & ante motum intelliguntur præhaberi ab eo per naturalẽ emanationem, vel alio modo, ſicut à cæteris corporibus:

ergo per localem motum ab intelligentia nihil nouum habet, vt poſſit eſſe inſtrumentum eius, quod ante illum non habuerit: quare ex motu non habet inſtrumentalem concurſum ad hos effectus, ſed ſolum applicationem ad corpora, circa quæ acturum eſt. Conſtat vero ante motum, nihil prorſus ab intelligentia recipere, nec poſſe eſſe inſtrumentum eius ad hos effectus ſe perfectiores producendos: ergo nec per motum erit inſtrumentum intelligentiæ, & ideo nullo prorſus modo.

Vltima igitur ſententia aſſerit, cælum producere eiuſmodi animalia, tanquam inſtrumentum primæ cauſæ, nempe Dei, quia non eſt excogitabilis alia cauſa, cuius inſtrumentum eſſe poſſit, ſed quam virtutem inſtrumentariam habeat, vel à Deo accipiat, aut quonam modo ab eo eleuetur, ſic explicat: Cum cælum ſit primum alterans, ac nobiliſſima pars mundi corporei, & nihilominus expers vitæ, conueniens fuit, hanc illi fecunditatis prærogatiuam ab authore naturæ dari, talemque virtutem ei communicari, vt ad omnium corporum viuentium generationem concurreret, & ad quorundam generationem, tanquam peculiare ipſius Dei inſtrumentum adhiberetur. Eiuſmodi autem virtutem contulit ei Deus à ſua primæua origine, aut creatione. Et intelligitur eſſe ſimilis virtuti ſeminali, ita vt quemadmodum ſemini communicatur à viuente, à quo productum, atque deciſum eſt, virtus quędam, per quam attingit generationem alterius viuentis ſimilis in ſpecie, tanquam inſtrumentum generantis (quamuis ſemen ipſum non viuat, ſed inferioris ſpeciei, aut generis ſit) eadem ſimilitudine communicata eſt corpori cæleſti, cum ſuo eſſe virtus, per quam attingere poſſit generationem viuentium (quamuis vitæ expers ſit) tanquam

quam inſtrumentum ipſiuſmet Dei, à quo immediatè eam accipit per creationem. Hæc eſt ſententia Durandi in 2. diſtinctione quintadecima, parte ſecunda diſtinctionis, quæſtione ſecunda, quam præfato modo explicant, & ſequuntur Patres Conimbricenſes ſecundo libro de cælo, capite tertio, quæſtione ſexta, articulo ſecundo, & nonnulli etiam recentiores cum eis hanc ſententiam amplectuntur.

Cæterum his præmiſſis hæc virtus ſine fundamento tribuitur cælo, & ad effectum concurſus inſtrumentalis in ordine ad generationem horum animalium imperfectorum, non eſt ei neceſſaria. Probatur manifeſtè primum, quia cum foret virtus naturalis (ſi daretur) difficile creditu eſt, eam Ariſtotelem ignoraſſe, qui tam perfectas habuit cæleſtes virtutes, ſed in tota eius doctrina neque veſtigium eius reperitur, vt quilibet in ea verſatus facile iudicare poteſt: ergo alienum eſt ab eius mente, eam tribuere cælo, neque extat ratio alicuius momenti, compellens nos talem virtutem multiplicare, ſed ea ſola neceſſitate excogitatur ab his authoribus, quia ſine illa non occurrit eis ratio aliqua tribuendi cæleſti corpori inſtrumentarium concurſum ad generationem horum animalium. Vnde eadem facilitate, qua ab eis ponitur, negari poteſt, vel denegando ei talem concurſum, & ex conſequenti talem virtutem, vel negando, quod ſine illa non poſſit eſſe inſtrumentum Dei; vel denique negando, quod per inſtrumentum aliquod concurrat Deus ad tales generationes, quia ſicut pleroſque effectus alios per ſe immediatè producit, ſupplens defectus particulariũ cauſarũ, ſic poteſt quiſpiam aſſerere, has generationes per ſe immediatè efficere, cum deſint particulares cau-

ſæ à quibus producantur. Itaque cum non ſint multiplicandæ virtutes ſine vrgenti neceſſitate, vel ratione, nec debet multiplicari talis virtus ſeminalis in cælo non compellente ratione, præſertim cum ſit nobis prorſus incognita, de qua proinde non poſſumus niſi diuinando loqui. Quod vero non ſit neceſſaria probatur, quia certum eſt apud Ariſtotelem, & omnes cælum concurrere ad generationem animalium perfectorum, per virtutes alias, quas in eo agnouimus, videlicet, per lucem, calorem, & alias aſtrorum influentias: pro quo concurſu præſtando, nemo hucuſque talem virtutem ſeminalem incognitam addidit, præter alias, quas in eo agnouimus, vel quas omnes fere in eo admittunt, ex effectibus conuicti, ergo multo minus debet neceſſaria exiſtimari ad generationes animalium imperfectorum, ſed ſufficienter concurrere ad eas poſſe, exiſtimandum eſt per eaſdem, per quas concurrit ad generationem animalium perfectorum, quod ex noſtræ ſententiæ explicatione clarius conſtabit.

Noſtra igitur ſententia ſolum admittit, cælum concurrere ad generationem imperfectorum animalium, quæ ex putri materia generantur, tanquam inſtrumentum Dei, cui attribuuntur tales generationes, tanquam cauſæ præcipuæ particulari & proximæ. Vt autem inſtrumentum Dei ſit ad eiuſmodi effectus, non indiget virtute illa ſuperaddita luci, & influentiis, ſed per eas poteſt eleuari à Deo, & inſtrumentalem concurſum præſtare in ordine ad tales effectus vitales. Hæc noſtra ſententia ſufficienter probata eſt, ex aliarum refutatione, quod vero cælum poſſit eleuari, vt inſtrumentum Dei, ad hos effectus, per virtutes has ordinarias ſic explico. Certum eſt apud Ariſtotelem, & omnes, cælum per virtutem naturalem, Solis præcipuè,

Digitized by Google

cipuè, concurrere ad omnes generationes animalium, etiam perfectorum, quem concurſum explicuit Ariſtoteles 2. libro Phyſicor. textu 26. illis verbis: *Sol & homo generant hominem.* Quem concurſum ſpecialiter confert per lucé, & calorem à luce productum, calefaciendo, ac fouendo ſemen, iuuandoque ſeminalem eius virtutem, vt diſponat, & organizet materiam, quod præſtare non poſſet tali conſortio, auxilioque deſtitutum. Calor autem Solis, quamuis eiuſdem ſit ſpeciei cum elementari, cæterum quia virtus eſt ſuperioris, atque eminentioris cauſæ longe perfectior eſt, ſecundum rationem indiuidualem, ratione cuius excellentiores habet effectus, quos non poteſt attingere elementaris, vt oſtendit frugum, ac fructuum omnium procreatio, ad quam deſeruire non poteſt calor elementaris. Cuius perpulchrum, ac ſimillimum mihi ſumo exemplum in calore naturali viuentium corporum, de quo etiam tenet probabilior ſententia, eiuſdem eſſe ſpeciei cum elementari, per ſolam vero indiuidualem differentiam, quam habet ex eo, quod animæ, atque corporis viuentis virtus eſt, vt ad vitales effectus edendos inſtrumentum eſſe poſſit vitalis potentiæ generatiuæ, aut nutritiuæ, quos non poteſt attingere calor elemenraris, vt ſecundo libro de anima probauimus. Pari ergo ratione de calore Solis neceſſario fatendum eſt, comparatione elementaris, quamuis non omnino attingat effectus caloris vitalis, poteſt tamen, & vere concurrit cum eo, eumque fouet ad eos præſtandos. Et hæc quidem conſideranda ſunt ex parte cæleſtis virtutis; aliud vero ex parte animalium, quæ ex putri materia fiunt, quæ adeo ſunt imperfecta, atque infimæ ſortis in ordine vitalium corporum, vt eorum animæ diſpoſitiones longe inferiores, atque imperfectiores, poſtu-

lent in materia pro ſui eductione ex potentia eius, & inductione in ea, & præcipue minorem longe, ac fere nullius momenti organizationem in corpore, vſque adeo vt minimam poſtulet diuerſitatem partium, & quaſi homogeneum ſit in pluribus eorum, vt conſtat in quibuſdam imperfectiſſimis reptilis generis. Quo fit, vt calor Solis, & aliæ eius virtutes, quæ multum iuuant ſeminalem virtutem perfectorum animalium ad diſponendam, & organizandam materiam, ſufficere poſſint ad inducendas imperfectiſſimas diſpoſitiones, & organizationes in materia pro inductione, & introductione imperfectiſſimæ animæ, & ita poſſint eſſe inſtrumenta Dei, ab eoque eleuari, ad talem animam educendam, atque introducendam in materia, & conſequenter ad eorumdem animalium generationem, quod ſenſit plane Diuus Thomas 1. parte, quæſt. 71. articulo vnico ad 1. hiſce verbis. *In naturali generatione animalium principium actiuum, & virtus formatiua quæ eſt in ſemine in his, quæ ex ſemine generantur, loco cuius virtutis in his, quæ ex putrefactione generantur, eſt virtus cæleſtis.* Atque etiam Scotus, & Bonauentura locis quæſtione ſequenti citandis: ſic autem explicatam concluſionem, probo hac ratione: Agens quodcumque poteſt inducere in ſubiectum, vel materiam omnes diſpoſitiones requiſitas, & ſufficientes pro aliqua forma ſubſtantiali, poteſt eam educere de potentia eius, vel eam vnire eidem materiæ, aut tamquam cauſa præcipua eius, ſi non excedat perfectionem propriæ ſpeciei, aut tamquam inſtrumentum agentis perfectioris: ſed corpora cæleſtia ſuis virtutibus poſſunt inducere omnes diſpoſitiones requiſitas, & ſufficientes pro formis imperfectorum animalium, quæ ex putri materia fiunt: ergo poſſunt eas ex potentia talis

materiæ educere,atque in ea introducere,compoſitaque generare, licet non tanquam propria, aut præcipua cauſa, quia perfectionem propriæ ſpeciei ſuperant,ſaltem vt inſtrum. nta Dei.Maiorem probo,quia forma ſubſtantialis naturali ſequela conſequitur, ſufficientes diſpoſitiones in materia,nam in hunc finem à natura ordinantur: ergo agens,quod eas poteſt inducere poterit eandem formam educere, & compoſitum producere,tanquam præcipua,vel ſaltem inſtrumentalis cauſa. Minor vero ſic probatur,corpora cæleſtia ſuis virtutibus continẽt omnes primas qualitates, atque etiã ſecũdas,ex earum permixtione ortas, quas omnes paſſim producunt in corporibus inferioribus,poſſunt etiam iuuare virtutem vitalem,ac ſeminalem ad organizandam materiam,pro eductione,& introductione animarum, etiam animalium perfectorum, vt nuper oſtendimus: ergo poſſunt eandem diſponere, & organizare imperfectiſſima illa organizatione ſufficiẽti pro animabus imperfectiſſimis educendis,atque inducendis in materia,& proinde compoſita generare,tanquam inſtrumẽta Dei:nam ad talem actionem inſtrumẽtalẽ non requiritur vita, quẽadmodum in ſemine non requiritur vita,neque virtus ſeminalis & vitalis;& ſi daretur illa virtus quaſi ſeminalis, quã vltima ſententia ponit in cælo,vt per illam poſſit eſſe inſtrumentum Dei: ad generationem imperfectorum animalium,non eſſet vitalis,neque vt vitalem eam ponit, & nihilominus ratione vtriuſque concurrunt ſemen,& cæleſtia corpora, iuxta eandem ſententiam, vt inſtrumenta ad generationem animalium:ergo lux, & calor cæleſtis cum reliquis virtutibus cælorum, concurrere poſſunt ad generationem imperfectorum animalium, tanquam inſtrumenta Dei,etiam ſi vitales non ſint. Ad generationem vero

Digitized by Google

animalium perfectorum , licet aliquo modo concurrant, non ſunt tamen ſufficientia inſtrumenta, quia perfectiores longe diſpoſitiones, & organizationem poſtulat materia pro introductione animarum perfectarum, quæ ſine ſemine nequit induci naturaliter.

QVÆSTIO III.

An animalia ex putri materia genita ſint eiuſdem ſpeciei cum animalibus eiuſdem nominis ex ſemine productis.

PRo vtraque quæſtionis partę extant non ſolum teſtimonia Ariſtot. ſed rationes magni momenti, & propterea grauiſſimi auctores patrocinium vtriuſque ſuſceperunt. Pro parte quidem negante, quod non poſſint eſſe eiuſdem ſpeciei, eſt teſtimonium Ariſtot. 5. lib. de hiſtoria animalium, cap. 1. circa finem ſic loquentis: *Quæ autem per ſe, vel in animali, vel in terra, vel in ſtirpe, vel etiam in eorum ipſorum partibus creantur, eadémque maris, ac fœminæ, ſexu diſtincta ſunt, his coeuntibus gignitur quidem aliquid, ſed ex quo nihil amplius gigni poſſit, v. g. coitu pediculorum lendes dictæ procreantur, muſcarum vermiculi pulicum, genus vermiculorum cui ſpeciem referens ex quibus nec ea, quæ generarunt, proueniunt, nec aliud vllum animal, ſed id, quod ſunt ſordes tantum perſiſtunt:* Ex quo teſtimonio colligitur animalia hæc ex putri materia genita virtutem habere generandi ſibi ſimilia ex ſemine, ſic vero ab eis genita, carere tali virtute. Ex quo ego infero ſpecie, differre, & illationem probo: quia potentia generandi vitalis eſt, & ex virtute animæ ſenſitiuæ emanat, per modū proprietatis, & generatio viuentis eſt actus vitalis.

talis. Illa ergo anima, ex cuius virtute emanat, eſſentialiter eſt perfectior anima aliorum animalium carentium tali virtute, & operatione, quia ex perfectiori potentia, & operatione, perfectior eſſentia colligitur: ſed anima eſſentialiter perfectior conſtituit animatum corpus eſſentialiter perfectius, & proinde diuerſæ ſpeciei, ergo animalia ex putri materia genita ſpecie differunt ab his, quæ ex ſemine generantur, ex mente Ariſtotelis, efficaci ratione comprobata.

Secundo, quia pro effectibus determinatæ ſpeciei deſignauit natura determinatas cauſas, per quas producerentur, ita vt non niſi per virtutem earum produci poſſint, quod eſt intrinſecam connexionem habere cum eis, vt conſtat ex cæteris ſpeciebus animalium, quæ non niſi à determinatis cauſis, ac determinato modo operantibus producuntur; ergo impoſſibile eſt, eandem ſpeciem animalium indifferenter produci ab his, vel illis cauſis, aut hoc, vel illo modo operantibus; quare non erunt eiuſdem ſpeciei ea, quæ fiunt ab aliis animalibus, ex ſemine cum his, quæ non producũtur ab aliis animalibus, ſed ab aliis cauſis diuerſis, nec ex ſemine, ſed ex putri materia, immo cũ vno ex his modis produci valeant, ſuperfluit alter, natura vero nihil admittit ſuperfluũ. Quare hanc partem ſequuntur Auerroes octauo libro phyſicorum, commento 46. Iandu. ſeptimo Metaphyſicæ, quæſt. 15. Ægidius ſecundo libro in Hexameron, cap. 28. Flandienſis, ſeptimo Metaphyſicæ, quæſt. 13. artic. quarto. Achillinus quæſtionibus de phyſiognomia, & videtur etiam eandem tenere Diuus Thomas, pluribus ſuæ doctrinæ locis: ſed præſertim in prima diſtin. 10. art. primo in corpore his verbis: *Non enim idem in ſpecie eſt à natura, & ab arte, nec per putrefactionem, & ſeminationem, &c.* & de potentia, quæſt. 3. artic. 11. ad 1, vbi

vbi ſic ait: *Nec oportet eorum, quæ ſunt in genere, ſi ſpecie differant, eſſe eundem modum procedendi in eſſe, vt patet per animalia generata ex ſemine, & ex putrefactione, quæ in genere conueniunt, & ſpecie differunt.* Et tandem 1. parte, quæſt. 71. artic. vnico ad primum, ſic inquiens: *Illa, quæ naturaliter generantur ex ſemine, non poſſunt naturaliter ſine ſemine generari.*

Oppoſita vero pars, quod ſint eiuſdem ſpeciei, expreſſa videtur in doctrina Ariſt. duobus præſertim locis 7. Metaphyſicæ, textu 23. vbi habet hæc verba: *Harum autem, quædam etiam à caſu fiunt, & à fortuna perinde, atque in his, quæ à natura fiunt, quædam enim ex illis eadem, & ex ſemine, & abſque ſemine fiunt, &c.* & ſectione 11. problematum, quæſt. 64. *Quam ob cauſam, inquit, animantium alia non ſolum coitu, ſed etiã ſpõte natura procreantur, alia coitu duntaxat proueniunt, vt homo, & equus.* Et probatur hac ratione ſatis efficaci, quia ex accidentibus eiuſdem omnino rationis, efficaciter colligitur, ſubſtãtias eſſe eiuſdem rationis, & eſſentiæ: ſed animalia ex ſemine, ac ex putri materia genita habent accidentia omnia eiuſdem conditionis, eandem figuram, eundem calorem, eandem membrorum diſtinctionem, & magnitudinem, motum ac cæteras operationes, modumque operandi eundem: ergo pertinent ad eandem ſpeciem; & ita ſentit Diuus Thomas 7. lib. Metaphyſicæ, lectione ſexta poſt medium; vbi ex profeſſo diſputans præſens dubium, affert ſententiam Auerrois omnino negantis, quod idem ſecũdum ſpeciem poſſit naturaliter produci ex ſemine, aut ex putri materia. Deinde affert ſententiam Auicenæ oppoſitam, nempe, quod omnia animalia, tam perfecta, quam imperfecta, vtroque modo poſſint naturaliter produci, & aliquando producantur. Vtrãque vero reiicit, & medium ſequitur, tanquam Ariſtotelis

Digitized by Google

ſtotelis propriam,quod perfecta non poſſint, niſi ex ſemine produci,imperfecta vero(quæ ſunt vicina plãtis)vtroque modo produci poſſint,intra eandem ſpeciem,ita vt ſicut accidit plantam produci ſine ſemine virtute Solis,& illa eadem ſic producta ſemen emittit cuius virtute producitur altera intra eandem ſpeciem,pari ratione producuntur aliquando imperfecta animalia ex putri materia virtute Solis, & diſtincta quidem in marem,& fœminam, quæ per ſeminalem propagationem producunt animal eiuſdem ſpeciei.Eandem tenet,& probat Scotus, vtraque reiecta, in prima diſtinctione ſecunda,quæſtione ſeptima,circa medium ʃ.Ad primum argumentum principale dico,quod Auicena:aſſeritque, eſſe expreſſam Diui Auguſtini tertio libro de Trinitate,cap. 4. & 10. & Diui Ambroſij de incarnatione Verbi ad finem. Richardi in 2.diſtinctione 17.quæſt. 2. circa ſecundum principale,Okam in 2.quæſt.23.Theophraſti 1.lib.de plantis ca.1.& eſt communis in Schola,& vera,quam efficaciter probat ratio dubitandi in fauorem eius poſita,atque deſumpta ex Scoto,vbi ſupra.

Ad teſtimonium Ariſtotelis pro parte negante reſpondeo,non ſequi ex eo,quod quędam animalia imperfecta ex ſemine producta nequeant per ſeminationem generare ſibi ſimilia, eſſe diuerſæ ſpeciei ab his, quæ generantur ex putri materia ſub eodem nomine: nam ex accidenti aliquo prouenire poteſt, quod operatio generatiuæ potentiæ impediatur, vel ex imperfectione ſeminis,ex quo fiunt,quod potentia generatiua careat, ſicut videmus in hominibus, & aliis animalibus imperfectis, de quibus conſtat, non generare alia, nec tamen propterea negamus, eſſe eiuſdem ſpeciei cum cæteris ſibi ſimilia generantibus.

Ad

Ad primam rationem concedimus, effectibus determinatis naturam deſignaſſe determinatas cauſas magis quidem, vel minus determinatas, iuxta maiorem, vel minorem perfectionem eorũ, & ideo animalibus perfectis ſolas cauſas ſuæ ſpeciei deſignauit, & determinatum, atque perfectum modum producendi ab eis, quæ ideo nec ab aliis cauſis, neque alio modo, quam per ſeminalem propagationem multiplicare poſſunt; imperfectis vero, quæ non poſtulant cauſas adeo perfectas, nec modum producendi adeo perfectum, vno, vel altero modo fieri permiſit, nempe ex ſemine, vel ex putri materia: neque tamen alter modus eorum ſuperfluit, ſicut non ſuperfluit, quod ignis generetur ab alio igne, atque etiam aliquando per concurſum radiorum Solis, vel per attritionem aeris.

Diuus Thomas autem illis locis intelligitur de animalibus, quæ ex natura ſua adeo ſunt imperfecta, vt non habeant virtutem producendi ſibi ſimilia, ſed naturaliter exigunt, produci ex putri materia, vt minutiſſimi quidam vermiculi, quæ quidem animalia ſpecie diſtinguuntur ab aliis. Præter hæc autem ſunt alia, quę propter ſuam perfectionem poſtulant ex natura ſua produci ab aliis viuentibus ſimilibus, vt contra Auicenam 2. lib. ſuæ Metaphyſicæ, quæſt. 42. merito docet Sanctus Thomas 7. Metaphyſicæ, lectione 16. & prima parte, quæſt. 45. artic. octauo, & quæſtione 91. artic. ſecundo, atque etiam tertio contra Gentes, cap. 69. & Scotus in 2. diſtinct. 8. quæſt. 1. & Diuus Bonauentura ibidem, numer. 20. ex communi conſenſu: quo enim aliqua perfectiora ſunt, eo plura ad ſui productionem poſtulant. Denique ſunt alia media, & ab vtroque extremo ſpecie ſaltem diſtincta, vtroque modo producibilia, vt mures, veſpæ, & ſimilia, inter ſe

tamen

tamen eiuſdem ſpeciei: quæ tria genera etiam repériuntur in plantis,& non poſſunt eidem conuenire,& iuxta hanc diſtin.optime intelligitur S.Thomas, cum aliis:ne ſibi ſit contrarius.

Sed aduerſus hanc doctrinam duo poſſunt opponi, quæ videntur probare, etiam perfecta animalia poſſe vtroque modo produci in eadem ſpecie,nempe ex ſemine ſibi ſimilium, atque etiam ex materia putri,vel ex terrea.Primum eſt, quia ſicut corpora cæleſtia ſua virtute poſſunt diſponere materiam pro introductione animæ imperfectorum animalium, & ex conſequenti eam producere, atque vnire materiæ, tanquam inſtrumenta Dei, pari ratione poſſunt eandem diſponere,& organizare, pro introductione animæ perfectorum animalium, eamque educere de potentia materię,vel creatã à Deo vnire corpori tanquã inſtrumẽta Dei:ergo poſſunt hoc modo perfecta animalia produci, & non ſolum per virtutem ſeminis ab alio ſimili. Probatur paritas rationis, quia diſpoſitio materiæ pro vtraque anima conſiſtit in certa temperie primarum qualitatum, quibuſdam ſecundis additis ex eadem temperie primarum procedentibus; quarum productio non excedit perfectionem cæleſtis virtutis:ergo quemadmodum imperfecta animalia poteſt producere ex putri, vel ex terrea materia, pari ratione poterit perfecta.

Secundum,ex quibuſdam experientiis, in quibuſdam enim inſulis,à continenti diſtantiſſimis,viſa ſunt perfecta animalia,quæ tamen neque ab his,quę initio mundi creata ſunt,propagare potuerunt, cum omnia hoc(pauciſſimis exceptis) diluuio perierint, ſed nec poſt diluuium potuerunt natando eò perueniſſe, propter vaſtiſſimum maris interiectum, nec tandem nauibus inuehi, quia complura eorum efferata ſunt, vt

leones,lupi,atque pantheræ:quare negari non poteſt, quod cæleſti virtute producta ſint.Secũda,quia vt ab eodemmet Auicena, in libro de diluuio, memoriæ proditum eſt,aliquando contigit, vitulum in nubibus genitum excidiſſe inter imbres. Et a Plinio octauo libro naturalis hiſtoriæ,capite 42. & à Solino in pol. hiſtor. capite 46.refertur, equas in Luſitania animalem ſpiritum Fauonio flante concipere, & animal quoddam gignere,quod triennium vitæ non excedit, quod in Cappadocia contigiſſe refert Solinus,in deſcriptione Cappadociæ,& Diuus Auguſtinus libro 20. de Ciuitate Dei, capite quinto, ac tandem fertur. Phœnix vnica in mundo auis ſuę ſpeciei,non ex ouo, aut ſemine parentis,ſed ex cineribus propriis renaſci, quod ſcriptores non pauci teſtantur:& non niſi cæleſti virtute effici poſſe fatendum eſt;& cum numeretur inter perfecta animalia,negari non poteſt, hæc etiam ſicut imperfecta vtroque modo gigni, quamuis non ita frequenter.

Nihilominus propter hæc, non eſt à communi, & vera Scholæ ſententia recedendum, ſed ad primum neganda eſt paritas rationis,in antecedenti deſumpta, & ratio eam negandi eſt, diuerſa vtrorumque animalium perfectio,nam per ſe eſt euidens in generatione quarumlibet rerum naturalium,& materialium,quod forma eſſentialiter perfectior poſtulat perfectiores diſpoſitiones in materia, cum iſtæ debeant eſſe illi proportionatæ;ſed conſtat animam perfectorum animalium eſſe longe perfectiorem anima imperfectorum;ergo tanto perfectiores diſpoſitiones poſtulat in materia,quanto perfectior eſt, videlicet longe maiorem diuerſitatem partium,organizationem carnium,figuram,& virtutem,ac potentiam ad exercendas operationes ſpecie, & numero, ac varietate diſtinctas; eiuſmodi

eiuſmodi autem diſpoſitiones adeo perfectas, nec poſſunt per cæleſtem virtutem induci naturaliter in materia putri, etiam ſi virtutem cæleſtem, tanquam inſtrumentum Dei accipias, ſed virtutem inſtrumentalem longe perfectiorem requirunt, à qua producantur, vt videre etiam eſt in artifice.

Conſtat etiam, primas qualitates, quas poteſt inducere forma cęleſtis, non ſufficere pro eiſdem perfectis diſpoſitionibus inducendis, ſed altiorem requiri materiam, hoc eſt, magis accommodatam, ac proportionatam (qualis eſt materia ſeminis) à viuenti perfecto deciſam, & altiorem virtutem eiuſdem ſeminis formatricem perfecti corporis, ab eadem perfecta anima deriuatam, & tanquam inſtrumentum proprium ei à natura pro tali opere perfecto præſtando collatum: ergo naturaliter eſt impoſſibile, quod perfecta animalia ſine ſemine producantur à virtute cæleſti, etiam, vt inſtrumento Dei, & ex putri, vel extranea materia, alias id ſæpe contingeret.

Ex quibus ſatisfieri poteſt experientiis allatis. Ad illam de vitulo in nubibus genito, quam Auicena attulit, negamus talem generationem in nubibus factam, cenſemusque fabuloſam eſſe, ſed intelligi poteſt, aut ventorum vi fuiſſe delatam, vel arte dæmonum, vt in rebus aliis fieri ſolet: ſed neque equas Luſitanas, aut Cappadoces vento concipi, aut gignere potuerunt, quamuis à Solino, aut D. Auguſt. aliove graui hiſtoriographo referatur, quia id ſolum referunt contigiſſe relatu aliorum ſæpe vulgari. De Phœnice vero duo ſentio. Primum quidem, ſi datur (vt ſatis probabile eſt dari) quia à multis viſum eſſe refertur, non eſſe vnicum in toto mundo, quia etiam refertur ab eiſdem, pluribus in locis, atque diſiunctiſſimis vi-

ſum fuiſſe, & aliquando in vno, vel altero eorum interiiſſe, neque ibidem ex cineribus eius, alioue modo genitum pro eo alterum. Quare ſi vera ſunt, quæ de eo referuntur, vnicum eſſe non poteſt.

Secundo aſſero, neque ex cineribus eundem reuiuiſcere, qui igne aſſumptus, neque alteram ſibi ſimilem, neque poſſibile eſſe aliter, quam ex ſemine generari naturaliter, ſed forte, quia pauca admodum indiuidua in hac ſpecie producuntur, vulgare cæptum eſt, vnicum dari ſimul in tota natura. Quare dum ſancti Patres vtuntur Phænicis exemplo, ad ſuadendum corporum reſurrectionem, id non aſſeuerant, neque ex propria ſententia pronunciant, ſed ex aliorum ſcriptis referunt, quaſi dicere velint: ſi homines ſibi perſuadent virtute naturali poſſe contingere, vt Phænix ex propriis cineribus reuiuiſcat, cur non credant, poſſe eadem humana corpora etiam in cineres redacta, per virtutem diuinam ſupernaturalem, iterum ad vitam reuocari. Nihil ergo ex ſanctis Patribus probatur, quod ad talem modum generationis perfecti alicuius animalis ex putri, vel extranea materia geniti pertineat.

QVÆSTIO IV.

An cæleſtia corpora aliquem influxum habeant circa futuros euentus caſuales, ex concurſu naturalium cauſarum euenientes.

DE ſolis caſualibus effectibus ex concurſu naturalium cauſarum ſuperiorum, vel inferiorum euenie̅tibus quæſtione̅ agitandam proponimus, an circa eos aliquem influxum habeant cæleſtia corpora, vel nullum,

nullum,ſed penitus caſuales ſint,& tam præter intentionẽ eorum proueniant,quam reſpectu cauſarum inferiorum,v.g. aſtrum, vocatum Aquarium, in certo aſpectu inclinat ad generationem imbrium, cui opponitur ſydus aliud eo fortius, impediendo ne eleuentur vapores à terra vel aqua, quibus pluuia generetur, & ex hoc impedimento ſequitur ſegetes non creſcere, ſed ariditate perire, & terram eo anno ſterilem euadere. Quod in dubium reuocamus,eſt, an extinctio ſegetum,& terræ ſterilitas(quos caſuales effectus vocamus)à cælo, vel aſtris proueniant, vel circa eos aliquo modo influant, vel nullo:ideoque eis non ſint aſcribendi.

Et prior opinio affirmat, hos omnes effectus ſolum vocari caſuales, reſpectu cauſarum inferiorum, quæ proinde nullum habent circa eos influxum; à cælo vero, vel aſtris per ſe procedere, nec eorum influxum effugere poſſe. Sic affirmat Auicena 10. Metaph.capit. 1.Ocham quodlibeto 1.quæſt.17.quorum vnicum eſt fundamentum:quia licet aſtro priori non tribuatur ſegetum ariditas, vel extinctio, neque ſterilitas terræ ex ea ſubſequuta, tribuitur poſteriori per ſe,quia per ſe cauſat ſiccitatem,ex qua ſequitur.Quare reſpectu cæli,cuius tale aſtrum pars eſt,& à quo, & in quo mouetur, non eſt caſualis effectus, ſed per ſe productus, quod videtur plane ſentire D. Thomas 1. par.quæſt.19.art.6.his verbis;*Poteſt enim impediri,quod aliqua ſtella non inducat ſuum effectum,ſed tamen quicunque effectus ex cauſa corporea impediente in rebus corporalibus conſequatur, oportet quod reducatur per aliquas cauſas medias in vniuerſalem virtutem primi cæli.* Hoc autẽ exemplum affert ad probandum,quod diuina voluntas ſit cauſa per ſe cuiuſcunque effectus (quantumlibet caſualis, reſpectu cuiuſlibet alterius cauſæ) quia

cum Deus ſit cauſa vniuerſalis , non poteſt cauſa impediens alteram effugere concurſum eius, quare neceſſe eſt, effectum, qui ex tali impedimento ſequitur, (licet caſualem comparatione eius, quia præter intentionem eius ſequitur, & ideo abſque eius concurſu) per ſe cadere ſub influxum cauſæ vniuerſalis, ſub qua continetur, ex cuiuſque concurſu operatur cauſa impediens, & ideo comparatione eius caſualem non eſſe, ſed per ſe, & ſic rem ſe habere (ait) in cauſis corporeis reſpectu effectus; qui ex concurſu vnius alteram impedientis ſequitur: nam licet reſpectu cauſæ impeditæ caſualis ſit, non reſpectu impedientis, ex cuius effectu per ſe producto, quo alteram impediuit, ſequitur, & cum cauſa hæc contineatur ſub primo cælo , ad quod tanquam ad vniuerſalem cauſam reduci debent omnes effectus cauſæ corporeæ ſuo ordine militantes ſub eis; neceſſe eſt talem effectum ad eam reduci, tanquam ad cauſam vniuerſalem, ſub qua continentur omnes, & ex cuius influxu per ſe procedunt quicunque earum effectus, vt qui ex eis ſequuntur. Si vero in cauſis corporeis verum hoc non ſit, ſed aliquis effectus datur caſualis, in quem non influat cælum, & ideo qui præter intentionem eius fiat, ſequitur etiam dari aliquem effectum caſualem, qui ſequatur ex cauſa particulari impediéte aliam, & præter intentionem Dei, & reſpectu eius ſit caſualis, in quem nullum influxum habeat, & ideo circa cuius conſecutionem volũtas Dei non verſetur, nec proinde impleatur, & tandem ſequitur, friuolam eſſe rationem D.Th. & concluſionem, quam probare intendit, planè falſam, quod eſt abſurdum.

Noſtra vero ſententia eſt, talem effectum caſualem eſſe, etiam reſpectu cæli, in quem neque in vllũ alium caſualem effectum, aliquem influxũ habet. Ita D.Th.

3.lib.

3.lib.contra gent.c.86.& 49. & ibidem Ferrar. Alex. 1.par.q.16. membro 3.ar.2. Caietanus 1.parte,quæſt. 15.artic.6. atque etiam Patres Conimbricenſes 2.lib. de cælo, capite 3. quæſtione 5. Et probatur primo, cælum eſt cauſa naturalis, agens ex determinatione ad vnum: ergo ſolum poteſt influere in effectum, ad quem producendum naturaliter inclinatur, vel ex eo naturaliter,& neceſſario ſequitur; ſed in effectum caſualẽ nõ inclinatur naturaliter, nec ex eo in quem inclinatur naturaliter, ſequitur neceſſario;ergo non habet vllum influxum circa illum.Minorem probo,quia effectus caſualis ſequitur, præter intentionem agentis per ſe: ergo præter influxum eius: probatur conſequentia, quia agens naturale ſicut non agit, niſi ex intentione, ſeu inclinatione propriæ naturæ, ita non influit niſi in effectum, in quem propria eius inclinatio, vel intentio naturalis tendit. Exempli gratia lapis deſcendens ſolum intendit, centrum aſſequi, quia in ipſum tendit naturalis inclinatio grauitatis eius, quod vero hominem, vel aliud animal ſibi obuiam factum percutiat, præter intentionem eius omnino eſt, quia præter inclinationem naturalem. Quare nullum poteſt habere influxum circa illum, & pari ratione nec planeta naturaliter producens ſiccitatem, poteſt influere in extinctionem meſſium, & ſterilitatem terræ, quia nec eas poteſt intendere, ſed præter intentionem eius ſequuntur, & ideo præter influxum.

Secundo probatur, quia caſualis effectus ſequitur per accidens ex concurſu duarum cauſarum, ſed neutra intendit per ſe concurrere cum alia, neque totum cælum intendit talem concurſum:ergo neque influit in talem effectum, ſed omnino ſequitur præter concurſum, & cauſalitatem eius, ſicut præter concur-

ſum,& cauſalitatem inferiorum cauſarum. Maior experientia nota eſt, cum videamus meſſium conflagrationem ſequi ex emiſſione fulminis, & concurſu ſiccitatis ab alia cauſa cæleſti inductæ, & pariter ex concurſu plurium cauſarum efficientium, vel efficientis, & materialis, ſequuntur alij caſuales effectus inferiores. Minor vero, quod neutra intendat concurſum ipſum, non eſt minus euidens in cauſis ſeſe impedientibus:nam euidens eſt planetã intendentem generationem imbrium, non intendere concurſum cum planeta alio impediente effectum eius, alioqui agens intenderet, quod effectus eius impediatur; & hoc abſurdum eſſe conſtat; ſed neque planeta impediens intendit concurſum, quia agens ſolum intendit producere effectum proprium, ad quem producendum ex propria natura inclinatur; quod ergo incurrat in agens aliud,cuius effectum impediat,præter inclinationem eius eſt,ergo præter intentionem,quia ſolum intendit id, ad quod natura ipſum inclinat, & cum ſit etiam præter eam, quod planeta alter eo agente occurrat, repugnat ex intentione, & inclinatione eius,eſſe occurſum eius,& ex conſequenti,concurſum vtriuſque, quem proinde repugnabit intendere.

Et tandem, quod talis concurſus non ſit à toto cælo intentus, probatur,quia totum cælum non agit, neque concurrit ad effectus inferiores niſi per aliquam ſui partem, ſi ergo à nulla parte agente poteſt intendi: ergo neque à toto cælo, & ſi concurſum intendi repugnat, ex conſequenti repugnabit, intendi effectum, quod ex eodem concurſu præciſe ſequitur, & aliam cauſam non habet. Quod efficaciter ſatis colligi poteſt ex doctrina Ariſtotelis

in

in libro de diuinat. per ſomnium, vbi fatetur, cæleſtia corpora impediri aliquando à ſuis effectibus, & ideo, quod ex impedimento ſequitur non eſſe effectum illorum, quia vniuerſaliter verum eſſe arbitratur, non produci à cauſa per ſe operante illud, quod per accidens ſequitur ex effectu per ſe eius, vt hiſce verbis teſtatur, 6. libro Metaphyſicæ, tex. 4. *Neque enim qui facit domum, facit ſimul, quæ accidunt domui facta.*

Et ſi dicatur per accidens ſaltem produci, ideo cauſam per accidens habere aliquem concurſum, circa effectum per accidens ſubſequutum ex effectu, quem producit per ſe, ſed caſualem illum vocari, quia non eſt per ſe intentus, nec per ſe productus à tali cauſa, neque ab alia cauſa per ſe. Vnde ſequitur, negari non poſſe, quod cæleſtia corpora habeant concurſum aliquem, circa effectus per accidens ſubſequutos, ex concurſu, & effectu, quem per ſe intendunt, ac per ſe producunt; alioqui dabitur effectus extra cauſas, vel non productus ab aliqua cauſa, quod patet eſſe abſurdum. Conſequentia vero probatur, quia cauſa, nihil producit, niſi per concurſum: ſi ergo nulla cauſa concurrit ad caſuales effectus, à nulla cauſa producentur, vel ſi ab aliqua, ſine concurſu producentur, quod exemplo declaratur. Impedit planeta vnus per effectum ſiccitatis effectum alterius planetæ, & ex tali impedimento ſequitur per accidens & caſu effectus alter, vt extinctio meſſium, & ſterilitas terræ, cuius erit cauſa per accidens idemmet planeta innuens ſiccitatem, ad cuius productionem per accidens ſequitur; habebit igitur reſpectu talis effectus per accidens ſecutum concurſum ſaltem per accidens.

Reſpondeo, nec dari influxum per accidens, ne-

que cauſam per accidens vllo modo influere in effectum per accidens, quia ſicut ſequitur, præter inclinationem & intentionem cauſæ per ſe, ita ſequitur præter operationem, & conſequenter præter eius influxum, quia influxus agentis non eſt aliud, quam ipſamet operatio, pro vt à ſe procedens. Operatio vero non poteſt niſi ex inclinatione agentis, atque ex intentione eius procedere. Quare ſicut caſualis effectus non poteſt per operationem procedere, qua producitur effectus per ſe, ita nec ex influxu per ſe, præter quem non datur alter influxus eius, ſicut nec datur alia operatio, ſed ſine operatione, & influxu agentis per ſe, ſubſequitur effectus per accidens. A quo vero agente, vel per quam operationem, & influxum producatur. Reſpondeo non poſſe produci ab vllo agente, naturali, particulari, vel vniuerſali, nec per concurſum eius, quia omne agens naturale operatur ex determinatione ad vnum, hoc eſt, ad eum dumtaxat effectum, in quem ordinatur natura, & inclinatio eius, & cum neque ordinetur ad concurſum cum alia cauſa, neque ad impedimentum actiuum, vel paſſiuum eius, hoc eſt, nec ad eam impediendam, nec vt ab ea impediatur, ſed vtrumque ſit præter inclinationem, & intentionem eius, non poteſt concurſus, vel impedimētum per operationem, ſeu actualem concurſum eius fieri; & ex conſequenti neq; effectus per accidens, vel caſualis, qui ex tali concurſu eius cū altero ſequitur; neceſſe eſt, dari aliquā cauſam liberam, & vniuerſaliſſimam, à qua per ſe fiat; liberam quidem, vt poſſit per ſe illum intendere, cum probatum ſit, non poſſe intendi à cauſa naturali, propter intrinſecum modum operandi, ex determinatione ad vnum: vniuerſaliſſimam vero, hoc eſt, primam, à qua intrinſecam dependentiam habeant effectus omnes

omnes,concurſus omnes,& omnium cauſarum operationes,& proinde cuius concurſum nullus effectus, nullus concurſus, nulla operatio aliarum cauſarum effugere poſſit,neque eſſe vllo modo in rerum natura niſi per concurſum eius fiat & conſeruetur. Ab hac igitur ſola cauſa intenduntur, & fiunt per ſe effectus, concurſus,omnesve occurſus aliarum,& impedimenta omnia,quæ viciſſim ſibi præſtant, & effectus omnes per accidens, atque caſuales, quæ ſine concurſu vllius alterius cauſæ vniuerſalis, vel particularis ſequuntur, ſed per ſolum concurſum primæ, reſpectu cuius nihil per accidens,caſuale nihil,nihil fortuitum vocari debet,nec poteſt, ſed omnia dependent per ſe, & fiunt per ſe ab ea, & ſolum vocantur aliqui effectus caſuales, vel per accidens, aut fortuiti; reſpectu aliarum cauſarum,à quibus ſicut intendi non poſſunt, ſic nec fieri,vel produci. Ex quo infero, quod ſi hæc prima cauſa,nempe,Deus optimus,& maximus, non foret libera,ſed naturalis,ex determinatione ad vnum agens,repugnaret prorſus, per concurſum eius ſequi effectus per accidens,vel caſuales,& ideo nihil caſuale,aut per accidens daretur, nec dari poſſet in natura rerum, quia non poſſet per concurſum alicuius cauſæ fieri,ſine vllo vero concurſu ſequi, non eſt intelligibile.

Vt autem clarius,ac facilius expediatur fundamentum oppoſitæ ſententiæ, adnotanda eſt diſtinctio inter cauſas naturaliter operantes,& liberas, quod illæ operantur,ex determinatione ad vnum, & propterea eos dumtaxat effectus intendere, edere poſſunt, in quos virtus eius naturaliter inclinatur,& non alios,& ad eos tantum influxum præſtare poſſunt:liberæ vero indeterminatæ, atque indifferentes ſunt ad plures effectus, & quemlibet eorum intendere valent. Vnde

circa eum quoque effectum,qui ex concurſu duarum cauſarum ſeſe impedientium ſequitur,verſari per ſe poſſunt,& ſi ſubſint poteſtati earum,per ſe intendere, & per ſe producere , & cum omnia ſubſint poteſtati diuinæ voluntatis,omnes effectus per ſe aliarum cauſarum,vel per accidens eos conſequentes , poteſt intendere per ſe ; & vere omnes per ſe intendit , & per ſe producit , neque vllus eſt , qui influxum eius effugere valeat , quantumlibet præter intentionem cauſarum naturalium, vniuerſalium , & particularium , atque etiam liberarum ſequatur , & caſualis, aut per accidens, reſpectu earum iure vocetur. Ex hoc diſcrimine ſequitur aliud , inter cauſam primam ex vna parte , & cæleſtia corpora ex altera, quantum ad cócurſum cauſarum ſeſe impedientium. Quod cæleſte corpus ſolum poteſt eſſe cauſa per ſe effectus vnius planetæ impedientis alterum , in effectum vero ſubſequutum ex impedimento per talem effectum præſtito , nullum influxum habere poteſt, quia prærer intentionem totius cæli,& omnium partium eius ſequitur. Conſtat enim , nec totum cælum, nec aliquam eius partem intendere concurſum planetarum ſeſe impedientium , nec extinctionem meſſium , nec terræ ſterilitatem ſubſecutam , ex impedimento pluuiæ futuræ intentæ ab vno planeta , & impeditæ per concurſum alterius. Cauſa autem prima, eiuſque efficax voluntas non ſolum intendit,& concurrit ad effectum cauſæ impedientis,& ad impedimentum per eum præſtitum , ſed concurſum vtriuſque per ſe vult,per ſe intendit,per ſe efficit, atque etiam effectum ex tali impedimento per accidens,& caſu ſubſecutum, vult per ſe , intendit per ſe, producit per ſe.

Cæterum D.Thomas de ſolo effectu vnius planetæ,

tæ, per quem impeditur alter cum eo concurrens loquitur,& in eo ſolum ſimilitudinem cęleſtis,corporis cum diuina voluntate aſſignare intendit,non in cęteris, de quibus ingenue fatetur alio loco à nobis citato, præter intentionem cæli eſſe;& ideo etiam comparatione eius caſualis eſſe,& vocari.

QVÆSTIO V.

An, & quonam modo cæleſtia corpora in intellectum,& voluntatem noſtram influant.

CIrca naturam intellectus humani errauerunt Empedocles,Democritus atque Homerus, putantes,materiale quid eſſe,aut corporeum, ſicut ſenſum,vt teſtatur,Ariſtoteles 2.lib.de anima cap.3 textu 150. Ex quo errore in alterum incidiſſe neceſſarium fuit,videlicet,non minus intellectum, eiuſque operationes,quàm ſenſum ſubiici influentiis cæleſtibus, ita vt ſicut directe circa ſenſuum opera imprimere valent,pariter circa intellectum,& operationes eius, & conſequenter circa voluntatem,quia eiuſdem ordinis ſunt potentiæ iſtæ. Ex qua ſententia proceſſit proloquium illud Homeri relatum ibidem ab Ariſtotele: *Talis enim mens eſt terreſtrium hominum, qualem indies inducit pater hominumque, deorumque:* hoc eſt, Iupiter: quem ſummum Deum appellabant, per eum intelligentes totum cælum,vt docet Auguſtinus, 4. lib. de Ciuitate. Et hinc etiam proceſſit Stoicorum error, qui putabant,cogitationem noſtri intellectus cauſari ex hoc,quod ſenſibiles corporum imagines ei imprimuntur,ſicut literæ imprimuntur papyro,etiam ſi nihil efficiat,vt Boetius refert 5.lib.de conſolatione, &

ex

ex ipſo D.Thoma 3.lib.contra Gentes cap.84. & propterea, cum ſubditus ſit influentiis cæleſtibus, tanquam vniuerſali agenti circa eum operanti, ex earum impreſſionibus fiunt in nobis eædem operationes intellectus, & ex conſequenti operationes voluntatis, circa quas influxum habebunt cæleſtia corpora.

Quod probari poteſt ex duobus, ex priori quidem quia non videtur, aliam cauſam deſignari poſſe acrioris ingenij vnius hominis, & hebetioris alterius, niſi quia ille ſub melioribus, magiſque propitiis aſtris cõceptus ſit: quod Ptolomæus in Centiloquio ſignificabat, dicens, cum Mercurius in alicuius natiuitate fuerit in aliqua domorum Saturni, & ipſe fortis in ſuo eſſe, dat bonitatem intelligentiæ medullitus in rebus; ergo bona ingenij qualitas, operationeſque eius ex cæleſti influentia dependet, & ex eius impreſſione procedit; & ex conſequenti bona operatio voluntatis ab intellectu motæ. Ex poſteriori vero, quia conſtat, dęmones, qui puri ſpirituales ſunt, allici, & fugari, quibuſdam herbis, ac lapidibus, quæ idcirco ad magicæ artis vſum conferunt, nec poſſunt effectus iſti intelligi abſque impreſſione aliqua ab eiſdem corporibus, virtute ſtellarum, ſub quarum conſtellatione applicantur, facta circa eoſdem dęmones. Quod confirmat Pſellus in libro de dæmon. aſſerens, nihil fere naſci ſub Luna, quod non ad alliciendos dæmones valeat.

Duplici tamen aſſertione ſoluenda eſt quæſtio propoſita: & prior ſit, corpora cæleſtia non poſſunt agere in voluntatem, aut operationes eius directe, & per ſe, aut immediate, nec etiam circa intellectum, aliquid in eis immediate imprimendo, & oppoſitum eſt error in fide. Aſſertionem hanc tenet communis Scho

Scholaſticorum conſenſus,in 2.diſtin.15.Diuus Thomas 3.contra gentes,cap.84.& 85. 1. part. quæſt.115. artic.5.& 12.quæſt.19.artic.5. ex quibus locis duplicem rationem ſatis efficacem deducere poſſumus; prior talis eſt:corpus propria virtute non poteſt agere per ſe,& directe,in ſpiritum,ſed cælum eſt corpus, & anima rationalis,eiuſque potentiæ intellectus, & voluntatis, atque etiã harũ operationes ſpirituales ſunt, ergo nõ poteſt circa illas operare; vel influere cælum propria virtute per ſe, & directe: maior eſt euidens, quia corpus propria virtute nullum poteſt effectum producere,niſi corporeum, cum debeant proportionari effectus, & cauſa, & ſi ſpiritualem produceret, foret effectus ſua cauſa principali perfectior, ſed ſpirituale ſubiectum incapax eſt effectus corporei in ſe recipiendi,cum ſit ordinis ſuperioris:ergo non poteſt illum recipere à corpore, nec proinde hoc in illud agere, minor vero non eſt minus euidens ex parte cæli, quod corporeum ſit, & conceſſa ab aduerſariis, ex parte vero animæ,quod ſit ſpiritualis, probata eſt à nobis in noſtris libris de anima,ergo vera erit aſſertio noſtra.

Secunda ratio ſumitur,ex D.Damaſceno, 2. libro orthodoxæ fidei, capite 7. vbi tenet, & probat aſſertionem noſtram hoc modo: corpora cęleſtia operantur naturaliter, hoc eſt, ex determinatione ad vnum, & abſque electione, vel libertate, ſi ergo in voluntatem noſtram per ſe, & directe eam mouendo,ad propriam operationem agerent, naturalis quoque,ac determinata,ad vnũ foret operatio eius, non ergo libera,nec ex electione,quod non ſolum fidei contrarium eſt, ſed euidenti experientiæ: quare plane falſum eſt, quod cæleſtia corpora, per ſe immediate; ſeu directe agant, in voluntatem noſtram, vel operationes eius.

Quod

Quod vero contrarium aſſerere, ſit error in fide Catholica, probari poteſt, ex multis locis ſacræ paginæ, ex quibus plane deducitur, ſcientiam, ſapientiam, atque intelligentiam, non à cælo, vel aſtris accipere hominem, ſed à Deo mouente intellectum eius, ac dirigente operationes eiuſdem, & voluntatem non ſolum ex eodem excitari, moueri, ac dirigi, in ſuis actibus, ſed tanquam cauſam liberam eorum, ita vt non modo naturali moueatur, vel ex inſtinctu naturæ, ſicut bruta, atque cætera inanimata mouētur, ſed ingenua excitatione, ac motione, quam recipere, vel reſpicere, operari, vel operationem ſuſpendere in eius ſit poteſtate ſitum. Iob enim 25. *Vbi eſt Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte, qui docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cæli erudit nos.* Et Pſalmo 93. de Deo etiam dicitur: *Qui docet hominem ſcientiam.* Geneſis 4. *Subter te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius,* quibus additur Ieremiæ 10. *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes.* Et ſancti Patres vbicumque de influxu cæli circa humanam voluntatem loquuntur, conſtanter tenent eandem veritatem, quam definiuit Eccleſia in Concilio Bracha. 1. c. 9. & 10. aduerſus Priſcillianiſtas hæreticos.

Aſſertio poſterior communis etiam ſcholaſticorum, quam tenet, & explicat Diuus Thomas, eiſdem locis citatis: indirectè, & quaſi remote, & per accidēs influunt corpora cæleſtia in intellectum, & voluntatem, actuſque harum potentiarum, qui cum dependeant à ſenſibus, & eorum operationibus, ſub genere rerum materialium conſtitutis, per quandam redundantiam attinguntur ab influxu cælorum, quatenus per hunc aliquid imprimitur circa organa ſenſuum, ex qua impreſſione variatur modus operādi illorum, &

& appetitus ſenſitiui, vnde redudare ſolet non parua variatio circa intellectum, & voluntatem. Ita tamen hoc eſt intelligendum, vt per talem influxum cæli circa organa ſenſuum, & eorum operationes non poſſit etiam indirecte cogi, vel neceſſitari voluntas, ſed quocunque eius influxu præſuppoſito, (organum ſuum non ſic lædente, vt ordinatam eius operationem tollat) in poteſtate voluntatis poſitum eſſe, agere, vel non agere, & integram, atque illæſam permanere voluntatem eius. Vbi illud aduertere neceſſe eſt, quod egregie adnotauit Diuus Thomas 1. par. quæſt. 115. artic. 5. videlicet in hoc verſari maximum diſcrimen, inter Angelos & animam noſtram, quod licet omnes ſint ſpirituales ſubſtantię, diuerſa tamen ratione, quia Angeli ſunt ſpirituales ſubſtantiæ completæ, atque perfectæ, non dependentes à corpore, nec potentes illud informare, quare nec à cælo poſſunt, etiam indirecte, & per accidens dependere. Anima vero rationalis, etſi ſecundum entitatem, & ſubſtantiam ſit ſpiritualis, incompleta tamen, & partialis, quæ eſſentialiter poteſt informare corpus, & dum actu ipſum informat, dependet ab eo in ſuis operationibus aliquo modo, atque ex conſequenti voluntas, quanquam magis remote: vnde ſequitur, circa Angelos nihil agere poſſe cælum directe, nec per ſe, aut etiam per accidēs aliquid eis imprimere, quare neque in ſuis operationibus vllo prorſus modo, ab eo dependent, anima vero, propter dependentiam, quam habet à corpore, dum illum informat, indirecte, remote, & per accidens, ab eo dependet in operationibus intellectus, & voluntatis.

Ad primam partem argumenti propoſiti, aduerſus noſtram ſententiam reſpondeo, maius ingenij acumen ex ipſa natura vnius, & alterius animæ præcipue

proue

prouenire, quæ licet eiuſdem ſpeciei ſint, ex differentiis tamen indiuidualibus quædam ſunt perfectiores aliis, quamuis non ita neceſſario, quin reperiri poſſint aliquæ eiuſdem perfectionis, etiã indiuidualis, vt copioſe oſtendimus in noſtris cõmentariis ſuper ſecundum librum de anima. Iuuant tamen maxime meliora organa, ac diſpoſitiones ſenſuum, & hac parte iuuant etiam maximæ influentiæ cæleſtes, & ſigna, in quibus concipiuntur diuerſi homines, atque etiam bonum temperamentum progenitorum, ex quibus ſolum infertur modus indirecte, atque remote agendi cælorum in intellectum, & voluntatem conceſſum, & explicatum in noſtra ſecunda aſſertione. Ad ſecundam partem negamus, quod dæmones alliciãtur herbis, & lapidibus, quia hæc aliquid in eos imprimant, ſed ſolum in quantum ſigna quædam ſunt ex maleficorum pacto tacito, vel expreſſo cum eis inito, cuius virtute accedere, vel recedere ſuis temporibus dicuntur pro effectibus edendis. Quod vero Pſellus ex hoc intulit, de rebus ſuis Lunæ aſpectu ortis, plana falſum eſt.

QVÆSTIO VI.

Poſſint ne Aſtrologi ex ſyderum obſeruatione futura certo præcognoſcere, ac prænunciare.

ASTrologi, diuinatores & iudiciarij multa ſe iactãt certo prædicere, priuſquam eueniant, non ſolum naturaliter, & neceſſario euentura, ſed caſu, atque fortuito, immo, & quæ ex humana libertate dependent; poſſe autem ſe illã certo præcognoſcere, aiunt, in aſpectibus quarundam ſtellarum, quas fatales

les vocant, non quia ſtellæ iſtæ, vel earum facies, aut aſpectus tales effectus futuros efficiant, ſed quia eos, quamuis ab aliis cauſis efficiendos, quaſi denotant, vel ſignificant inſtar literarum: ipſi vero iudiciarij, aut diuinatores eaſdem aſpicientes, quaſi ſe in eis aſpectis legere arbitrãtur futuros euentus, eoſque certo prædicere; vt vero alicuius hominis mores, fortunam, ſucceſſus, ac exitus eorum, certo poſſint eidem prænunciare, certis quibuſdam inſtrumentis, aut rebus vtuntur, ſub aſpectu determinatæ cuiuſdam ſtellæ, aut planetæ, in puncto natiuitatis eius regnantis, ſeu prædominantis, aut talem alium ſitum habentis, vt certam ſtellam in tali diſtantia Solis, vel diſpoſitione inſpicientis, attemperatis, ſeu iuxta poſitis, & iuxta ſignificationem huius, vel harum ſtellarum, cenſent ſibi iudicandum de inclinationibus, aut propenſionibus naturalibus talis hominis; ex quibus colligunt, tales eſſe futuros mores eius, & vitam, ſucceſſuſque in ea interuenientes, & hinc affirmare audent, in Principem, vel Regem eligendum, aut etiam ſummum Eccleſiæ paſtorem, vel ſucceſſus contrarios aduerſæ fortunæ habiturum, quos conſtat, ex libera, ſeu liberis hominum voluntatibus dependere. Hanc autem ſuam poſitionem videntur fundaſſe in illis verbis ſacræ paginæ Geneſis 1. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos*, & paucis interpoſitis, *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas:* Quas ideo colligunt factas eſſe à Deo, vt ſint in ſigna futurorum euentuum: habentque pro ſe Origenem, ita exponentes, vt teſtatur Euſebius Cæſarienſis lib. 6. de præparatione Euangelica, cap. 9. Eſſe autem ſigna non

poſſunt niſi eorum, quæ in mundo inferiori efficienda ſunt, quos ad futuros euêtus vocamus: hi ergo per eaſdem ſtellas, vel earum aſpectus, tanquam per ſigna ſignificantur nobis, & ex conſequenti ducunt nos in cognitionem eorum, & eis inſpectis poterunt ab Aſtrologis cognoſci, ac prænuntiari. Quod proculdubio ſatis erat congruum, vt vniuerſalibus corporibus tanto inferioribus perfectioribus, quanto ab eis remotioribus, inſignis hæc prærogatiua concederetur, vt quaſi ſpeculum nobis forent in quo effecta omnia ab eiſdem inferioribus procedentia inſpicere, ac veluti præcognoſcere poſſemus, priuſquã extra ſuas cauſas procederent, ſicut conſtat in eſſentia diuina, eiuſque idæas perfectius longe præcognoſci à Deo, antequam fiant.

Vt autem plane, ac diſtinctè oſtendamus; quidnam huic poſitioni, & vſui eius concedendum ſit, & quid in vtroque non ſolum damnandum, & execrandum, ſed euidenter falſum oſtendendum, ex principiis veræ Philoſophiæ has aſſertiones ſtatuere, ac probare decreuimus. Prima ſit, & quaſi fundamentum cæterarum: impoſſibile eſt per virtutes, vel aſpectus ſtellarum, liberum aliquem effectum, ſeu euentum, vel aliquo modo ex libertate noſtra dependentem, certo cognoſcere, & ex conſequenti certo prænunciare euenturum ſine euidenti periculo errandi, vel mentiendi, immo ſine frequenti errore, vel mendacio. Hanc probo primo ratione, magna ex parte deducta ex doctrina Diui Thomæ 2.2. quæſt.95. art.5. & ſic procedẽti: vel ſtellæ ſignificant futuros euentus liberos, tanquam ſigna eorum naturalia, vel ſupernaturalia, vtrumque eſt falſum: ergo falſum quoque eſt, quod ſint ſigna eorum; probatur minor, quia ſignum quodcunque naturale, & corporeum, vel eſt effectus

ctus rei, quam ſignificat, vel procedit ab eadem cauſa cum eo. Exemplum prioris præbet fumus ſignificans ignem, à quo tanquam effectus procedit; poſterioris vero Iris in nubibus formatus, qui ſerenitatem quandoque ſignificat, & à cauſa eiuſdem ſerenitatis ſimul, vt effectus procedit, ita vt eadem ſit cauſa ſerenitatis, & Iridis eam ſignificantis vtrique communis; ſed neutro ex his modis poſſunt ſtellæ, vel motus, aut diſpoſitio earum, eſſe ſigna futurorum euentuū liberorum, aut ex libertate dependentium: ergo nec poſſunt naturaliter ſignificare: minorem probo, quia impoſſibile eſt ſtellas, vel aſpectus, ſeu diſpoſitiones earum eſſe effectus rerum, vel euentuum inferiorum, cum iſti nihil in cæleſtia corpora, vel ſtellas imprimere poſſint, vel immutationem aliquam in eis facere, vt per ſeſe eſt manifeſtum; ſed nec poſſunt habere aliquam cauſam cum eis communem, cuius ſint communes effectus, quia prorſus omnis motus, aſpectus, ac diſpoſitio ſtellarum procedit à ſola cauſa ſuperiori, effectus vero liberi, aut ex libertate dependentes, proceduntper ſe, & proprie, ac proxime à cauſa inferiori: quare nullam cauſam poſſunt habere communem, præter diuinam prouidentiam, à qua conſtat, longe diuerſo modo dependere: nam aſpectus, ac diſpoſitio ſtellarum diſponuntur tanquam naturales cauſæ ad vnum determinatæ, & abſque vlla libertate, & neceſſario operantes. Liberi vero euentus, vel ex libertate dependentes diſponuntur futuri per cauſas liberas, non neceſſario, nec ex determinatione ad vnum operantes, ſed ex indifferentia ad vtrumlibet, à quibus proinde non eodem modo proueniunt, ſemper, ſed variis, ac diuerſis modis, & cum frequenti mutabilitate: impoſſibile eſt ergo eſſe cauſas naturales eorum, vel naturalia ſigna. Probatur conſe-

quentia, quia cauſa, vel ſignum eodem modo ſe habent ſemper, & quod ex determinatione ad vnum operatur, vel ſignificat, id cauſare, vel ſignificare non poteſt; quod variis modis, & cum frequenti mutabilitate, ex propria conditione prouenire aptum eſt, & ita ſemper prouenit. Quod vero non ſint ſupernaturalia eorum ſigna euidentius eſt: nam ſi ſupernaturalia forent, repugnat plane, lumine naturali, aut per naturalem ſcientiam, vel notitiam ab aſtrologis cognoſci, vt ipſi iactant ſe eos cognoſcere, ſed per ſolam reuelationem, vel ſupernaturale lumen deberét cognoſci: quod ſatis magnum abſurdum eſt, putare eis talem notitiam communicari, cum ex ſacris literis conſter, Deum ſibi reſeruaſſe eorum pręcognitionem. Temerarium igitur foret putare, vel præſumere ſibi fuiſſe communicatam.

Ex quo ſecundum argumentum deſumi poteſt, non minus efficax, quia Angeli iuxta communem totius ſcholæ conſenſum, per ſpecies ſibi à Deo inditas à principio ſuæ conditionis cognoſcunt, immo perfecte comprehendunt cælum, ſtellas, aſpectus, ac diſpoſitiones, & motus earum, & quæcumque naturalia corpora in toto mundo facta à Deo; atque etiam virtutes, & ſignificationes naturales eorum, cum ſint ſuperiores ſubſtantiæ, quibus debita eſt talis cognitio; ſed conſtat ex ſacris literis, non eſſe Angelis communicatam talem notitiam futurorum euentuum liberorum, aut ex litterate dependentium, vt mox oſtendemus; ergo nec in ſtellis, aut eorum aſpectibus, vel diſpoſitionibus, ſeu motibus, tanquam in ſignis eorũ naturalibus continentur, nec eorum inſpectionibus, aut vllo alio modo poſsũt per eas ab Aſtrologis cognoſci. Ac tandem vrgeri poſſunt rationes iſtæ, quia impoſſibile eſt, ſigna falſitatis, aut mendacij à Deo

à Deo effici, vel inſtitui, ſed euidenti experientia conſtat, Aſtrologos futura prænunciantes ex harum ſtellarum fatalium ſignificatione, aſpectu, vel diſpoſitione ſæpe decipi, & ſæpe euadere falſas eorum prædictiones, vel ergo fatendũ eſt, per eas nõ ſignificari, vel certe falſa, ac deceptoria ſigna Deum condidiſſe, aut inſtituiſſe, niſi forte ignorantiæ eorundem Aſtrologorum adſcribatur frequens earum deceptio, quod ipſi concedere renuunt. Probatur minor, quod decipiantur ſæpe: nam ſi puer ſub tali aſpectu, vel diſpoſitione, ſitu, ac motu talium planetarum, talem vitam, mores, tales ſucceſſus, vel fortunam talem habiturus eſt, qualem ipſi certo prænunciant, euidens eſt, ſub eiſdem ſtellarum aſpectibus, ac diſpoſitionibus in eodem puncto plures alias concipi, aut oriri, quos neceſſe foret, eaſdem profus conditiones habituros: exprimitur tamen habere valde diuerſas; ergo fallacia plane ſunt ſigna, & in earum inſpectiones, ac prædictiones euentuum, vbi conſtat, locum non habere natiuitatis moram, quam prætendunt, quia in eadem prorſus duratione, & in eodem puncto contingunt multæ.

Probatur deinde ex ſacris literis. Iſaiæ 41. *Annunciate, quæ ventura ſunt, & ſciemus, quia dij eſtis vos*, & cap. 46. *Non eſt vltra Deus, nec eſt ſimilis mei, annunciãs ab exordio nouiſſimum, & ab initio, quæ nec dum facta ſunt.* Et expreſſius adhuc capit. 47. vbi Deus Babylonios, & Chaldæos, hiſce verbis reprehendit: *Defeciſti in multitudine conſiliorum meorum, ſtent & ſaluent te augures cæli, qui contemplabantur ſydera, vt ex eis annunciarent ventura ibi.* Quam reprehenſionem iuſtiſſime poſſumus his applicare, qui aſtrologis futura ex eiſdem cauſis prænuntiantibus fidem adhibent. Ex quibus locis Eccleſia aduerſus eoſdem Aſtrologos ſæpe

diffiniuit falſas, & commentitias eſſe tales eorum prædictiones futurorum euentuum, damnans, atque anathematizans iudiciariam facultatem, & eius vſum, vt conſtat ex 2. part. decretorum capit. 26. per primas quinque quæſtiones, & in Concilio Bracha. 1: cap. 9. & Toletano 1. in aſſertione fidei aduerſus Priſcilianum, & Alexandro tertio, vt habetur capite ex tuarum, de ſacrilegiis Sacerdotum, vbi Sacerdotem: qui imprudentia magis, quam impietate per aſtrolabium eo animo conſtellationem obſeruauit, vt auctorem cuiuſdam furti reprehenderet, hac pœna mulctauit, vt per annum integrum non celebraret, monens illud factum cum grauiſſimo ſcelere fuiſſe coniunctum. Denique Sixtus V. celebrem conſtitutionem edidit anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, nonis Ianuarij, & ſui Pontificatus primo, quæ incipit: *Cæli, & terræ creator Deus*, & cuius titulus ſic habet: *Contra exercẽtes Aſtrologiæ iudiciariæ artem, & alia quæcumque diuinationum genera, libroſque de his legẽtes, ac tenentes*, per quam grauiſſimis verbis prohibet omnem diuinationem, prædictionem, ac prænuntiationem futurorum euentuum liberorum, aut ex libertate dependentium, ſapientiſſimis rationibus oſtendens, non ſolum eas, ſed artes quaſlibet, à quibus emanant, vanas eſſe, commentitias, pernicioſas, & à primo mendaciorum omnium parente ortum habentes, quidquid aſtrologi, mathematici, genethliaci, & planetarij eas profitentes, contendant ſe ex variis ſtellarum ſignis, & aſpectibus eas haurire. Merito ergo ſancti Patres plura aduerſus eoſdem ſcripſere, oſtendentes, ſine fundamento prorſus in ſuis prædictionibus futurorum loqui, immo falſa confingere fundamenta, ſtellarum, ac virtutum cæleſtium, vt miſeros homines fidem eis adhibentes decipiant, D. Clemens

Papa

Papa lib.9.recognitionum.D. Auguſt.lib.7.confeſſionum,cap.6.D.Gregor.Homilia,10.in Euang. Epiphaniæ.& plures alios citat Pererius,noſter Rubius quoque lib.2.de diuinatione.

Ex hac autem aſſertione infertur primo, nec poſſe hos planetarios futuros effectus, etiam ex hominũ libertate non dependentes, ſed caſu euenientes certo præcognoſcere ex ſyderum diſpoſitione, & inſpectione, vt quod à lapide cadente interficiatur homo, vel animali aliquo terram effodiente manifeſtetur theſaurus.Probatur hac ratione, effectus iſti caſuales non habent præter primam vllam cauſam certam per ſe,nec naturalem,& ex determinatione ad vnum operantem; nam ideo dicuntur per accidens, vel caſu euenire: ergo nec poſſunt contineri, nec naturaliter ſignificari per ſtellas, vel alias cauſas naturales inferiores,vel ſuperiores:quare nec excogitari poteſt illud principium,in quo vel ex quo poſſint certo cognoſci, vel deduci aut prænunciari antequam fiant, vel eueniant;vnde ſequitur temeritate,& vanitate plenas eſſe eorum prædictiones,vanoſque,& temerarios eſſe eos certo prænuntiantes.

Secundo infertur, non poſſe planetarios certi alicuius hominis, regni, ciuitatis, caſus, aut fortunam, aliasve circunſtantias humanarum rerum, vel negotiorum certo cognoſcere,nec prænunciare. Probatur ex duobus, ex priori quidem, quia horum plura dependent ex libera voluntate vnius, vel plurium hominum, ſed cæleſtia corpora non influunt per ſe in humanam libertatem, vt ſuperiori quæſtione oſtẽdimus;ergo nec poſſunt effectus ex ea dependẽtes certo cognoſci,ac prænũciari ab homine,immo nec ab Angelo, ſecluſa diuina reuelatione: ex poſteriori vero, quia ex ea parte,qua non dependent ab humana liber-

tate, nullam habent cauſam naturalem per ſe, nec certam, aut determinatam, nec ex determinatione ad vnum operantem, in qua poſſint certo præcognoſci.

Infertur tertio, non poſſe eos, qui Phyſionomicam aut Chiromātiæ artem profitentur, ex vultu hominis; nec ex lineis manuum, certo cognoſcere, aut prænunciare futuros hominis mores, fortunam, aut ſucceſſus alios, quod ſic oſtendo. Quamuis lineæ iſtæ, vultus, aut aliqua alia corporis diſpoſitio, aliquomodo indicare poſſit inclinationem hominis ad hæc, vel alia vitia, vel ad hanc, vel illam virtutem, aut manifeſtare aliquam aliam paſſionem, ſemper tamen relinquuntur particulares actus virtutū, aut vitiorum in poteſtate voluntatis eius, ex quibus cum dependeant mores, exitus vitæ, aut ſucceſſus eius, præcognoſci repugnat certo, aut prænunciari, quæ vero ad bonam, vel malam fortunam (vt aiunt) pertinent, partim ex eadem libertate dependent, partim caſualia ſunt, & ex vtroque repugnat certo præcognoſci.

Quarto infero, non poſſe planetarios ex aſpectu, vel diſpoſitione ſyderum, aut planetarum, certo cognoſcere, aut prænuntiare cuiuſcunque hominis temperamentum, aut innatam propenſionem, aut inclinationem; quod efficaciter probari poteſt, quia licet ſydera influxum habeant circa hæc, quia corpora per ſe ſunt, non ſunt tamen integra eorum cauſa, ſed plura alia ad ea concurrunt, videlicet diſpoſitiones materiæ, virtus formatrix, & aliæ cauſæ particulares, à quibus maleficatur concurſus cæleſtis, ſed non poſſunt omnes has cauſas, & diſpoſitiones (quia magna ex parte occultæ ſunt) exploratas habere: ergo nec poſſunt qualitatem affectus certo cognoſcere, & his explicata ſunt omnia, quorū cognitio-

eis

eis denegatur, & quorum certa prænuntiatio damnatur. Superſunt igitur explicanda, quæ certo, vel magna ſaltem probabilitate præcognoſcere, ac prænuntiare poſſunt.

Sit igitur aſſertio ſecunda: ſyderum, planetarumque omniũ ortus, & occaſus, aſpectus, & ecclypſes, & id genus alia ad ſtatum cæli pertinẽtia, certo poſſunt præcognoſcere aſtrologi, ac prænunciare, multo etiã tempore, antequam eueniant, ſicuti expreſſit Sixtus Papa V. in eadem conſtitutione citata non longe à principio, hiſce verbis: *Futuris euentibus ex naturalibus cauſis neceſſario, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent dumtaxat exceptis.* Et ratione probatur: quia iſthæc omnia non ex libero arbitrio, nec ex inferioribus cauſis modificantibus, ſed ex ſola diſpoſitione, ordine, ac motu cælorum, ſtellarumque dependent, in quibus ſuas habent determinatas, certas ac naturales cauſas, quas abſque dubio poſſunt exploratas habere per ſcientiam ipſam aſtrologiæ, & multo tempore antequam fiant; ergo poſſunt ea certo cognoſcere, ac prædicere, ſine vlla temeritate, aut errandi periculo, certitudine quidem phyſica, vel naturali: nam cum poſſit Deus immutare leges, & motus, ac diſpoſitiones aſtrorum, pro ſuo beneplacito, ſicut feciſſe cõſtat in bello Ioſue, in horologio Achaz, & in ſanctiſſima morte Saluatoris noſtri, poteſt etiam deficere, quod per aſtrologiam cognoſcunt, principiis eius in eodem ordine, motu, ac diſpoſitione cælorum innitentibus, per ſupernaturalem potentiam Dei.

Aſſertio vltima, morbos, frigora, tempeſtates, ſterilitatem terræ, pluuias, ſiccitates, ac terræ motus vniuerſales, poſſunt ſæpe præcognoſcere aſtrologi, ac prænuntiare certa quidem cognitione, ea cer-

titudine,quam habere poſſunt,naturales cauſæ,ac naturales ſcientiæ,non quidem nunquam deficiente,ſed raro,vt plurimum vero eueniente.Hæc etiam abſque dubio continetur,& colligitur, euidenter ex illis verbis Sixti Quinti: *Futuris euentibus ex naturalibus cauſis neceſſario, vel frequenter euenientibus*: nam per effectus euenientes neceſſario intelligit effectus cæleſtes, & de his locuta eſt aſſertio noſtra præcedens, & naturaliter deficere repugnat,non dependētes ex vllis cauſis inferioribus,ſed ſolū ex naturali, ac neceſſaria diſpoſitione,& motu cælorum, nō impedibili naturaliter, quare talis euētus naturali deficere repugnat,per effectus vero frequēter eueniētes ex cauſis naturalib⁹, nō eoſdē effectus,qui in ſolis,cælis,atq; ſtellis fiūt,nā iſti nō ſolū frequenter eueniunt, ſed ſemper, & ideo non poſſunt naturaliter, ſed per miraculum dumtaxat impediri,aut deficere; ſed eos,qui ex naturalibus cauſis inferioribus,aut ſublunaribus proueniunt, de quibus conſtat,aliquando(licet raro) deficere, vt conſtat de hyemali frigore,& pluuia,de verna ſerenitate & calore,ac de procreatione fructuum, quæ nihilominus certitudinem naturalē habere dicuntur, quamuis infimam, ſufficientem tamen ad generandam naturalem ſcientiam.Hos igitur effectus, & per hanc certitudinem poſſe ſane præcognoſcere, & prænunciare aſtrologos,aio,quia cauſas habent certas,& determinatas, atque ex determinatione ad vnum operantes, quas(vti proportionatas) poſſent exploratas habere; ſed addidi in vniuerſali, quia effectus iſti dupliciter ſumi poſſunt, nempe in ordine ad totam terram, vel ſaltem ad regionem aliquam magnam eius, vt ad Europam,vel aliam eiuſdem extenſionis,aut ſimilis, atque etiam in ordine ad magnum temporis ſpatium,vt ad annum,aut quid ſimile, aut in ordine ad vnam vel

alteram

alteram prouinciam peculiarem,aut ciuitatem , & ad paruum , magiſque determinatum tempus , nempe vnius diei,vel vnius Lunæ quadrantis:& modo priori vniuerſaliter dicuntur conſiderari magis , vel minus, pro maiori , vel minori extenſione : morbos igitur, tempeſtates,ſterilitatem terræ,aut terræmotus , iuxta priorem conſiderationem certo poſſunt præcognoſcere,aut prænunciare; iuxta poſteriorem vero , non certo,etiam certitudine naturali effectuum raro deficientium,ſed ſola probabilitate, etiam frequenter deficiente.Rationē vero huius differentiæ aſſigno, quia licet eaſdem habeant cauſas effectus iſti,vtroq; modo cōſiderati:ſed nō eodē impedibiles, nam in ordine ad totā terrā,vel maximā partē eius,& ad magnū tēporis ſpatium raro impediuntur , frequenter vero ex toto, vel maxima ex parte , ſi in ordine ad vnam , vel alteram ciuitatem,ac terminos eius, vel etiam in ordine ad paruum , magiſque determinatum tempus accipiantur. Quod efficaciter poteſt à poſteriori probari: nam experimur,rariſſime contingere ſterilitatem totius terræ , vel partis eius maximæ , vt quod fructus nullibi prorſus procreentur,aut in tota Europa,quod per totam terram,aut Europam totam , peſtis graſſetur,vel pluuiæ deficiant,in Bethica vero,aut Caſtellana prouincia,vel intra terminos huius, vel illius ciuitatis,ac pro paruo tempore quadrātis Lunæ,vel vnius diei, non raro , ſed frequenter aliquid horum euenit; ergo naturales cauſæ facilius impediri poſſunt,& impediuntur modo poſteriori conſideratæ , modo vero priori raro,quare certo poſſunt effectus, vel priuatio eorum præcognoſci,& prænunciari in cauſis naturalibus modo priori , modo vero poſteriori , probabili tantum cognitione ſæpe deficiente:& hinc eſt, quod Aſtrologi hos euentus prænunciantes in vniuerſali

raro

raro falluntur, & fere ſemper eueniunt, vt ab ipſis prænuntiantur (ſi peritiſſimi in ſua ſint facultate, & maxima diligentia adhibita decernant) prænunciantes vero eoſdem in particulari ſæpe decipiuntur, quia frequenter experimur, aliter euenire, ac ab ipſis prænunciantur. Et ratio huius deceptionis eſt, quia vniuerſales cauſæ modificantur à particularibus, & proximis, à quibus productio effectuum maxime dependet, & ideo ex earum mutatione impediri poteſt: ſed conſtat, particulares cauſas non poſſe eſſe ab eis exploratas, in particulari; vt ventum nubis diſſipantem, aut congregantem in hoc vel illo particulari terræ ſitu, tali tempore regnaturũ, quod à nemine poteſt certo præcognoſci, propter occultiſſimam eius cauſam, iuxta illud Chriſti, Ioannis. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat*: ergo non poſſunt iſti effectus in particulari certo præcognoſci: ex quo dependet, vt pluuiæ tali tempore generẽtur, vel generari debeant, ex quo abſque dubio contingit, prædictiones horum futurorum falſas reddi magna ex parte, & ideo certas non eſſe, etiam certitudine naturali, in quo aſſentior Patribus Conimbricenſibus. Sed diſſentio ab eiſdem in alio, quod abſque vlla diſtinctione negant, hos effectus præcognoſci, aut prænunciari poſſe ab Aſtrologis certo iudicio, certitudine naturali, ſed probabili dumtaxat, quod tamen negandum eſt, ſi ſub tradita diſtinctione, quia iuxta primum membrum eius efficaciter probauimus poſſe certo prænunciari, quamquam ſub alio non certo, ſed probabili iudicio poſſit.

Supereſt Aſtrologorum fundamentum explicare, & rationẽ reddere, ob quam eorum prædictiones ſæpe ſint eiſdem futuris euentibus conſentaneæ, ita vt magna ex parte ſic contingat, ſicut ab eis prænuntiãtur,

tur,& verba quidem Geneſeos ab eis oppoſita, quibus ſtellæ dicuntur à Deo cōditę,vt ſint in ſigna temporum, in duplici ſenſu intelliguntur à ſacris expoſitoribus in eorundem commentariis.In priori quidem ita vt ſigna dicantur,imbrium,ſiccitatum,ventorum, tempeſtatum, ac morborum, & aliorum ſimilium, quas in nauigando nautæ,in ſerendo agricolæ, ac in medendo medici obſeruare poſſint, & ex eorum obſeruatione præcognoſcere, ac prænunciare futuros euentus eiuſdem conditionis,de quibus in vltima noſtra aſſertione loquuti ſumus,dantes eis, quod in vniuerſali poſſint eos certo cognoſcere certitudine naturali,vt plurimum eueniente, aut raro deficiente; in particulari vero,ſolum iudicio ac prædictione probabili,non raro deficiente,ita exponunt D. Chryſoſtomus,Theodoretus,Apolinarius, & Hugo. Poſterior ſenſus non minus literæ conſonat,videlicet,vt dicantur,ſtellæ à Deo conditæ,vt ſigna forent, quibus ordo,ac diuiſio temporum notaretur,hoc eſt, vnde meridies,ac diei, noctiſque horæ ſignarentur:quia prius quam Stellæ,Sol,& Luna fierent,nullum tale ſignum extabat in cælo; quem ſenſum eiſdem verbis tribuunt Beda,Iunolius,Eucherius, & D.Thomas 1.par.quæſt. 70.art.1.

Circa ſecundum triplicem cauſam reddere poſſumus, ob quam non raro conſonant aſtrologorum prædictiones euentibus futurorum, quamuis maiori ex parte mendaces, atque vanæ ſint, ſit autem prima, quam tradit Auguſtinus,4.lib.confeſſionum,capite 3. quia Deus aliquando certas hominum mentes ſic excitat,quaſi inſtinctu quodam ſibi incognito, vt neſcientes proferant,quæ conſulentes in ordine ad alios fines à Deo præſtitutos audire oporteat. Quo fortaſſis modo ſortes,quibus ethnici vti ſolebāt,aliquando exhibe-

exhibebant futurorum ſignificationem, ſed caſuale vtrumque reputandum eſt. Secundam cauſam affert etiam Diuus Auguſtinus, 5. libro de Ciuitate, capite 7. hiſce verbis: *Non immerito traditur, cum Aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondent, occulto inſtinctu fieri dæmonum, non bonorum, quorum cura eſt, has falſas, & noxias opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus, atque firmare, non horoſcopi notati, & inſpecti arte, quæ nulla eſt.* Dæmones vero nec ſtellarum intuitu, nec aliunde futura contingentia, certo præcognoſcere poſſunt, vt egregie Diuus Thomas, 1. parte, quæſtione 75. articulo 2. ex communi ſcholaſticorum conſenſu docet, & probat: nec proinde planetarij ex eorum ſuggeſtione, & ideo eiuſmodi prędictiones eis ſuggerũt, æquiuoca oratione, & quæ in diuerſas partes interpretari poteſt, vtuntur, ita vt ſi res in oppoſitum euenerit, non ipſorum falſitati, aut ignorãtiæ adſcribatur, ſed interpretũ inſcitiæ, tale fuit oraculũ illud, quod Æaci reddiderũt: *Aio te, Æacida, Romanos vincere poſſe.* Poſtrema cauſa, & forte non minus vera, eſt, quia ex multis prænunciatis, impoſſibile eſt, quin vnum, aut alterum caſu eueniat: planetarij vero nimis multa quotidie prædicunt, (ex quibus licet caſu, reſpectu pręnunciationum eorum) plura tamen coincidunt cum his, quæ ex aliis cauſis eueniunt; bene igitur ſtare poteſt, quod fallaces ſint eorum prædictiones, & nihilominus plura ex his, quæ prænunciant caſu, & per accidens, coincidant, cum euentibus per ſe intentis, & per ſe productis à propriis cauſis.

CAPVT

CAPVT IV.

Textus Ariſtotelis.

Figuram autem ſphæricam neceſſe eſt habere cælum.

Breuis expoſitio textus.

INtendit Ariſtoteles capite præſenti docere, cuiuſnam ſit figuræ cæleſte corpus, nec eget diuiſione, quia in eo ſolum ſtatuit vnicam concluſionem, eamque probat tribus argumẽtis. Concluſio talis eſt: Cælum habet ſphæricam, ſeu rotundam figuram; quam probat primo hac ratione; prima figura debetur primo corpori, ſed cælum eſt primum corpus, cum ſit omnium nobiliſſimum, ergo debetur ei prima figura: at ſphęrica figura eſt prima, hoc eſt perfectiſſima omnium figurarum, tam earum, quæ in planis, quam quæ in ſolidis corporibus cernuntur, cum ſimplicior ſit vt pote vna tantum linea, aut vnica ſuperficie conſtans, cui nihil addi poteſt, cum tamen aliæ figuræ pluribus contineantur lineis, aut ſuperficiebus, vt patet: ergo hæc debetur cæleſti corpori.

Secunda ratio procedit ex communi conſenſu Aſtrologorum, qui duplici via procedunt, in conſtituendis figuris, nam quidam corpora diuidunt in ſuperficies, ex quibus componi cenſent, & hi ſolam figuram ſphericam, inter ſolidas, non reſoluunt in plures ſuperficies, cæteras vero in multas reſoluunt, vt pyramidem in quatuor triangulares; alij vero ordinem figurarum aſſignant, ſecundum ſpecies numerorum, accommodando figuras numeris, iuxta quorum ſententiam circulus, tanquam ſimpliciſſima figurarum,

rum, accommodatur vnitati etiam ſimpliciſſimæ in genere numerorum; iuxta vtramque igitur ſententiam, ſphærica figura cenſetur ſimpliciſſima, ideoque prima, primoque corpori (quod eſt cæleſte) debita, colligit Ariſtoteles ex rotunditate primi cæli cæteras cæleſtes ſphæras ſub eo contentas, atque etiam elementaria corpora, eadem rotunda figura prædita eſſe, quia illud, quod rotundo adæquatur; eique continguum eſt, & omni ex parte ab eo continetur, eiuſdem figuræ debet eſſe: ſed conſtat ſic ſe habere ſphæras omnes cæleſtes, reſpectu Lunaris ſphæræ; omnes ergo habent figuram ſphæricam.

Tertia ratio procedit ex motu hoc modo, corpus cæleſte mouetur motu circulari, ita vt vna eius pars ſuccedat in ſpatio alterius; ſi igitur non haberet figuram circularem, ſed aliquam ex rectis lineis, habentesque angulos inter ſeſe diſtantes, fieret, vt in ſpatio vnius anguli alter ſuccederet, & ideo ſpatium hoc nunc eſſet corpore plenum, nempe dum ipſum occupat angulus, & poſtmodum vacuum, cum iam non occupetur ab angulo, ſed ſoli interuallo interiecto inter angulos correſpondeat: quare ſequitur ſupra cælum dari locum, dari vacuum, dari ſpatium corporeum, in quo extendi poſſit corpus, quod conſtat eſſe falſum, quia cum cælum ſit vltimum, ac ſupremum corpus, nihil horum ſupra, aut extra ipſum dari poteſt, & eadem abſurda ſequi aſſerit, ſiue cælum dicatur habere oualem, ſiue pyramidalem, vel quamlibet aliam figuram ab ſphærica diuerſam. Vrget deinde argumentum primo, quia euidens eſt, motum cæli eſſe omnium motuum velociſſimum, quia minus tempus, quàm cæteri conſumit: neceſſe eſt ergo talem motum breuiſſimum fieri per breuiſſimam lineam, qualis eſt circularis, ex iis ſcilicet, quæ percurri poſ-

ſunt

ſunt ab eodem puncto incipiendo, & ad idem redeundo; ergo cælum, quod ex propria natura in circulo velociſſime fertur circularem figuram habere oportet. Vrget ſecundo, quia licet elementa non ſint inter ſeſe continua, nihil vacuum inter ea reperitur, ſed omni ex parte ſe contingunt, atque correſpondent, aqua complectitur terram, aquam aer, aerem ignis, & concauum Lunæ omnia: ſed conſtat de aqua & terra, eſſe corpora rotunda; de terra quidem experientia inferius oſtendenda; de aqua vero probat, quia ad humiliorem ſemper locum confluit, neque vnquam quieſcit, donec æque à centro mundi diſtet; & par debet eſſe ratio de aere, & igne, propter immediatam continentiam, neceſſe eſt ergo, cælum Lunæ omnia complectentem globoſam habere figuram; & pariter ſuperiores ſphæras; ex quibus infert totum mundum ſphæricum eſſe.

CAPVT V.

Textus Ariſtotelis.

Quoniam autem eſt dupliciter in circulo moueri, &c.

Breuis expoſitio textus.

INtendit Ariſtoteles capite præſenti, cauſam reddere, ob quam motus cæli fiat verſus anteriorem partem, hoc eſt, verſus hemiſphærium noſtrum, hoc igitur inquirit, & ſoluit, quia in ſempiternis, quale eſt cælum, ac motus eius, cum ſemper eodem modo ſe habeant, nihil caſu fit, ſed ex inſtituto naturæ omnia, aliquam igitur in eadem habere debent cauſam, cum nihil ſit, quod cauſam non habeat, præter primam, à

qua dependent omnia,quod igitur cælum ſic moueatur,verſus anteriorem partem,& non alio modo,cauſam aliquam habere neceſſe eſt,& eam merito inquirit.Sed videri poſſet alicui,reprehenſione dignum,talem cauſam adeo difficilem inueſtigare velle: nam ſtultitiæ ſignum eſt, poſſibile exiſtimare cauſas omnium,etiam difficilium inuenire,vel certe arrogantis animi,qui ſe omnia explicaturum confidit. Reſpondet nihilominus non ſtatim incuſandos eſſe qui difficiles quæſtiones excitant, ſed inſpiciendum, quo animo id faciant;nam ſi animo oſtentandi ingenium, famamque inaniter occupandi, reprehenſione digni erunt, ſi vero inueniendæ veritatis deſiderio ducantur, maxima eſt habenda eis gratia, ſi quid ingenio, ac labore reperiát,quod aut verum ſit,aut ſaltem vero ſimile videatur. Reſpődet igitur dubio propoſito, aſſerens naturam ſemper intendere id, quod optimum eſt, primaria ſcilicet intentione:nam contingit à primaria impediri, & tunc cum optima non poſſit, quaſi ſecundaria intentione deteriora intendit, & facit, vt contingit in monſtri productione; melius autem, ac præſtantius reputatur, quod cælum verſus anteriorem partē,noſtrumque hemiſphærium, à dextro in ſiniſtrum moueatur, quam modo oppoſito: nam dextrum digniorem partem denotat, à digniori vero motum incipere,in idemque peruenire,præſtantius eſt, & hæc eſt integra huius capitis ſententia.

Sed aduerſus eandem rationem dubitat Diuus Thomas, quia videtur in ea Ariſtoteles vitioſo circulo vti; docuerat autem in ſuperioribus, dextrũ cæli in noſtro Oriente eſſe, quia inde incipit motus eius, nunc vero probat, cælum moueri à noſtro Oriente, quia ibi eſt dextrum,& reſpondet,diſtinctionem partium cæli,in ordine ad motum,cauſam eſſe, ob quam

ab

ab vna potius, quam ab altera incipiat motus; quam diſtinctionem efficit intelligentia, prius applicans virtutem vni, quam alteri, quod vero motus ab illa potius, quam ab alia incipiat, non cauſa, ſed ſignum diſtinctionis earundem partium eſt, abſque vitioſo autem circulo fieri poteſt, vt id, quod prius à ſigno probatum eſt, rurſus probetur per cauſam, quia probatio prior à poſteriori procedit, poſterior vero à priori, & hoc modo proceſſit inpræſentiarum Ariſtoteles, cum in ſuperioribus à ſigno, vel effectu, & ideo à poſteriori proceſſerit.

Tractatus de figura, numero, ordine, & motibus corporum cæleſtium.

QVÆSTIO I.

An cæleſte corpus ſphærica, ſeu rotunda figura præditum ſit.

MAgna fuit inter veteres Philoſophos diſſenſio circa figuram cæli, vt Theodoretus in libro de materia, & mundo, atque etiam Plutarchus ſecundo libro de placitis Philoſophorum teſtantur: nam quidam figuram, quaſi oualem ei tribuebant, alij teſtudini ſimilem, alij denique diuerſas ab his, immo apud Sanctos Patres non fuit concors ſententia; ſed placet, varios omnes modos ſentiendi ad duas extremas claſſes referre breuitatis gratia. Prior igitur ſententia denegat cælo rotundam figuram, eique tribuit figuram potius cuiuſdam tentorij, quam hemicycli vocant, aut fornicis, ita ſenſit expreſſe Diuus Chryſoſtomus homilia 14. & 17. epiſtolæ ad Hebræos, quibus locis reprehendit eos, qui rotundam

ei concedunt ex illis verbis: *Tabernaculi vero, quod fixit Dominus*, ſic loquens: *Vbi ſunt, qui dicunt, moueri cælum, & qui pronunciant ſphæricum eſſe, vtraque enim hæc ſunt ſublata per verbum, fixit:* In eadem fere ſententia fuit Diuus Baſilius, Homilia prima Hexameron poſt medium, vbi ſic de cælo loquitur: *De figura quoque ſatis ſunt ea, quæ idem ille dixit, Dei gloriam enarrando, qui conſtituit, inquit, cælum vt fornicem.* Quorum ſententiam ſequuntur alij ſacrarum literarum expoſitores, quos retulit Diuus Damaſcenus ſecundo libro Orthodoxæ fidei capite ſexto, atque etiam Lactantius libro tertio diuinarum inſtitutionum, capite vigeſimo quarto, vbi deridet eos, qui cælum omni ex parte rotundum poſuere: In quos acrius inuchitur Procopius Gazeus in Commentariis ſuper Geneſim, capite primo & decimo ſeptimo, exponens prima illa verba Geneſis: *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Aſſerenſque eorum ſententiam alienam eſſe à fide Catholica, ideo aduerſus eam in primis vtuntur variis ſacræ paginæ teſtimoniis. Chryſoſtomus quidem obiicit verba illa, ex capite octauo epiſtolæ ad Hebræos: Alij verò alia expreſſiora ex Pſalmo 103. *Extendens cælum ſicut pellem:* Vbi pellis nomine idem, quod tentorium deſignatur: quibus expreſſiora adhuc ſunt alia ex capite quadrageſimo Iſaiæ: *Expandit cælos ſicut tabernaculum ad habitandum.* Arguit deinde ratione Lactantius, quia ſi talis figuræ cælum foret, eandem haberet terra, quam conſtat, vndequaque ab eo contineri, & quaſi circunſcribi, & propterea eiuſdem eſt figuræ: quod ideo abſurdum eſt, quia ex eo fieret corpora omnia, quæ apud nos ſunt, ſeu oppoſita omnia pendere.

Secundo poteſt probari ex ſtellis fixis, de quibus experientia docet, non ſemper æquè diſtare à terra, ſed

Digitized by Google

ſed diuerſis temporibus diuerſam habere diſtantiam, quia dum prope Orizontem verſantur, maiores apparent, cuius non poteſt alia ratio deſignari, niſi quia tunc propinquiores cernuntur: Sol præterea, & Luna noſtris oculis non ſub ſphærica figura; ſed ſub plana apparent, puro etiam, ac ſereno aere: ergo non ſunt rotunda corpora, ſed alterius figuræ ex planis, & ex conſequenti cælum, cuius partes ſunt, vel cui affixa, vel ſaltem cui accommodata. Ac tandem ſi cælo tribuenda eſt rotunda figura, maxime propter rationem Ariſtotelis, quia ſequeretur ex motu eius, extra cælum dari locum, & vacuum, ſed nihil horum ſequeretur, ſi oualem haberet figuram, vel inſtar Cylindri eſſet; nihil ergo obſtat, quin aliquam ex his figuram habeat, potius quam ſphæricam. Probatur minor, quia ſi in figura oui, aut Cylindri deſignetur, axis ab vno apice ad alterum traductus, ita vt cælum circa vtrumque apicem, tanquam circa polos voluatur, nunquam dabitur locus, vel ſpatium, ſine corpore, & ideo nec vacuum, vt conſideranti patebit.

Vrgerique poteſt argumentum, quia capaciſſima figura debetur cælo, cum ſub ſe complectatur totum inferiorem mundum, ſed figura ſphærica ſecundum hanc extenſionem, aut capacitatem eſt omnium minima, vt docet Archimedes in libro de Iſoperemetris: ergo alia potius, quam ſphærica figura cælo tribuenda eſt, & forte quadrata erit congruentior, ob maiorem capacitatem, ac firmitatem, quarum ratione eam plures cælo concedunt Empyreo, vt in calce huiuſce quæſtionis videbitur. Et propter hæc fortaſſe dubius hæſit Diuus Auguſtinus libro ſecundo de Geneſi ad literam, capite nono.

Poſterior ſententia aſſerit, cælum rotundam, ſeu ſphæricam habere figuram omni ex parte perfectam: quam ante tempora Ariſtotelis in Italiam inuexiſſe referunt Pythagoram, & in Ioniam Thalem Mileſium, & hos ſecutos fuiſſe Babylonios, Chaldæos, & Ægyptios: Ptolomæum 3. capite libro primo editionis magnæ, Alphraganum differentia 2. atque etiam Platonem in Timæo. Poſtea vero Ariſtoteles in ſua Schola Peripatetica eam ex profeſſo docuit, atque probauit cap. 4. huius libri, à qua in noſtram Theologicam ita emanauit, vt nemine diſſentiente, eam amplectantur Scholaſtici omnes, tam antiqui, quam recentiores. Sed prius eam ſequutus fuit Cicero ſecundo libro de natura Deorum, & poſt ipſum Diuus Hieronymus in commentariis capite 5. epiſtola ad Epheſios, vbi grauiter eos reprehendit, qui cælum non omni ex parte rotundum faciunt, ſed fornicis inſtar curuatum. Quam ſententiam non ſolum vt probabiliorem, ſed tanquam veram amplectimur, nec ſolum cenſemus, ſacris literis non aduerſari, ſed efficaciter colligi ex illis verbis Eccleſ. 1. *Sol occidit, & in locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa, in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* Quæ omnia præſtare nequaquam poſſet, niſi ſphæricam figuram haberet. Valde etiam his ſimilia ſunt illa verba Eccleſiaſtici 24. vbi diuina ſapientia loquens ait: *Gyrum cœli circuiui ſola.* Præter rationes vero Ariſtotelis capite quarto, à nobis elucidatas, efficaciter probari poteſt ex aſtrorũ motibus, hoc modo: euidẽs experientia docet ſtellas fixas circundare terram, ſeruantes ſemper eandem diſtantiam inter ſeſe, & eas, quæ prope Polum ſunt, moueri in circulum reſpectu eius, intra noſtrum Orizontem, ſeruantes ſemper eandem diſtan

diſtantiam ab ſtellis longius diſtantibus ab eodem polo, non ſecus ac mouentur claui affixi corpori ſphærico apud nos; ergo motus eorum vere circularis eſt, & ex conſequenti ipſæ circularem figuram habent, & cælum, cui affiguntur, & Sol, & Luna mouentur, tam reſpectu terræ, quam maris, paulatim aſcendentes ab Orizonte vſque ad medium cælum, deinde ad Occaſum perueniunt, paulatim deſcendentes, à quo iterum ad ortum circulari motu redeunt; quod fieri repugnaret, niſi cæli quibus affiguntur perfecte rotundi forent, & vndique elementa complecterentur; quod euidenter oſtenditur ex incrementis, ac decrementis Lunæ, ſiue enim corniculata ſit, ſiue plena, ſiue ad plenilunium tendat, per incrementum lucis, ſiue ab eo deficiat per decrementa, ſemper creſcit, atque decreſcit circulariter illuminata à Sole, quod conſtat eſſe impoſſibile, niſi ſit corpus circularis figuræ. Propterea in exemplum demonſtrationis; quia à poſteriori procedentis hanc demonſtrationem attulit Ariſtoteles 1. libro de poſteriori reſolutione, capit. 10. Omne illud, quod in orbem augetur per illuſtrationem eſt corpus ſphæricum, ſed Luna hoc modo augetur per illuſtrationem à Sole; ergo eſt corpus ſphæricum, neceſſe eſt ergo, cælum, cui affixa eſt, corpus ſphæricum eſſe. Et tandem experientia conſtat, diuerſis motibus, & quodammodo oppoſitis moueri planetas, vt inferius explicabimus, & iſti motus diuerſi neceſſario fieri debent ſupra polos, vel partes eorundem cælorum diuerſas à Polis, ſuper quos mouetur cælum ſydereum. Quod non poſſe fieri ſine eorundem cælorum penetratione, vel ſciſſione, ſi figuræ ouales forent, vel inſtar Cylindri, facile à quocunque intelligi poteſt, & ſolum poſſe ſaluari tales motus per circularem figuram ſphæri-

cam.Hanc igitur habere neceſſarium eſt.

Neque ea, quæ ſententia oppoſita attulit, aliquid aduerſus noſtram efficiunt, & in primis non ſignificatur tabernaculi, vel fornicis, aut pellis nomine in ſcriptura figura cæli,ſed officium;quaſi dicatur, ſicut tentorium tabernaculum, vel camera obtegit ingredientes omnes, eos intra ſe recipiens, eodem pacto, cælum eſt quaſi operimentum rerum omnium ſub ſe degentium, & ideo veluti tabernaculum, ſiue tentorium,pellis,vel fornix.Nec etiam,cum dicitur Deum extendiſſe cælum,ſicut pellem,deſignatur figura eius, ſed facilitas condendi illud, & ideo ſenſus horum verborum eſt, quem D. Auguſtinus eadem verba exponens libr.de Geneſi 2. ad literam affert,tam facile Deo fuiſſe cęlum condere,quam facile nobis eſt,complicatam pellem, quam manu tenemus extendere. Quem etiam ſenſum iudicauit plane Iſaias ca.41. hiſce verbis: *Qui extendit veluti nihilum cælos.* Sed nec ratio Lactantij aliquid probat: nā omnia corpora grauia in noſtro, vel oppoſito Hemiſphærio degentia, ſuo pondere,& grauitate ad centrum mundi tendunt, à quo non niſi aſcendendo contra eandem eorum inclinationem deuelli poſſunt, quare non magis pendent, quæ in terra conſiſtunt apud antipodas, quam quæ apud nos, & re vera nihil reperitur pendens in vtroque Hemiſphærio.

Ad ſecundum, negandum eſt, ſtellas in Orizonte minus à nobis diſtare, vel propinquiores eſſe,quā dū in medio cælo verſantur, quin potius, vt ex aſtronomica proportione oſtenditur,plus diſtant in Orizōte. Quod vero maiores nobis appareant,cōcedimus, negamus tamen,rationē huius eſſe maiorem propinquitatem earum: ſed denſitas medij ex vaporum, atque exhalationum congerie cauſata, maiorem illam apparen

parentiam afficit. Vt enim docet Ariſtoteles tertio libro Metheororum capite quarto, atque etiam Seneca libro naturalium quæſtionum capite ſeptimo, quo medium denſius eſt, maiora, atque propinquiora videntur corpora omnia, quod docet experientia in his quæ per aquam cernuntur. Quod adeo verum eſt, vt etiam dum ſunt in medio cælo, aliquando maiores, & poſt modum minores nobis videantur iuxta maiorem, vel minorem vaporum copiam medio permixtam; quare maiores apparent hyemali, quam verno tempore, & flante auſtro, quam borea, quia plures ventus ille vapores excitat; Sol autem, & Luna plana quidem nobis apparent corpora, ob nimiam diſtantiam, propterquam facile viſus decipitur circa figuram, quemadmodum circa magnitudinem: nam de vtroque iſto ſydere iudicat, minoris longe magnitudinis eſſe, quam terram, immo quam turrim, vel aliud corpus apud nos degens.

Ad tertium dicimus, non poſſe vllo modo habere cęlum figuram oualem, vel eſſe quaſi cylindrium, quia repugnaret ſub primo mobili, proprium motum conficere inferiores ſphæras, cum ſuper diuerſos Polos à Polis primi mobilis moueri debeant; quin, aut ſe perfringerent, aut mutuo ſe peruaderent, ſi talem figuram haberent. Et præterea talem figuram habere debet cęlum in ordine ad motum, vt vbicumque, & quomodocumque conſtruantur Poli, non ſequatur ex motu eius vacuum, quod patet non habere oualem, aut quamlibet aliam figuram pręter rotundam. Quod vero additur, figuram ſphæricam minimam eſſe inter omnes, diſtinguendum eſt, nam quoad loci occupationem, quam vocare poſſumus extrinſecam, ſiue externam capacitatem, verum eſt: quoad cauitatem vero, quæ vocari poteſt interna capacitas, potius eſt om-

nium capaciſſima,& talem debuit habere capacitatem cælum potius, quam priorem in ordine ad finem, & effectus,propter quos conditum fuit à Deo.

QVÆSTIO II.

De numero cæleſtium ſphærarum.

PRæſupponendum eſt, ne in quæſtione de nomine hæreamus,nomen cælum, quaſi æquiuocum eſſe, plures,ac diuerſas habens ſignificationes:nam primo accipitur pro ſuperiore parte aëris,iuxta illud Pſalm. *Volucres cæli.*Secundo accipitur pro globo includendo omnes cælos,ſi plures ſunt, idque frequenter in Scriptura vtente nomine ſingulari, vt dum dicitur Matthæi 6.*Cælum,& terra tranſibunt.* Tertio ex multorum ſententia accipitur pro corpore cæleſti ſupremo, ac perfectiſſimo(quod Empyreum vocant) vt cum dicitur Diuus Paulus aſſumptus ad tertium cælum 1.Cor. 15.Vltimo ſumitur pro quolibet orbe, ſeu ſphæra cæleſti mobili, vt Pſalmo 148. *Laudate eum cæli cælorum:* & iuxta hanc vltimam acceptionem procedit præſens controuerſia de numero cælorum. Circa quam duo ſunt hoc ordine diſcutienda;primum, an ſphæræ cæleſtes ſint plures, vel vna tantum; poſtremum ſuppoſito quod ſint plures, quo numero definiantur.

Et circa primum tenet prior ſententia,vnicam eſſe ſphæram cæleſtem,cui affixæ ſunt ſtellæ, & cum quibus mouetur de Oriente ad Occidens: habet vero in profunditate cauitates quaſdam,canalibus ſimiles, in quibus incluſę ſunt planetæ,& per quas mouentur, motu quidem proprio ab Occidente ad Oriens; ad motum vero totius cæli ab Oriente ad Occidens, & motus

motus prior eſt,quaſi piſcium, in mari. Ita ſentit D. Chryſoſtomus homilia 4.in Geneſin, vbi ait,eos, qui multos cælos dicere audent diuinæ Scripturæ auctoritati contradicere,cum Moyſes vnum tantum cęlum eſſe docuerit,ita ſcribens. *In principio creauit Deus cælum,& terram.*Cuius ſententiæ adhæret Acatius in 1. cap. Geneſis, & Andræas Ciſalpinus lib.3.Peripateticarum quæſtionum, quæſt. 4. & adhuc ex recentioribus non deſunt, quibus placeat fundamentum huius ſententiæ.Præter verba Scripturæ, videtur eſſe, quia varij motus cæleſtes,variæque influentiæ in hæc inferiora ſaluari poſſunt, cum vnico orbe cæleſti modo explicato ſe habente;ergo non debent plures admitti; nam res,præſertim grauiſſimæ,præcipuæque vniuerſi partes,non debent ſine grauiſſima,vrgentique neceſſitate multiplicari.

Communis tamen ſententia ſcholæ tenet, plures eſſe orbes cæleſtes : ita ſenſerunt omnes ferme antiquiores philoſophi,Ægyptij,Chaldæi, Locrenſis Pytagoricus,Plato 10.libro de Republica,Ariſtoteles 12. Metaphyſicæ c. 8.tex.47.& ex ſanctis Patribus omnes ferme,qui de hac re loquuntur.Aug.lib.10.de Geneſi, c.29.& in Pſal.32.Ambroſiuslib.2.Hexameron,cap.2. Baſilius homil.3.Hexameron,Damaſcenus 2. lib. Orthodoxæ fidei, cap. 6. & 7. D. Thom. 1. part. quæſt. 68.artic.4.Theodoretus quæſt. 11.in Geneſ.& omnes quotquot cęlum Empyreum ponunt:cum euidens ſit, præter illud dari cælum ſtellatum, & id videntur Aſtronomi tanquam certum præſupponere. Quam ſententiam imprimis colligo ex ſacra Pagina, quæ multis in locis in plurali numero de cælo loquitur Pſalmo 148. *Laudate eum cæli calorum, & omnia, quæ ſuper cælos ſunt:*Eccleſiaſt.24.*Ego feci,quod in cælis orire-tur lumen indeficiens:*Ad Epheſios 4. *Aſcendit ſuper cælos*

cælo

cælorum. Sed ratione probatur ex motu Stellarum, & planetarum, nam planetæ in ſuo motu nec vllum inter ſeſe, neque cum ſtellis ordinem ſeruant. Et ex priori ſequitur non eſſe in eodem orbe, ſed in diuerſis modo motis, ex poſteriori vero non eſſe in eodem orbe cum ſtellis, & ex vtroque plures eſſe orbes cęleſtes. At dicunt oppoſitæ ſententiæ Patroni in eodem quidem orbe moueri ſtellas, atque planetas propriis motibus, atque etiam motu totius cæli, non ita vt ei ſint affixæ: ſed ſicut piſces in mari aquam penetrando, ſeu peruadendo, nec enim ad vnum, nec alterum motum neceſſe eſt, eſſe cælo affixas, nam piſces in aqua vtrumque motum habent, etiamſi non affigantur, ſed diſcontinui ſint, propriam quidem peruadendo, ac diuidendo aquam: & prætereа mota aqua verſus quamlibet differentiam loci eos ſecum rapit: ita ergo de ſtellis, ac planetis intelligi poteſt. Sed argumentum ſecundum probat, hoc eſſe falſum, & impoſſibile: nam vel ſtellæ mouentur diuidendo cælum, vel per quoſdam circulos, & quaſi canales, quos à natura habet, ſed vtrumque eſt falſum. Primum quidem, quia ex eo ſequitur, cælum eſſe corruptibile, nam per diuiſionem tandem corrumpitur corpus diuiſum in minutiſſimas partes, præſertim ſi nõ ſit fluidum & facile diſſipabile. Quod non habere cælum docent verba illa Iob. cap. 37. quibus dicitur, cælum eſſe quaſi aere fuſum, quod eſt eſſe ſolidiſſimum corpus. Si vero mouentur non diuidendo cælum, ſed quaſi per canales, quos à natura habet, hinc quæram, an cauitates illæ, ſiue canales ſint vacui omni corpore, vel aliquo pleni. Si primum, dabitur vacuum in natura rerum, contra totam Scholam Philoſophicam, & efficaciſſimas rationes, quas ſuo loco attulimus. Si vero ſint pleni corpore aliquo, aut tale corpus eſt eiuſdem naturæ cum cælo, vel diuerſæ, ſi

eiuſdem

eiuſdem, falſum eſt, quod ſemper diuidatur per motum, quia ſequitur eſſe corruptibile, ſi vero ſit naturæ diuerſæ, ſequitur violenter ibi detineri. Dabitur ergo aliquid violentum à natura, atque etiam in eo ſtatu perpetuo permanſurum, & vtrumque eſt falſum. Impugnatur tandem, quia ſtellæ in ſuo motu retinent eandem diſtantiam inter ſeſe, ſicut claui affixi moti in corpore ſphærico: ergo neceſſario fatendum eſt, cælo affixas eſſe. Diuum autem Chryſoſtomum conatur exponere, & conciliare cum communi ſententia D. Thomas 1. parte, quæſt. 68. arti. 4. aiens, nomine vnius cæli intelligere vnum corpus, quod eſt ſupra terram, & aquam, plures ſphæras particulares, atque diſtinctas continens, quas communis ſententia aliorum Patrum in plurali numero plures cælos vocat. Sacræ literæ iuxta proprietatem Hebraicæ linguæ, in qua magis conſuetum eſt, cælum in numero plurali ſignificari, quam in ſingulari, paſſim loquuntur in eodem plurali numero, cælos cælorum, ad diuinas laudes excitandas, quo pacto eas intelligit idem Chryſoſtomus.

Præſuppoſito ergo, quod plures ſint ſphæræ cæleſtes, quærimus ſecundo, quo numero definiantur, (de qua re ſe dubitaſſe aſſeruit Auguſtinus.) Et quidem duas tantum poſuiſſe reperio. In qua ſententia fuit D. Theodoretus, quæſt. 21. in Geneſim, vbi hæc verba ſcripſit: *Qui non credit ſecundum cælum eſſe rectam ſemitam, tranſgreditur; qui vero plures nominare conatur, adhæret fabulis, poſtpoſita Diuini ſpiritus doctrina: nam Moyſes duos tantum cælos numerat, alterum factum ante lucem, alterum factum poſt lucem ex natura aquarum.* Atque etiam D. Damaſcenus 2. lib. Orthodoxæ fidei, cap. 6. vbi aere excepto, duos tantum cælos aſſignauit. Alij vero tres poſuere, vt D. Ambroſius 2. libro Hexameron, capite

etiam

etiam 2. vbi tertium cælum negare ſe non poſſe ait, plures vero non addit:quod videtur valde conſentaneum doctrinæ Diui Pauli 2.ad Corinthios 12. ſic de ſe loquentis: *Scio hominem raptum vſque ad tertium cælum.*Præſertim,ſi per tertium cælum intelligatur Empyreum, vt D. Thomas cum aliis intelligit 22.q.175. art.3.hiſce verbis: *Et ſic tertiũ cælum dicitur Empyreum, quod dicitur tertium reſpectu cæli aerei, & cæli ſyderei, vel potius reſpectu cæli ſyderei, & reſpectu cæli aquei, ſiue Cryſtallini,&c.* Conſonat etiam rationi deſumptæ ex illo, quod docet Ariſtoteles,libro 12.Metaphyſicæ, capite 8.textu 48.videlicet,motum cæli eſſe propter motum aſtri ei affixi. Ex quo argui ſic poteſt, ſupra cælum Empyreum nullum eſt aſtrũ, cũ cælum hoc ſit ſupremum:ergo nulla eſt ſphæra cæleſtis, niſi abſque fine aliquo, & fundamento velit quis eam ponere:ergo ſi Empyreum omnino eſt tertium, vltra quod non eſt aliud,tres dumtaxat numerari poſſunt ſpheræ cæleſtes,vt ſentit D.Ambroſius.

Alij tandem, ſphæras octo numerandas cenſent: ſeptem quidem; quibus ſeptem planetæ affixæ ſunt, videlicet,primam Lunæ,ſecundam Mercurij,Veneris tertiam,Quartam Solis,Martis quintam,Iouis ſextam Saturni ſeptimam,octauam vero pro ſtellis, quas fixas vocant,quia in hac octaua ſphęra firmiter inſidẽt, & motu eius mouentur, & propterea firmamentum vocatur.Quare de eis cõſtat,diſtare plus à terra,quam planetas, hunc numerum ſphærarum cæleſtium poſuere omnes ferme Ægyptij,& Chaldæi,Timęus Locrenſis Pythagoricus, Plato 10.libro de Republica,& tandem Ariſtoteles 12.libro Metaphyſicæ cap.8.textu 47.& ſic omnes intellexerunt,cælum ſydereum, ſicut eſt octauum,ita eſſe vltimum, aut etiam primum, & cum cenſuerint,moueri omnes,cælum hoc vocarunt mobile

mobile primum, quod ſuo motu rapit cæteros, illoſque motus complete facit viginti quatuor horarum ſpatio, quamuis proprios motus tardiores habeant. Fundamentum huius ſententiæ potiſſimum eſt, diuerſi motus planetarum, qui continua obſeruatione cognoſcuntur: nam ſeptem planetæ aliquando inter ſe ſe ſeparari conſpiciuntur, atque etiam aliquando ſibi viciniores fieri, vt in Sole, & Luna cunctis eſt manifeſtum, neceſſe eſt ergo, vel eſſe orbes diſtinctos, vel diuerſis orbibus affixos eſſe, in quibus moueantur, quia repugnat in eodem motu eiuſdem ſphæræ hanc diuerſitatem, immo oppoſitionem inter partes reperiri, & numerus iſte cæleſtium orbium diu receptus fuit in Schola, ſed progreſſu temporis Aſtronomi plures, vt Ptolomæus Alexandrinus, Alphraganus, & alij diuturna obſeruatione ſe cognouiſſe teſtati ſunt, cælum ſydereum, ſeu firmamentum nonnihil retrogredi verſus partem Occidentalem centum annis vno gradu, vnde collexerunt, non eſſe primum mobile, ſed hoc motu ſe mouere ab Occidente in Orientem, ſex millibus annorum perficiẽdo talem motum ſibi proprium: motum vero diurnum ab alio corpore cæleſti ſuperiori habere, quia repugnat, motus adeo oppoſitos poſſe conuenire eidem corpori, niſi alter conueniat ei ex propria natura; alter vero quia rapitur à corpore ſuperiori, & propterea neceſſario addendum eſſe aliud cælum, quod ſit primum mobile ſecum rapiens ſtellatum, & alios inferiores planetarum, eoſq; compellens ad compellendum ſuum motum ſpatio vigintiquatuor horarum, quamuis proprios tardiores habeant. Poſt vero Aſtronomi poſteriores, vt Thebitius, Alphonſus Hiſpaniarum Rex, Georgius Purbachius, & Ioannes Monte Regius, præter hos duos motus in eodẽ firmamento cognitos, tertiũ animad-

uerte

uerterunt, quem vocarunt acceſſus, & receſſus, aut motum trepidationis, quia ſtellæ viſæ ſunt, quaſi in vnam partem aliquando inclinare, videlicet verſus vnum polum, quandoque verſus alterum, qui motus non poteſt conuenire eidem cælo ſtellato (cui affixæ ſunt ſtellæ) ex propria natura, cum habeat alterum ab Occidente in Orientem, quem abſoluit triginta, & ſex millibus annis; neceſſe eſt ergo, ſupra ipſum ponere aliud cælum nonum, quod naturaliter moueatur motu trepidationis, & ſecum rapiat per talem motum cælum ſtellatum, quaſi faciens ipſum trepidare, & ſupra nonum cælum trepidationis decimum, quod ſit primum mobile perficiens motum proprium ſpatio viginti quatuor horarum, ſecumquè rapiat inferiores orbes, eos faciēs motu diurno moueri eodem modo. Præter hos vero decem orbes reſtat cælum Empyreum immobile, quo completur numerus vndecimus à multis iam in Schola receptus.

Sed aduerſus duos illos cælos ſuperadditos, nonum videlicet, ac decimum obiiciunt recentiores quidam hoc modo: etiamſi obſeruationes Aſtronomorum de motu retrogrado cæli ſyderei, ac de quorundam aſtrorum trepidatione in eo veræ ſint, non compellunt duos cælos addere. Sed poteſt quiſpiam excogitare, cælum hoc moueri à ſua intelligentia vno quidem, atque eodem motu, ſed ex illa parte retrogrado, atquè etiam ex parte quarundam ſtellarum, quaſi trepidante, & ita non erit neceſſarium, alios motus multiplicare diſtinctos, & minus neceſſarium, multiplicare duo alia corpora cæleſtia. Nihilominus obiectiò hæc non habet difficilem ſolutionem, hoc modo à poſteriori ex effectibus explicandam: nam communis ſententia ponens ſphæras ſeptem pro totidem planetis, & octauum cęlum, cui affixæ ſunt ſtellæ

ſtellæ (quod vocat primum mobile) aſſerit, primum mobile ſuo motu rapere cælos omnes inferiores planetarum, efficereque, vt motu diurno ſecum moueantur. Quo ſuppoſitio neceſſarium erit, omnes conditiones eius participare motus orbium inferiorum, in quibus planetæ inſident, ſi igitur cum retrogradatione illa, & trepidatione mouetur primũ mobile, neceſſe eſt eadem participare motum diurnum Solis, & Lunæ, aliorumque planetarum, qui cum ſint terræ proximiores (præſertim Luna) conſpiceremus in motu eius tales defectus, quos nemo Aſtronomiæ peritus adnotauit. Signum igitur eſt, non dari in eodem motu cæli ſyderei, ſed in motu alterius corporis ſuperioris, & ideo ſi veræ ſint obſeruationes, ex eis deducetur nonum, ac decimum cælum, multiplicandum ſupra octo, quæ Ariſtoteles, & alij antiquiores Philoſophi poſuerunt.

Nihilominus noſtra ſententia eſt, valde probabile eſſe, nouem dumtaxat ſphæras cæleſtes ponendas eſſe, videlicet ſeptem pro ſeptem planetis, ita vt ſinguli in proprio, & cum proprio cælo moueantur: octauam ſpæram, in qua ſtellæ fixæ ſint; & firmamentum, ac primum mobile vocetur, ſecum rapiens cælos planetarum, vt poſuerunt Ariſtoteles, & cæteri antiquiores Philoſophi; & tandem ſupra omnes cælum Empyreum, tanquam beatorum ſedem, de quo nonnulla dicemus quæſtione ſequenti. Ratio autem, quæ me mouet, ad non multiplicandum duas illas ſphæras, eſt; primo, quia iuxta vniuerſale illud principium, non ſunt multiplicandæ entitates reales, maxime completæ ſine vrgenti neceſſitate. Sed non affertur vrgens argumentum, quo probetur duo illa cæleſtia corpora addenda eſſe, præter nouem

enumerata: ergo non ſunt multiplicanda. Minorem probo, quia ſolum multiplicata ſunt propter Aſtronomorum teſtimonium aſſerentium, duos illos motus ſe obſeruaſſe, nempe retrogradum firmamenti ab Occidente in Orientem, adeoque tardiſſimum, vt vnam circulationem non minus, quam ſex millibus annorum ſpatio abſoluat, deinde motum trepidationis, quem ſtellæ nunc accedendo, nunc vero recedendo à polis oſtendunt, quos motus conſtat non poſſe naturaliter conuenire eidem firmamento, neque ſimul cum motu diurno ab Oriente in Occidentem, & propterea neceſſarium eſſe multiplicandum aliud cælum, cui vnus motus eorum conueniat naturaliter, & proinde aliud, quod ſit primum mobile, & idemmet firmamentum cum cæteris omnibus ſphæris inferioribus ſecum rapiat ab Oriente in Occidentem, compellens circulationem abſoluere ſpatio viginti quatuor horarum; firmamentum vero, ſeu ſtellatum cælum; ſolum moueri naturaliter motu illo tardiſſimo.

Sed obſeruatio vtraque cum primis lubrica eſt, & valde incerta, & parum probabilis, neque tanti momenti, vt compellat, duo cæleſtia corpora multiplicare: ergo non ſunt propter eam multiplicanda. Probatur minor, quod incerta ſit; quia motus eſt ſenſibile commune, circa quod paſſim ſenſus decipiuntur, præſertim ad maximam, & prope infinitam diſtantiam, qualis eſt ea, quæ verſatur inter nos, & octauum cælum; ergo facile eſt viſum in obſeruationibus illis decipi, ita vt talibus motibus moueri ſtellas iudicet, aut cælum ipſum, cum vere non moueantur; & hanc probationem minoris vrgeo ex duobus, ex priori quidem, quia longe minus

minus à nobis diſtat Sol, quam ſtellatum cælum; & tamen circa magnitudinem eius decipimur, iudicantes longe minorem eſſe, quia magnitudo commune ſenſibile eſt,& longe diſtans; ergo facilius decipi poſſunt Aſtrologi, circa motus illos particulares firmamenti, ac ſtellarum eius, iudicantes dari, cum non dentur. Ex ſecundo vero, quia motus, qui tribuitur firmamento, tanquam proprius tardiſſimus eſt, cum vnam circulationem non compleat minus, quam ſex millium annorum ſpatio; ergo eſt imperceptibilis per ſenſum, præſertim ad tam magnam, & pene infinitam diſtantiam; quare repugnat, per ſenſum iudicare, quod moueatur tali motu, & proinde quod eius ratione multiplicandum ſit aliud cæleſte corpus, quod ſit primum mobile, ad cuius motum diurnum moueatur.

Et argumentum hoc fortius conuincit, de acceſſu, & receſſu ſtellarum, quæ cum ſint corpora in infinitum pene minora eodem firmamento, cui affixę ſunt, & motus earum non velocior, longe minus perceptibile erit per ſenſum.

Sed audio duplicem ſolutionem huius argumenti; quam pro Aſtrologis excogitare quis poterit: priorem quidem, quod licet tardiſſimus motus firmamenti, ac ſtellarum eius, non ſit perceptibilis ſenſu, dum ſit, aut ſtatim, ac facta eſt aliqua eius pars, tamen poſt longum temporis interuallum percipit, quod aliquem (licet minimum) motum abſoluerit, quemadmodum conſtat nobis, arbuſta creſcere, quorum incrementum ſenſu non percipimus, dum ſit, nihilominus elapſo aliquo tempore creuiſſe cognoſcimus, & iuxta philoſophiæ principia, motu continuo, quamuis ſenſu imperceptibli. Sic ergo motum proprium firmamenti tardiſſimum non percipi-

Digitized by Google

mus fieri, elapſo tamen tempore aliquo, ſenſu percipere poſſumus, motum fuiſſe, & nouam præſentiam, vel nouum eius modum comparaſſe. Ex quo cognoſcimus motum eius, & hoc modo potuit continua Aſtrologorum obſeruatione colligi proprius firmamenti motus, quantumlibet tardiſſimus, atque ex eo non moueri motu diurno tanquam ſibi proprio, ſed raptum ab alia ſuperiori ſphæra, neceſſario mutiplicanda. Poſterior ſolutio excogitari poſſet, quod licet viſus per ſe non poſſet immediate percipere talem motum, poteſt tamen per inſtrumenta quædam arte fabricata: quibus mediis experientia conſtat, ad longe maiorem diſtantiam idem corpus, aut motum eius percipi: tam perfecta ergo elaborari potuerunt ſimilia inſtrumenta, vt eundem motum firmamenti (quantumlibet diſtantem) percipere eis mediis quiſpiam poſſit.

Nihilominus neutra harum ſolutionum vim argumenti diminuit; non prior, quia ſi vna circuitio firmamenti eget ſex millibus annis, impoſſibile eſt tempori viginti anorum, aut triginta correſpondere partem ita notabilem eiuſdem circulationis, quæ ſenſu percipi poſſet ab eodem nomine ad tam magnam diſtantiam; conſtat vero ab eodem non poſſe longiorem, magiſque continuam obſeruationem adhiberi, propter vitæ eius breuitatem, ab ea ætate menſurandam, à qua poteſt obſeruationem inchoare, in eamque terminandam, in qua viſus debilitari ſolet: ergo impoſſibile cenſendum eſt, ſimilem motum tardiſſimum per ſe, vel aliquam ſui partem continua obſeruatione percipi ſenſu. Quod argumentum vrgentius probat de ſtellarum trepidatione, propter minorem longe earum magnitudinem, atque etiam propter motum illius ſtellæ (quam polum vocamus) reſpectu

ſpectu cuius deſumitur acceſſus, & receſſus earum: nam polus non eſt immobilis ſtella, cum moueatur ad motum cæli, cui affixa eſt; ſed immobilis vocari ſolet, quia ſuo motu breue ſpatium percurrit, quod ſufficit, vt fallax poſſit reputari obſeruatio Aſtrologi putantis acceſſum, vel receſſum apparẽtem ſtellarum ad polũ, ex parte earum cõtingere, cum propter motum poli eiſdem ſtellis adſcribi poſſit. Poſterior vero ſolutio longe debilior eſt, quia etſi ad limitatam aliquam diſtantiam multum iuuent talia inſtrumenta, & plane efficiant, vt corpus aliquod viſu percipiatur, quod ſine eorum adminiculo percipi non poſſet, cæterum ad tam magnam inter nos, & octauum cælum intercedentẽ, plane eſt impoſſibile, aliquid adminiculi præſtare, vt conſideranti facile patebit, & hæc omnia non parum corroborare videtur motus eiuſdem firmamenti rapti à ſuperiori corpore, quod iſti addẽdum putant; nam per ipſum lubricus valde redditur proprius, magiſque confunditur, fitque ex conſequenti minus perceptibilis ad tam magnam, & pene infinitam diſtantiam, cum ſit tardiſſimus.

Secundum vero, quod in eadem minori argumenti dicitur, nempe obſeruationem aſtronomicam tardiſſimi motus firmamenti, & trepidationis ſtellarum, non eſſe tanti momenti, vt propter eam probabilis efficiatur multiplicatio duarum ſphærarum, ex eo probanda eſt, quia motus cæleſtium corporum ex propria natura ordinatur ad influendum in ſublunaria corpora. Sed ad talem influxum parum, aut nihil prodeſſe poteſt tardiſſimus ille motus firmamenti, & multo minus quarundam ſtellarum, nonnulla trepidatio ex paruo acceſſu, ac receſſu ad polum cauſata, quare incredibile videtur, ob tam leues cauſas auctorem naturæ duo cæleſtia corpora multiplicaſſe, cum

per firmamentum, & cæteros orbes planetarum facile potuerit eoſdem influxus præſtare.

Denique etiam ſi demus illas tres motus differentias in cælo re vera deprehendi non ideo cogimur, ad multiplicanda alia duo corpora cæleſtia: primo, quia forte tempore Platonis, & Ariſtotelis hæ differentiæ fuerunt notatæ, quod negari nequit firmo fundamento, ſine arrogantia aſtronomorum huius temporis, & tamen octonario cælorum numero contenti fuere; non eſt ergo, cur nos compellat prædicta obſeruatio (ſi datur) ad multiplicanda cæleſtia corpora, contra prædictos Philoſophos.

Secundo, omnes illæ differentiæ rectè poſſunt conuenire eidem corpori ratione vnius tantum motus; ergo propter illas non ſunt multiplicanda duo alia corpora cæleſtia. Antecedens probatur, quia ſolum tribuitur cælo ſtellato motus ab Occaſu in ortum ex eo, quod ſtellæ illi affixæ ſpatio viginti quatuor horarum non deſcribunt circulum perfectum ad idem punctum deueniendo; ſed quaſi à tergo aliquantulum manent, ex quo loco rapiuntur alio die motu diurno, idemque quouis die contingit; ſed hoc in vno tantum motu reſpectu vnius corporis tantum poteſt optime ſaluari, ex eo ſolum, quod per illum non perueniat corpus in ſpatio viginti quatuor horarum, ad idem punctum, abſoluendo perfecte circulationem illa duratione, ſiue quia ſic à natura ſtatutum eſt, ſiue quia à corporibus inferioribus, quæ ſecum rapit primum mobile, aliquantulum retardatur motus illius, per impreſſionem impulſus, quaſi contrarij, mediante illorum proprio motu contrario. Et ſimiliter dicendum eſt de motu acceſſus, & receſſus,

receſſus, ſeu de iſta differentia motus (ſi datur) poteſt enim conſiſtere in eodem motu primi mobilis facto per lineam gyratiuam, ita vt ponamus in octaua ſphæra, vel in cælo Empyreo ſuperiori circulum Zodiacum tot gradus continentem, quot ſtellæ fixæ declinare videntur, tum ad Auſtrum, tum ad Septentrionem, quem circulum Zodiacum peragrare poterunt ſtellæ fixæ per lineam gyratiuam, ſpatio ſeptem millium annorum, ſicut Sol ex communi ſententia, dum per lineam gyratiuam vnico motu fertur, ſpatium vnius anni totum Zodiacum ſuum perluſtrat, declinando interdum ad Auſtrum, interdum ad Septentrionem: nullum autem eſt fundamentum aſſerendi, octauum cælum moueri natura ſua per lineam perfecte circularem, quæ ab eodem in idem omnino punctum redeat; ſiquidem nunquam id de facto contingit: neque Ariſtoteles vnquam id contendit, vt legenti conſtabit. Mitto quod alij hic indicant, videlicet, principium illud Ariſtotelis, vnum corpus vnico ſibi proprio motu debere cieri, intelligendum eſſe de corpore moto à principio actiuo intrinſeco: à natura enim corporis maxime ſimplicis nequit, niſi vna facultas motiua ad vnum naturalem locum dimanare, non vero de motu ab extrinſeco illato, præſertim, ſi hi motus non ſint ſibi contrarij, & vtiles ſint ad influendum in hæc inferiora, in quem finem cælum natura ſua inclinatur.

QVÆSTIO III.

Quidnam ſit de cælo Empyreo ſentiendum.

QVinque ſunt de cælo Empyreo breuiſſime expedienda, videlicet, an ſit, quid ſit, cuius rei gra-

tia factum ſit à Deo, hoc eſt, in quem finem ordinatum,an ſua natura ſit mobile, vereque moueatur, & cuius tandem figuræ:Circa primum dicimus,non eſſe certum, tale corpus cæleſte dari, quia ſuperiores ſubſtantias, quales ſunt ſphæræ cæleſtes, non poſſumus à priori cognoſcere, cum ſint naturæ ſuperioris, nimiſque à nobis diſtantes, & alterius longe conditionis à ſublunaribus, ſed ſolum à poſteriori per motum, vel effectum: motum vero huius corporis nullum vidimus,immo neque vllum effectum ſumus experti:nulla ergo ratione à priori,nec à poſteriori conuincere poſſumus, quod in natura rerum ſit, ſed ſola auctoritate aſſeuerare poſſumus, non quidem ſacræ paginæ,aut traditionis Eccleſiæ,vel Conciliorum definitionis, quia nihil tale extat, ex quo firmum duci poſſit argumentum:nam ſi ex verbo aliquo ſacrarum literatum ab aliquo earum interprete deducitur per ſolam accommodationem,vel ſimilitudinem,aut metaphoram ſit, non ex ſenſu literali, quod ſatis eſt, vt infirmum cenſeatur argumentum. Auctoritas vero, quæ fidem huius rei cœpit facere, fuit Strabonis, vt refertur in Gloſſa ordinaria, Geneſis primo,ad prima illa verba eius: *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Et eiuſdem Gloſſæ ſubſcribentis,atque etiam venerabilis, ac grauiſſimi Patris Bedæ capite ſecundo Commentariorum in Geneſim: à quibus id deſumpſerunt Magiſter in ſecunda, diſtinctione 2. vbi præfata verba interpretatur de cælo Empyreo, & cæteri Scholaſtici expoſitores eius; ibidem Diuus Thomas etiam prima parte, quæſtione 61. articulo quarto; & quæſtione 66. articulo tertio: Alenſis ſecunda parte, quæſtione 51.membr.primo,Magnus Albertus in tractatu de quatuor coæuis,quæſt.4.art.3.& 2. parte ſui tractatus 3.quæſt.12. Gulielmus 1. parte de vniuerſo

Ægidius

Ægidius libro 2. Hexameron cap. 36. quos ſecuti ſunt recentiores vniuerſi, & Imola titul. de opere ſex dierum, diſputatione tertia, id probat ex Scriptura, & Patribus; quare communis facta eſt ſententia, cælum Empyreum ponens in Schola Theologica (nam Philoſophica non fuit eiuſmodi cæleſte corpus aſſequuta) propterea temerarium iam iudicaretur illud negare, & hac cenſura notari debet Caietanus, qui illud negauit in illa verba 2. ad Corinthios 12. *Raptum huiuſcemodi hominem vſque ad tertium cælum.* Neque omnino latuit cælum Empyreum ſanctis Patribus, quia licet adeo expreſſis verbis, aut proprio nomine de eo nō fuerint loquuti, non obſcurè videntur illud inſinuare, Clemens Papa primo & ſecundo libro recognitionum, Baſilius homilia 2. & 3. Hexameron, Damaſcenus 2. libro Orthodoxæ fidei, cap. 6. Hilarius in illud Pſalmi 122. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Theodoretus quæſtione 11. in Geneſim Athanaſius, Chryſoſtomus, Theophil. in illa verba octaui capitis Epiſtolæ ad Hebræos: *Miniſter ſanctorum, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus;* videntur de cælo Empyreo accipere. Rupertus tandem libro 1. in Geneſin cap. 6.

Circa quidditatem, vel eſſentiam cæli Empyrei conueniunt omnes, eſſe compoſitam ex materia & forma, cum ſit certum (præſuppoſito quod ſit) habere quantitatem, eſſe accommodatam ſedem corporum beatorum. Materia vero & forma eius longe diuerſæ rationis eſt à materia & forma aliorum corporum cæleſtium, ac maioris longe perfectionis. Quod ex tribus efficaciter colligitur, nempe ex fine, in quem inferius dicetur factum eſſe à Deo, nempe, vt ſit quaſi domus Dei, hoc eſt, beatorum domicilium, in quo Deus per claram viſionem eis ſe oſtendit, cui additur

in eò etiam conditos fuiſſe Angelos, vt communis ſententia ſcholaſticorum omnium tenet. Neque deſunt qui affirment, propterea Angelos vocatos fuiſſe à Deo aſtra matutina huius perfectiſſimi cæli Iob.38. illis verbis, quibus eum interrogat: *Vbi eras, cum me laudarent Aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* & ita ſua præſentia illum illuſtrare.

Colligitur ſecundo, ex ſupremo loco non niſi perfectiſſimo omnium corpori naturaliter debito, atque etiam ex perfectiſſima luce, qua pollet, alterius quidem conditionis, ac ſuperioris ordinis, reſpectu lucis Solaris, & aliorum corporum, valde ſimili luce beatorum corporum, cum ſit eorum accommodatiſſima ſedes, quæ proprietas eius eſt, perfectiſſimam naturam illius indicans, & ab hac proprietate vocatum eſt Empyreum, hoc eſt igneum, non à calore nimio, ſed ab eximia luce: & tandem ex immobilitate, nam adhuc ea inclinatione, quam cætera corpora cæleſtia habent ad motum, carere docent omnes. Conſtat vero, magnam perfectionem eſſe à motu penitus abſolui, & eſſe quaſi omnino à mutatione liberum, ſicut ſtatus beatorum, quibus ſedem præſtat, immutabilis, atque æternus eſt ex propria conditione, ſed ſi adeo magna, atque eximia luce ex propria natura ſplendet, quo fieri poteſt, vt ipſum oculis non inſpiciamus: & ideo euidens nobis ſit, quod ſit in rerum natura.

Reſpondet Richardus in 2.diſtinct.2.quæſt.2.ad 3. principalem cauſam eſſe, quod lux eius, quia perfectiſſima, excedit vim noſtræ potentiæ viſiuæ, & cum ſolis oculis glorioſi corporis proportionem habet, vel quia cælum cryſtalinum ſua denſitate impedit, ne videatur à nobis, propter nimiam diſtantiam, ac tandem, quia ſubtrahitur à Deo concurſus generalis, ne

à no

à nobis videatur. Alij vero dicunt rationem eſſe, quia ſolum ex parte interna diaphanum eſt, ex parte vero externa nos reſpiciente nimis denſum: & hanc denſitatem impedire, ne ad nos lucem effundat. Sed rationes iſtæ ex parte miraculoſæ ſunt, ex parte non conſonant naturæ huius corporis, atque ex parte ſunt inſufficientes: quare melius reſpondet D.Thomas 1.parte, quæſt. 66. artic. 3. ad 4. his verbis: *Poteſt aliter dici, quod habeat cælum Empyreum lucem non condenſatam, vt radios emittat, ſicut corpus Solis, ſed magis ſubtilem, vel habet claritatem gloriæ, quæ non eſt conformis cum claritate naturali.*

Circa finem, in quem fuerit à Deo conditum cælum Empyreum, cœpimus iam oſtendere, cuius rei gratia factum fuerit ad ſupremum hoc cæleſte corpus, videlicet, vt quaſi Theatrum ſit ad recipienda beata corpora in ſuis diſtinctis ſedibus & veluti beatorum curia, & hunc eſſe præcipuum finem. propter quem creatum ſit à Deo, certum eſt apud nos. Sed an ſimul, vel ex conſequenti fuerit ordinatum ad præſtandum influxum aliquem circa reliqua corpora, vel nullum prorſus habeat, quæſtionem habet, & prior ſententia denegat omnem influxum, primo, quia ex fine, in quem condita eſt res à Deo, colligi debet operatio eius, ſed cælum hoc non eſt conditum propter inferiora corpora, ſed in gratiam rerum ſuperioris, ac ſupernaturalis ordinis, nempe, Angelorum & hominum beatorum, vt quaſi condigna ſit ſedes eorum: ergo nullam operationem, vel influxum habet circa inferiora corpora: nam ſi aliquem haberet, ex hac parte diceretur in eorum obſequium conditum, atque vt eis deſeruiret, quod videtur dignitati eius derogare.

Secundo, quia corpora cæleſtia nec mouent, nec

omni

omnino agunt,niſi ab alio mota, cum motus, vt minimum,ſit eis conditio agendi,vt ſuperius à nobis ſtatutum eſt,& ex ſe principio motus actiuo careant:ſed cælum Empyreum ex propria natura eſt immobile,vt omnes ſtatuunt:ergo nullum poteſt influxum habere circa alia corpora. Nec poteſt excogitari, qualiſnam ſit hic influxus, aut operatio,niſi prorſus diuinando. Et hanc ſententiam tenuit D. Thomas in 2. diſt. q.2. ad tertium,Alexander ſecunda parte,quæſt.47.& plures alij ex recentioribus eam ſequuntur. Et ipſe etiam Diuus Thomas 1.parte quæſt.66.art.3. ad 2. teſtatur, eam eſſe ſatis probabilem.

Poſterior ſententia, influxum aliquem circa alia corpora ei concedit, quam probabiliorem cenſet D. Thomas loco proximè citato,atque etiam quodlibeto 6.art.decimonono,eâq; ſequitur Magnus Albertus in tract.de quatuor coæuis,q.4.art.14.Macrouius,in 2. diſt.14 Durandus,diſt.2.quæſt.2.Et Richardus,quæſt. 3.circa tertium principale:& quidam alij, quos refert ipſe:atque etiam Bonauentura,in 2.diſt.2. parte 2.art. 1.& quæſt.2. numero 43. à quibus diuerſo modo explicatur influxus iſte; nam illi,quos Richardus retulit, empyreo tribuunt diuerſitatem quorundam effectuum, qui in diuerſis terræ partibus æqualiter ab vtroque polo diſtantibus cernuntur, quia non poſſunt tales effectus aſtris,vel cælis mobilibus adſcribi: nam ſi ex horum influxu procederent, neceſſe foret, in toto illo clymate contingere.Illi,vero,quorum Bonauentura meminit, voluerunt circa nobiliſſimum corpus ſublunare, nempe humanum,agere,quemadmodum empyreum ipſum nobiliſſimum omnium ſuperiorum eſt,ita vt materiam præparet ad infuſionem animæ rationalis,ſicut alia corpora cæleſtia inferiora eandem diſponunt pro introductione animæ vegetatiuæ,

tiuæ,& ſenſitiuæ,& tandem D. Thomas hiſce verbis explicat influxum cæli empyrei, 1. parte, quæſt. 66. artic. 3. ad 2. *Poteſt dici, quod influit in primum cælum, quod mouetur: non aliquid tranſiens, & adueniens per motum, ſed aliquid fixum, & ſtabile, puta virtutem, continendi, & cauſandi, vel aliquid huiuſmodi ad dignitatem pertinens.* Probat D. Thomas primo, quia res quęlibet facta eſt propter aliquam operationem, vt docet plane Ariſtoteles, lib. 2. de cælo, cap. 3. textu 17. & 1. Ethicorum, cap. 7. & 9. atque etiam 9. Metaphyſicæ, c. 9. textu 91. quod aliis verbis docuit D. Damaſcenus 2. lib. orth. fidei, cap. 23. incongruum eſſe affirmans, aliquam dari in mundo ſubſtantiam penitus otioſam, hoc eſt, omni operatione vacantem, neceſſe eſt ergo, cælo empyreo aliquam operationem tribuere, & tranſeuntem quidem, cum immanentis non ſit capax, circa alia igitur corpora operabitur, vel otioſum erit, quod non eſt admittendum.

Secundo, quia partes vniuerſi habent inter ſeſe connexionem, & inferiora per ſuperiora reguntur, & adminiſtrantur: ſed adminiſtratio non eſt intelligibilis, niſi media operatione, & influxu, ergo cum empyreum ſit pars vniuerſi, & perfectiſſima quidem, neceſſe eſt ab ea dependere, ac regi aliquo modo inferiora corpora, quod non bene intelligitur, niſi media operatione, & influxu eius.

Noſtra in hac re ſententia duabus aſſertionibus aperienda eſt. Prima, certum eſt hoc cælum aliquam operationem habere, & de operatione, quæ ſit ſimplex emanatio, vel reſultantia effectus à cauſa, certum eſt, non dari creaturam ea carentem, quia nulla datur ſubſtantia creata accidentium incapax, quia intrinſeca eſt imperfectio eius, eſſe per accidentia perfectibilem, qua ſolus Deus caret: ſed intima accidentia ſubſtan-

tiæ,

tiæ; per quæ perficitur media emanatione ab eius eſſentia, ſunt proprietates eius, quæ proximè oriuntur ab eadem eſſentia, tanquam ab efficienti, ergo nequit creata ſubſtantia carere operatione, pro vt ſimplicem emanationem comprehendit, & propter hanc ſaltem condita dicitur, hoc eſt, vt ſe per eam perficiat. Cum ergo certum ſit cælum hoc, quantumlibet perfectiſſimum, habere eſſentiam ſpecificam, certum eſſe debet, habere proprietates, quæ ſint accidentia ab ea emanantes, ac proinde neceſſe eſt, habere operationem, prout comprehendit ſimplicem emanationem, quæ eſt quaſi actio immanens.

Aſſertio ſecunda. Valde probabile nobis videtur, quod habeat veram ac propriam operationem, circa aliquod corpus ſe inferius, ac proprium influxum. Probatur vtrumque hoc modo: omnes, quotquot cælum empyreum poſuerunt, cenſent eſſe omnium perfectiſſimum, cui ideo ſupremum locum concedunt: deinde eſſe lucidiſſimum, non ſolum, quia longe maiorem lucem habet quam Sol, ſed quia longe perfectiorem, & quaſi ordinis ſuperioris, valde ſimilem luci beatorum corporum, ratione cuius congruum, ac accommodatiſſimum eorum domicilium eſt, ergo valde probabile eſt, quod primum cælum, & forte plures alios eximia luce perfundat, quia cum ſit corporea, non videtur negandum quod inferiores cæli talis illius actionis ſint capaces, eamque recipiant intenſiorem quidem, vel remiſſiorem, iuxta maiorem propinquitatem, vel elongationem; & cum illuminatio hæc ſit vera, ac propria operatio, & lumen productum realis effectus in eis receptus, effectiueque productus à cælo empyreo, propriè etiam dicitur influere in inferiora corpora.

An vero, propter illuminationem, aliam habeat opera

operationem,quam ponunt aliæ opiniones,lubricum eſt,& mihi valde incertum, ita vt diuinare videatur eas illi tribuere : nam ſpecialis ille influxus, circa introductionem animç rationalis in corpore nullo fundamento innititur, quia ita poſſet quiſpiam dicere, quod ad conſeruationem hominis ſpecialem influxum præſtet, vel ad conſeruationem aliarum ſpecierum,influxus etiam pro effectuum varietate in hac, vel illa terræ regione producendorum, potius quam in alia, virtutibus ſtellarum tribui poteſt, non Solis, ſed modificatis per diuerſam proprietatem, aut virtutem,in his terræ partibus exiſtentem, & non in aliis, quare non erit pro his effectibus neceſſarius influxus empyrei. Quod vero D. Thomas docet, empyreum influere in cælum ſibi proximum aliquid fixum, & ſtabile,vt virtutem continẽdi,& cauſandi, vel aliquid huiuſmodi, ad illuminationem à nobis explicatam referri debet, per quam forte augetur virtus eiuſdem cæli,ita vt influxum aliquem habeat in inferiora corpora,quem non haberet,vel non ita perfectè, niſi per lumen ab empyreo receptum. Vnde fit,noſtram ſententiam, eſſe valde conſentaneam Diuo Thomæ; & argumentis ab eo adductis eam plane confirmari, vt conſideranti facile conſtabit. Argumentis vero aliarum opinionum negauimus effectuum illorum varietatem Empyreo tribuendam.

Reſtat nunc,argumenta primæ opinionis denegatis Empyreo omnem influxum,ſoluere,& antecedens prioris,quod Empyreum non ſit factum propter inferiora corpora, diſtinguendum eſt, nam propter illam,tanquam propter præcipuum finem, verum eſt, quia finis præcipuus,cuius gratia Deus illud condidit potius fuit,vt congrua ſedes, condignumque domicilium omnium beatorum foret,& quaſi curia, aut ciuitas

uitas Regia;conſequenter vero,quia pars vniuerſi eſt, cæteris partibus aliquomodo vniri debuit, quod non niſi media aliqua operatione tranſeunti circa reliquas partes, vel aliquam illarum fieri poteſt, ex qua non poteſt dici,in obſequium earum factum, cum per illam potius ab eo perficiantur, quam ipſum ab eis. Si vero in obſequium totius vniuerſi factum fuiſſe velit quis concedere,nihil ex eo imperfectionis contrahet: tum quia totum vniuerſum Empyreo perfectius iudicatur,ſicut totum qualibet eius parte, vt pote eam cum cæteris omnibus includens;tum etiam,quia beati omnes,tam homines,quam Angeli ad vniuerſum, tanquam partes eius pertinere eſt in aperto:cum ergo conditum fuerit Empyreum in obſequium eorum, mirum non eſt,immo neceſſarium in obſequium vniuerſi conditum fuiſſe,neutrum namque dignitati eius derogat.

Maior vero poſterioris argumenti, quod corpora cæleſtia nihil omnino agant,niſi mota ab alio, plane falſa eſt,cum certo teneamus, illuminaturum Solem omnino in motum localiter poſt diem iudicij,& ſuperius oſtenderimus, cæleſtia corpora non ſolum medio motu locali agere in inferiora corpora,ſed ceſſante omnino motu eorum.Quod vero vulgo dici, ſolet nullum corpus mouere non motum, inter[illegible]rantur Patres Conimbricenſes 2.lib.de cælo [illegible] ſt.2. art.2.aſſerentes,neceſſarium n[illegible] ueatur,vt aliud moueat;ſe[illegible] pyreum vero,licet no[illegible] ueri,ſed id ſuffice[illegible] fluat; verum [illegible] trinſeco, v[illegible] met m[illegible] beat [illegible]

ad motum quia mouens, vt mouens, vel agens, vt agens, non mouetur, vt docet expreſſe Ariſtoteles, 3. lib. Phyſicorum, inde probans, quod actio non ſit in agente, ſed in paſſo, ex quo ſequitur, non eſſe neceſſarium, per locum ab intrinſeco mouens moueri poſſe, quia aliud mouere nihil ponit intrinſecum in mouente, hoc eſt, nullum actum, nec vllam potentiam; ergo nec dicit neceſſariam connexionem, cum motione paſſiua, neque potentia eius. Quod etiam conuincitur exemplo Dei, & Angelorum; nam Deus propriiſſime dicitur mouere omnia; & in ea agere, & tamen nec mouetur ipſe, nec moueri poteſt: Angeli etiam mouẽt corpora cæleſtia, & nec mouentur ipſi, nec habent vllam inclinationem ad motum huiuſmodi: ex quibus infero, quod etiamſi per impoſſibile excogitemus, vnum corpus nullo modo poſſe moueri à ſe, nec ab alio per ſe, nec per accidens, nihilominus poſſet aliud mouere: vniuerſalis ergo illa propoſitio falſa probatur, & propterea non repugnat empyreum omninò immotum in inferiora agere.

Præterea aſſero, cælum empyreum nullam prorſus inclinationem habere ad motum localem, ſed immobile eſſe localiter, ex propria natura, & ſolum præter naturam moueri poſſe; quia cum creatura ſit, potentiam obedientialem habet reſpectu Dei, vt ab eo mo[illegible]atur; Angelum vero arbitror non poſſe eum [illegible] per virtutem naturalem, quia cum ſit ex [illegible]atura omnium beatorum ſedes: non ſubdi[illegible] Angelorum, quantum ad motum [illegible]le bonum totius curiæ cæle[illegible]tas, & quietum omnium bea[illegible]perioris ordinis eſt, reſpectu [illegible]orum, valdeque eam excedit: [illegible]m elementum, aut cæleſte

corpus à propria ſede, naturales vires vnius Angeli, immò; & omnium, ſuperat, eo modo, quo libro 4. Phyſicorum oſtendimus, eaſdem ſuperare, quod vacuum efficiat.

Circa figuram cæli empyrei non conueniunt recentiores pauci, qui de ea loquuntur, ſed quidam aſſerunt, non eſſe rotundum, ſicut cæleſtia corpora, quæ mouentur, quod videntur colligere ex illo Apocalypſis 21. *Ciuitas in quadro poſita eſt.* Nomine enim ciuitatis cælum videtur intelligendum, cui additur magis eſſe accommodatam pro beatorum ſede, quadratam figuram, quam circularem maioriſque capacitatis ad continendum tam magnam corporum multitudinem. Et hanc partem ſequuntur Patres Conimbricenſes, 2. libro de cælo, capite 5. quæſtione 1. articulo 2. Alij verò non putant, argumenta hæc probare, diuerſam figuram tribuendam eſſe huic cælo à circulari, qua prædita ſunt alia, ſed omnia eſſe debere eiuſdem circularis figuræ, cum ſint quaſi vnus globus, & præterea, quia ſuppoſito, quod empyreum aliquo modo influit in inferiora, quamuis non medio motu accommodatior eſt figura circularis, ad influendum, quia cætera, circa quæ influit, æqualiter, aut ſaltem ſecundum proportionem, eius influxum recipere poterunt; conſtat vero non poſſe, ſi quadratam figuram habeat. Ego vero vtramque partem valde incertam iudico, & argumenta earum valde infirma, quæ ideo cuique facile ſoluenda relinquo, & liberam electionem vtriuſque partis.

* * *

QVÆ

QVÆSTIO IV.

An quo ſitu eleuatiora ſunt corpora cæleſtia, eo ſint naturæ perfectiora.

PRæſupponit præſens controuerſia ordinem cælorum, ſecundum ſitum, quem licet varium, & diuerſum poſuerunt antiquiores Philoſophi, Aſtrologi ac Mathematici, inualuit iam in ſchola, & tanquam communis ſententia in explicatione ſphæræ recepta eſt ea, quæ talem ordinem ſitus in eis ſtatuit, vt infimum ſit cælum Lunæ; ſecundum Mercurij; tertium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, ſextum Iouis, ſeptimum Saturni, octauum firmamentum, ita vocatum, quia ſtellas firmiter inhærentes; ſeu fixas, quę proprium motum non habent, contineat, & propterea à Græci, Aplanes, id eſt, errans appellatur: nonum vero, ac decimum, quæ ab aliis adduntur, aqueum cælum, ſiue cryſtallinum communi nomine nuncupantur, eo quod tranſlucidi admodum, ac perſpicui ſint, vt aquarum, aut cryſtalli (quod quaſi congelata aqua cenſetur) ſimilitudinem referant, & vim refrigerandi habere cenſeantur, ſuper quos Empyreum collocant, ſicut apud nos ſupra firmamentum (nam in quacunque opinione ſupremum locum ei concedi debet.) Secundo præſupponit Auerroes, hoc libr. comment. part. 9. Iand. quæſt. 12. & Duran. in 2. diſtinction. 14. orbes cæleſtes inter ſe eſſe ſpecie diuerſos, id quod docet Albert. Magn. tract. de 4. coæuis, quæſt 4. art. 4. & hoc lib. tract. 3. c. 4. Diuus Thom. 2. contra gent. capit. 92. ibid. Ferrar. & Caiet. 1. part. quæſt 66. ad art. 1. probat ex Ariſtot. 2. de anim. text. 34. & 35. aſſerente, ſingularia in eadem ſpecie multiplicari propter ſpeciei conſerua-

tionem, at corporis cæleſtis ſpecies in vno indiuiduo conſeruari poteſt, cum illud ſit incorruptibile; ergo non ſunt plures orbes cæleſtes eiuſdem ſpeciei ex mente Ariſtot. Ratione etiam probatur primo, quia ſulunari mundo corpora, quæ naturæ ordine diuerſa exigunt loca ſpecie diuerſa ſunt, vt inductione conſtat in 4. elementis, ſed ſinguli orbes cæleſtes ordine naturæ exigunt diuerſa loca; ergo ſpecie inter ſe differunt. Secundo, materiæ cæleſtium ſphærarum inter ſe ſpecie differunt, vt probauimus ad cap. 2. libro 1. quæſt. 8. Ergo formæ à quibus illæ ſpeciem ſumunt potiori iure diſſidebunt ſpecie inter ſe, ac proinde compoſita ex illis coaleſcentia, & alia cæleſtia corpora eſſent corruptioni obnoxia, vt ibi inferebamus. Tertio id ipſum roboratur, ex diuerſitate accidentium; maxime motuum ſingulorum orbium, quæ quoties alicui corpori præ aliis, ex natura rei conueniunt perſpicue denotant, diſtinctionem ſaltem ſpecificam principij ſubſtantialis, & hæc fuit vnica via Philoſophiæ agnoſcendi ſubſtantiarum diſtinctionis, ortum, & interitum, quæ omnia æquè probant, ſpecificam diuerſitatem inter orbes minores, & quaſi partiales, de quibus infra, ac inter maiorem, & veluti totales ſphæras, vt expendenti conſtabit. His igitur præſuppoſitis, quærimus, an quo eleuatiores ſint, eo ſint nobiliores, ſeu an idem ſit ordo ſitus inter cæleſtes orbes, & ordo perfectionis, vel nobilitatis.

Et prima ſententia tenet, non eſſe vniuerſaliter verum, quod idem ſit ordo ſitus, & dignitatis, inter ſphæras cæleſtes, quæ mouentur; ſed in eis duntaxat, præter orbem Solis: nam conſtat ex multitudine, varietate, ac nobilitate effectuum; quos producere videmus, nobiliorem planetarum omnium

Solem

Solem eſſe, & ex conſequenti ipſius orbem perfectiorem omnium corporum cæleſtium, quæ mouentur: nam globi cæleſtes (vt teſtatur Ariſtoteles 12. Metaphyſicæ capit. 81. textu 48. propter ſydera, quæ ſuo motu ſecum deferunt, facta ſunt, & tamen ex communi ſententia, Sol, & cælum, cui affigitur, quartum tenet locum; ergo non poteſt vniuerſe verum eſſe, quod idem ſit ordo dignitatis, & ſitus. Ita ſentit Richardus in 2. diſtinctione 15. quæſtione 5. circa ſecundum principale, non paucos Aſtrologos ſequutus. Quorum ſententiam amplectuntur etiam Patres Conimbricenſes, 2. libro de cælo, capite 5. quæſt. 2. articul. 2. Addunt tamen æqua forte probabilitate dici poſſe, inter omnes ſphæras eundem eſſe ordinem dignitatis, ac perfectionis, non includendo planetas, quia valde probabile eſt, Solem non eſſe continuum eidem orbi, cum quo mouetur, ſed contiguum duntaxat, nec eſſe eiuſdem ſpeciei, ſed diuerſæ, & nobilioris longe naturæ; & propterea Sol, quamuis perfectior ſit cunctis orbibus mobilibus, atque etiam cunctis planetis, quæ in eis, & cum eis mouentur: orbis tamen ſolaris eundem cum cæteris ſitus, & dignitatis ſeruat ordinem.

Secunda ſententia abſolute docet, inter orbes cæleſtes, & planetas eundem eſſe ordinem perfectionis, ac ſitus. Hanc amplecti videtur Diuus Thomas 12. libro Metaphyſicæ ad tex. 44. & cum eo alij: quam imprimis colligunt ex doctrina D. Dionyſij 6. capite cæleſtis Hierarchiæ, & ex Ariſtotele 4. lib. Phyſicorum, text. 49. hoc modo: Idem ordo, qui reperitur inter ea, ex quibus conſtat ſuperior mundus, nempe, Angelicus, & inferior, nempe, elementaris, reperiri debet inter ea, ex quibus conſtat mundus medius,

nempe cæleſtis; ſed inter ea, ex quibus componitur mundus Angelicus, & inter ea, ex quibus componitur elementaris; idem eſt ordo ſitus, & perfectionis: ergo idem etiam eſſe debet inter corpora cæleſtia: probatur minor, quia ſuprema Hierarchia in ordine eſt etiam perfectione ſuprema, & eodem modo media, & infima apud D. Dionyſium; & apud Ariſtotelem idem eſt ordo ſitus, & dignitatis inter elementa: nam ignis ſitu excellens eſt omnium perfectiſſimus, & ſicut terra obtinet infimum locum, ſic etiam eſt omnium imperfectiſſima. Ariſtoteles 12. Metaphyſicæ capit. 8. textu 44. docet expreſſe ordinem intelligentiarum mouentium cæleſtes ſphæras, eſſe ſecundum ordinem motuum, & mobilium, ita vt pro cuiuſque ſphæræ natura ſuus reſpondeat motor, nempe inferiori ac imperfectiori inferior ac imperfectior; ſuperiori vero, ac perfectiori ſuperior, ac perfectior motor: ſentit igitur aperte eundem eſſe ordinem ſitus, & dignitatis inter omnes ſphæras cæleſtes: nam valde incongruum foret, & Angelorum dignitati diſſonum, quod perfectior moueret imperfectiorem, atque inferiorem ſphæram, & imperfectior ſuperiorem, ac perfectiorem.

5. Probatur ratione: primo ex effectu: nam eo dignior eſt cauſa, quo digniores producit effectus, cum in eius virtute contineri debeant: ſed quo planetæ eleuatiorem ſitum habent, eo nobiliores edunt effectus, & pariter ſphæræ, quibus inſident (ſi iſtæ habent diſtinctum influxum à planetis:) ergo idem prorſus eſt ordo dignitatis, & ſitus inter eos. Probatur minor, quia aſtrologi tribuunt Saturno vim conſeruandi res fixas, & permanentes; & inclinandi ad altiſſimarum rerum contemplationem,

iuxta

iuxta propriam capacitatem: Marti vero fortibus viris præſidere, quos nobiliſſimos effectus eſſe, per ſe conſtat.

Secundo, corpus, quod continet aliud, comparatur ad illud, ſicut forma ad materiam, & ex conſequenti, tanquam dignius indigniori, vt teſtis eſt Ariſtoteles 4. lib. Phyſicorum, cap. 5. textu 49. ex quo colligit, elementum, quo ſuperius eſt, eo eſt nobilioris naturæ, quia inferius continet: ſed ſphæra ſuperior, atque etiam planeta continet, ac circundat inferiorem non ſecus atque elementum ſuperius: ergo neceſſe eſt nobiliorem eſſe, & proinde eundem eſſe ordinem ſitus, & nobilitatis inter omnes. Vrgeo argumentum ex firmamento, ſeu ſtellata ſphæra, variis ſtellis prædita, effectu, viſuque inſignibus atque etiam ex Zodiaco circulo duodecim ſignis ſplendente, ſub quo planetæ omnes incedunt, & vnde conſeruatio omnium rerum corruptibilium, omnium temporum viciſſitudines, totius terræ fructus, animantium omnium procreatio, ac denique totus hic mundus inferior dependet, quod proinde nobilius multo eſſe debet cæteris omnibus ſphæris inferioribus, atque etiam planetis omnibus in eis, & cum eis motis. Cuius etiam ſupremam dignitatem colligere licet ex dignitate ſuprema motus, per quem cæteras omnes ſphæras, ac planetas ſecum rapit, & motum diurnum explere facit. Eodemque argumento probatur de reliquis iuxta ordinem ſitus, qui idem proinde erit, ac dignitatis inter omnes, nulla ſphæra, nulloque planeta excepto.

Noſtra ſententia aſſerit, eundem eſſe ſitus, ac dignitatis ordinem, inter omnes ſphæras cæleſtes, ſecus vero inter aſtra: ita autem nobis ſentiendum eſſe iudicamus, quia efficaciora nobis videntur argumenta

uitas Regia; conſequenter vero, quia pars vniuerſi eſt, cæteris partibus aliquomodo vniri debuit, quod non niſi media aliqua operatione tranſeunti circa reliquas partes, vel aliquam illarum fieri poteſt, ex qua non poteſt dici, in obſequium earum factum, cum per illam potius ab eo perficiantur, quam ipſum ab eis. Si vero in obſequium totius vniuerſi factum fuiſſe velit quis concedere, nihil ex eo imperfectionis contrahet: tum quia totum vniuerſum Empyreo perfectius iudicatur, ſicut totum qualibet eius parte, vt pote eam cum cæteris omnibus includens; tum etiam, quia beati omnes, tam homines, quam Angeli ad vniuerſum, tanquam partes eius pertinere eſt in aperto: cum ergo conditum fuerit Empyreum in obſequium eorum, mirum non eſt, immo neceſſarium in obſequium vniuerſi conditum fuiſſe, neutrum namque dignitati eius derogat.

Maior vero poſterioris argumenti, quod corpora cæleſtia nihil omnino agant, niſi mota ab alio, plane falſa eſt, cum certo teneamus, illuminaturum Solem omnino in motum localiter poſt diem iudicij, & ſuperius oſtenderimus, cæleſtia corpora non ſolum medio motu locali agere in inferiora corpora, ſed ceſſante omnino motu eorum. Quod vero vulgo dici, ſolet nullum corpus mouere non motum, interpretantur Patres Conimbricenſes 2. lib. de cælo cap. 3. quæſt. 2. art. 2. aſſerentes, neceſſarium non eſſe, quod actu moueatur, vt aliud moueat; ſed quod moueri poſſit. Empyreum vero, licet non moueatur, poteſt tamen moueri, ſed id ſufficere, vt aliquo modo in inferiora influat; verum non eſt neceſſarium per locum ab intrinſeco, vt vnum corpus moueat aliud, quod ipſummet mouens poſſit moueri: hoc eſt, vt aliquam habeat naturalem inclinationem actiuam, aut paſſiuam

ad

ad motum quia mouens, vt mouens, vel agens, vt agens, non mouetur, vt docet expreſſe Ariſtoteles, 3. lib. Phyſicorum, inde probans, quod actio non ſit in agente, ſed in paſſo, ex quo ſequitur, non eſſe neceſſarium, per locum ab intrinſeco mouens moueri poſſe, quia aliud mouere nihil ponit intrinſecum in mouente, hoc eſt, nullum actum, nec vllam potentiam; ergo nec dicit neceſſariam connexionem, cum motione paſſiua, neque potentia eius. Quod etiam conuincitur exemplo Dei, & Angelorum; nam Deus propriiſſime dicitur mouere omnia; & in ea agere, & tamen nec mouetur ipſe, nec moueri poteſt: Angeli etiam mouēt corpora cæleſtia, & nec mouentur ipſi, nec habent vllam inclinationem ad motum huiuſmodi: ex quibus infero, quod etiamſi per impoſſibile excogitemus, vnum corpus nullo modo poſſe moueri à ſe, nec ab alio per ſe, nec per accidens, nihilominus poſſet aliud mouere: vniuerſalis ergo illa propoſitio falſa probatur, & propterea non repugnat empyreum omninò immotum in inferiora agere.

Præterea aſſero, cælum empyreum nullam prorſus inclinationem habere ad motum localem, ſed immobile eſſe localiter, ex propria natura, & ſolum præter naturam moueri poſſe; quia cum creatura ſit, potentiam obedientialem habet reſpectu Dei, vt ab eo moueatur; Angelum vero arbitror non poſſe eum mouere per virtutem naturalem, quia cum ſit ex propria natura omnium beatorum ſedes: non ſubditur virtuti naturali Angelorum, quantum ad motum localem; nam vniuerſale bonum totius curiæ cæleſtis, quale eſt immobilitas, & quietum omnium beatorum domicilium, ſuperioris ordinis eſt, reſpectu naturalis virtutis Angelorum, valdeque eam excedit: ſicut extrahere integrum elementum, aut cæleſte

corpus à propria ſede, naturales vires vnius Angeli, immo, & omnium, ſuperat, eo modo, quo libro 4. Phyſicorum oſtendimus, eaſdem ſuperare, quod vacuum efficiat.

Circa figuram cæli empyrei non conueniunt recentiores pauci, qui de ea loquuntur, ſed quidam aſſerunt, non eſſe rotundum, ſicut cæleſtia corpora, quæ mouentur, quod videntur colligere ex illo Apocalypſis 21. *Ciuitas in quadro poſita eſt.* Nomine enim ciuitatis cælum videtur intelligendum, cui additur magis eſſe accommodatam pro beatorum ſede, quadratam figuram, quam circularem maioriſque capacitatis ad continendum tam magnam corporum multitudinem. Et hanc partem ſequuntur Patres Conimbricenſes, 2. libro de cælo, capite 5. quæſtione 1. articulo 2. Alij vero non putant, argumenta hæc probare, diuerſam figuram tribuendam eſſe huic cælo à circulari, qua prædita ſunt alia, ſed omnia eſſe debere eiuſdem circularis figuræ, cum ſint quaſi vnus globus, & præterea, quia ſuppoſito, quod empyreum aliquo modo influit in inferiora, quamuis non medio motu accommodatior eſt figura circularis, ad influendum, quia cætera, circa quæ influit, æqualiter, aut ſaltem ſecundum proportionem, eius influxum recipere poterunt; conſtat vero non poſſe, ſi quadratam figuram habeat. Ego vero vtramque partem valde incertam iudico, & argumenta earum valde infirma, quæ ideo cuique facile ſoluenda relinquo, & liberam electionem vtriuſque partis.

* * *

QVÆ

QVÆSTIO IV.

An quo ſitu eleuatiora ſunt corpora cæleſtia, eo ſint naturæ perfectiora.

PRæſupponit præſens controuerſia ordinem cælorum, ſecundum ſitum, quem licet varium, & diuerſum poſuerunt antiquiores Philoſophi, Aſtrologi ac Mathematici, inualuit iam in ſchola, & tanquam communis ſententia in explicatione ſphæræ recepta eſt ea, quæ talem ordinem ſitus in eis ſtatuit, vt infimum ſit cælum Lunæ, ſecundum Mercurij, tertium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, ſextum Iouis, ſeptimum Saturni, octauum firmamentum, ita vocatum, quia ſtellas firmiter inhærentes, ſeu fixas, quę proprium motum non habent, contineat, & propterea à Græci, Aplanes, id eſt, errans appellatur: nonum vero, ac decimum, quæ ab aliis adduntur, aqueum cælum, ſiue cryſtallinum communi nomine nuncupantur, eo quod tranſlucidi admodum, ac perſpicui ſint, vt aquarum, aut cryſtalli (quod quaſi congelata aqua cenſetur) ſimilitudinem referant, & vim refrigerandi habere cenſeantur, ſuper quos Empyreum collocant, ſicut apud nos ſupra firmamentum (nam in quacunque opinione ſupremum locum ei concedi debet.) Secundo præſupponit Auerroes, hoc libr. comment. part. 9. Iand. quæſt. 12. & Duran. in 2. diſtinction. 14. orbes cæleſtes inter ſe eſſe ſpecie diuerſos, id quod docet Albert. Magn. tract. de 4. coæuis, quæſt 4. art. 4. & hoc lib. tract. 3. c. 4. Diuus Thom. 2. contra gent. capit. 92. ibid. Ferrar. & Caiet. 1. part. quæſt 66. ad art. 1. probat ex Ariſtot. 2. de anim. text. 34. & 35. aſſerente, ſingularia in eadem ſpecie multiplicari propter ſpeciei conſerua-

tionem, at corporis cæleſtis ſpecies in vno indiuiduo conſeruari poteſt, cum illud ſit incorruptibile; ergo non ſunt plures orbes cæleſtes eiuſdem ſpeciei ex mente Ariſtot. Ratione etiam probatur primo, quia ſulunari mundo corpora, quæ naturæ ordine diuerſa exigunt loca ſpecie diuerſa ſunt, vt inductione conſtat in 4. elementis, ſed ſinguli orbes cæleſtes ordine naturæ exigunt diuerſa loca; ergo ſpecie inter ſe differunt. Secundo, materiæ cæleſtium ſphærarum inter ſe ſpecie differunt, vt probauimus ad cap. 2. libro 1. quæſt. 8. Ergo formæ à quibus illæ ſpeciem ſumunt potiori iure diſſidebunt ſpecie inter ſe, ac proinde compoſita ex illis coaleſcentia, & alia cæleſtia corpora eſſent corruptioni obnoxia, vt ibi inferebamus. Tertio id ipſum roboratur, ex diuerſitate accidentium; maxime motuum ſingulorum orbium, quæ quoties alicui corpori præ aliis, ex natura rei conueniunt perſpicue denotant, diſtinctionem ſaltem ſpecificam principij ſubſtantialis, & hæc fuit vnica via Philoſophiæ agnoſcendi ſubſtantiarum diſtinctionis, ortum, & interitum, quæ omnia æquè probant, ſpecificam diuerſitatem inter orbes minores, & quaſi partiales, de quibus infra, ac inter maiorem, & veluti totales ſphæras, vt expendenti conſtabit. His igitur præſuppoſitis, quærimus, an quo eleuatiores ſint, eo ſint nobiliores, ſeu an idem ſit ordo ſitus inter cæleſtes orbes, & ordo perfectionis, vel nobilitatis.

Et prima ſententia tenet, non eſſe vniuerſaliter verum, quod idem ſit ordo ſitus, & dignitatis, inter ſphæras cæleſtes, quæ mouentur; ſed in eis duntaxat, præter orbem Solis: nam conſtat ex multitudine, varietate, ac nobilitate effectuum; quos producere videmus, nobiliorem planetarum omnium

Solem

Solem eſſe, & ex conſequenti ipſius orbem perfectiorem omnium corporum cæleſtium, quæ mouentur: nam globi cæleſtes (vt teſtatur Ariſtoteles 12. Metaphyſicæ capit. 81. textu 48. propter ſydera, quæ ſuo motu ſecum deferunt, facta ſunt, & tamen ex communi ſententia, Sol, & cælum, cui affigitur, quartum tenet locum; ergo non poteſt vniuerſe verum eſſe, quod idem ſit ordo dignitatis, & ſitus. Ita ſentit Richardus in 2. diſtinctione 15. quæſtione 5. circa ſecundum principale, non paucos Aſtrologos ſequutus. Quorum ſententiam amplectuntur etiam Patres Conimbricenſes, 2. libro de cælo, capite 5. quæſt. 2. articul. 2. Addunt tamen æqua forte probabilitate dici poſſe, inter omnes ſphæras eundem eſſe ordinem dignitatis, ac perfectionis, non includendo planetas, quia valde probabile eſt, Solem non eſſe continuum eidem orbi, cum quo mouetur, ſed contiguum duntaxat, nec eſſe eiuſdem ſpeciei, ſed diuerſæ, & nobilioris longe naturæ; & propterea Sol, quamuis perfectior ſit cunctis orbibus mobilibus, atque etiam cunctis planetis, quæ in eis, & cum eis mouentur: orbis tamen ſolaris eundem cum cæteris ſitus, & dignitatis ſeruat ordinem.

Secunda ſententia abſolute docet, inter orbes cæleſtes, & planetas eundem eſſe ordinem perfectionis, ac ſitus. Hanc amplecti videtur Diuus Thomas 12. libro Metaphyſicæ ad tex. 44. & cum eo alij: quam in primis colligunt ex doctrina D. Dionyſij 6. capite cæleſtis Hierarchiæ, & ex Ariſtotele 4. lib. Phyſicorum, text. 49. hoc modo: Idem ordo, qui reperitur inter ea, ex quibus conſtat ſuperior mundus, nempe, Angelicus, & inferior, nempe, elementaris, reperiri debet inter ea, ex quibus conſtat mundus medius,

nempe cæleſtis; ſed inter ea, ex quibus componitur mundus Angelicus, & inter ea, ex quibus componitur elementaris; idem eſt ordo ſitus, & perfectionis: ergo idem etiam eſſe debet inter corpora cæleſtia: probatur minor, quia ſuprema Hierarchia in ordine eſt etiam perfectione ſuprema, & eodem modo media; & infima apud D. Dionyſium; & apud Ariſtotelem idem eſt ordo ſitus, & dignitatis inter elementa: nam ignis ſitu excellens eſt omnium perfectiſſimus, & ſicut terra obtinet infimum locum, ſic etiam eſt omnium imperfectiſſima. Ariſtoteles 12. Metaphyſicæ capit. 8. textu 44. docet expreſſe ordinem intelligentiarum mouentium cæleſtes ſphæras, eſſe ſecundum ordinem motuum, & mobilium, ita vt pro cuiuſque ſphæræ natura ſuus reſpondeat motor, nempe inferiori ac imperfectiori inferior ac imperfectior; ſuperiori vero, ac perfectiori ſuperior, ac perfectior motor: ſentit igitur aperte eundem eſſe ordinem ſitus, & dignitatis inter omnes ſphæras cæleſtes: nam valde incongruum foret, & Angelorum dignitati diſſonum; quod perfectior moueret imperfectiorem, atque inferiorem ſphæram; & imperfectior ſuperiorem, ac perfectiorem.

Probatur ratione: primo ex effectu: nam eo dignior eſt cauſa, quo digniores producit effectus, cum in eius virtute contineri debeant: ſed quo planetæ eleuatiorem ſitum habent, eo nobiliores edunt effectus, & pariter ſphæræ, quibus inſident (ſi iſtæ habent diſtinctum influxum à planetis:) ergo idem prorſus eſt ordo dignitatis, & ſitus inter eos. Probatur minor, quia aſtrologi tribuunt Saturno vim conſeruandi res fixas, & permanentes; & inclinandi ad altiſſimarum rerum contemplationem,

iuxta propriam capacitatem: Marti vero fortibus viris præſidere; quos nobiliſſimos effectus eſſe, per ſe conſtat.

Secundo, corpus, quod continet aliud, comparatur ad illud, ſicut forma ad materiam, & ex conſequenti, tanquam dignius indigniori, vt teſtis eſt Ariſtoteles 4. lib. Phyſicorum, cap. 5. textu 49. ex quo colligit, elementum, quo ſuperius eſt, eo eſt nobilioris naturæ, quia inferius continet: ſed ſphæra ſuperior, atque etiam planeta continet, ac circundat inferiorem non ſecus atque elementum ſuperius: ergo neceſſe eſt nobiliorem eſſe, & proinde eundem eſſe ordinem ſitus, & nobilitatis inter omnes. Vrgeo argumentum ex firmamento, ſeu ſtellata ſphæra, variis ſtellis prædita, effectu, viſuque inſignibus atque etiam ex Zodiaco circulo duodecim ſignis ſplendente, ſub quo planetæ omnes incedunt, & vnde conſeruatio omnium rerum corruptibilium, omnium temporum viciſſitudines, totius terræ fructus, animantium omnium procreatio, ac denique totus hic mundus inferior dependet, quod proinde nobilius multo eſſe debet cæteris omnibus ſphæris inferioribus, atque etiam planetis omnibus in eis, & cum eis motis. Cuius etiam ſupremam dignitatem colligere licet ex dignitate ſuprema motus, per quem cæteras omnes ſphæras, ac planetas ſecum rapit, & motum diurnum explere facit. Eodemque argumento probatur de reliquis iuxta ordinem ſitus, qui idem proinde erit, ac dignitatis inter omnes, nulla ſphæra, nulloque planeta excepto.

Noſtra ſententia aſſerit, eundem eſſe ſitus, ac dignitatis ordinem, inter omnes ſphæras cæleſtes, ſecus vero inter aſtra: ita autem nobis ſentiendum eſſe iudicamus, quia efficaciora nobis videntur argumenta

poſterioris ſententiæ, quantum pertinet ad ordinem ſphærarum, quarum ſuperiores continent, atque comprehendunt inferiores, quod non videtur ſtare poſſe, niſi nobiliores ſint, cum naturalis comprehenſio maiorem perfectionem importet, vt in elementis eſt manifeſtum. Excogitare vero, quod Deus fecerit ſphæram Solis quantitate minorem, dignitate vero, aut perfectione ſuperiorẽ, fundamẽto rationis caret, quia ſi maior capacitas ſuperiorum poſtulat maiorem perfectionem, aut maior perfectio maiorẽ capacitatem; & ſphæra Solis perfectior eſt ſuperioribus, ex propria natura poſtulabat capacitatem maiorem: quare neceſſe eſt fateri, non eſſe factam à Deo cum ea quantitate, quam natura eius poſtulabat, quod ſine miraculo non potuit contingere; miracula vero in naturali rerum conditione ponere, alienum eſt à recta Philoſophia.

Cæteris quoque argumentis non bene poteſt ſatisfieri, quantum ad ordinem ſphærarum pertinet, vt ea percurrenti facile cõſtabit, & propterea iudicamus, quantum ad hanc partem, diſcedendum eſſe à priori ſententia. A poſteriori vero ſententia diſcedendum duxi, quantum ad planetas: inter quos non videtur nobis neceſſarium, eundem eſſe ordinem ſitus, & perfectionis; nam de ſingulis ſtellis fixis certum mihi videtur, & à nemine in dubium reuocatum, nobilitate vinci à quocunque planeta, vt oſtendunt nobiliores, atque euidentiores effectus, quos planetæ edunt, & quos nemo concedit ſtellis ſingulis firmamenti, neque alios tantæ perfectionis, & tamen iſtæ ſitu excellunt omnes planetas. Et randem cum Sole nemo audebit comparare quamlibet ſtellam firmamenti, quam tamen ſecundum ordinem ſitus eõ ſuperiorem nouit: non eſt ergo neceſſarium, eundem eſſe ordinem ſitus, & dignitatis inter planetas. Cui addo, nec

inter

Digitized by Google

inter eos vnum continere alterum, eumve comprehendere,vt propterea iudicandum ſit,eum nobilitate vincere,ſicut inter ſphæras contingit. Bene ergo potuit perfectior planeta in loco inferiori collocari,abſque prҿiudicio ſuæ nobilitatis; quia partes ex propria natura ordinantur ad perfectionem,& bonum totius, cuius gratia fiunt, & fiunt quidem propter operationem propriam, iuxta proloquium Ariſtotelis, vt per eam totum ipſum perficiant. Talis ergo ſitus debetur cuique planetæ in vniuerſo,qualis congruit exercitio propriæ operationis, & iſte eſt conueniens propriæ perfectioni,multitudo itaque,varietas, & excellentia operationum ſolarium,quaſi medium locum poſtulat in vniuerſo;nam ſi ſuperiorem haberet,nec illuminare,neque ſuo calore fouere poſſet ſublunaria corpora, ſed remiſſe quidem,propter nimiam diſtantiam;quare frigeſcerent omnia,& caloris defectu perirent,neque poſſent vitales operationes fieri,nec ideo ſpecies viuentium corporum conſeruari, neque homines lucis defectu proprias exercere operationes; ergo ſicut iſte naturalis eſt ei, quemadmodum naturale eſt ſua virtute vniuerſale bonum totius vniuerſi reſpicere,& quantum poteſt iuuare, ac perficere, & ex conſequenti bonum ſingularum partium,quibus conſtat.

Et hæc multitudo,varietas,atque excellentia operationum,& effectuum plane conuincit nobilitatem naturæ Solaris præ cæteris aſtris,& ſphæris.Quod eſt enim corpus cæleſte?quod aſtrum?quis planeta?quem ſua operatione,atque effectu Sol non perficiat? nullum profecto:cæleſtes omnes ſphæras, planetas omnes,omniaque aſtra,ſuo lumine perfundit, atque colluſtrat,vſque adeo,vt non pauci arbitrentur, nec micam luminis à ſe habere,ſed quidquid habent, à Sole mendicare. Quod eſt etiam ſublunare corpus, quod

ab initio ſuæ generationis non incipiat iuuari,foueri, & perfici à Sole?Immo,quod Sole deficiente,produci poſſit in natura rerum? Atque etiam iam productum conſeruari?nullum profecto.De homine ipſo creaturarum omnium corporearum perfectiſſimo protulit Ariſtoteles ſecundo libro Phyſicorum,non à ſolo parente, ſed à Sole ſimul progigni, ita vt quaſi alterum eius parentem eum vocare poſſimus. Audiamus ſacram Paginam Solis excellentiam his verbis egregie extollentem.Eccleſiaſt. 43. *Sol in aſpectu annuncians in exitu,vas admirabile,opus excelſi, in meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere?* & paucis interpoſitis: *Magnus Dominus, qui fecit illum.* Audiamus etiam D. Dionyſium, eximium Philoſophum,atque præclarum Theologum,4.cap.de diuinis nominibus,non longe à principio, eiuſdem Solis encomia,ſic proſequentem: *Ita & diuinæ bonitatis manifeſta imago,magnus iſte,& totus ſplendens, & ſuperlucens Sol,ſecundum multam reſonantiam boni,& omnia quæcunque participare ipſo poſſunt,illuminat,& ſuperextenſum habet lumen ad omnem extendens viſibilem, & ſurſum propriorum radiorum ſplendores:* & poſt pauca addit. *Sed & generationem viſibilium corporum confert,ad vitam mouet, & nutrit,& auget,& perficit,& mundat,& renouat.* Quibus ad Solis naturam commendandam,& ſuper aſtra omnia,cæleſtiaque corpora efferẽdã,nihil elegantius, nihil ſapientius proferri potuit.Quos omnes effectus non ſola fide ſapientium hominum, ſed euidenti experientia nouimus:de cæteris vero aſtris,planetis, atque corporibus cæleſtibus, nec tot, nec tam varios, neque tantæ nobilitatis experti ſumus; neque tantorum virorum teſtimonio comprobare poſſumus. Cum ergo ex effectuum nobilitate menſurari debeat nobilitas cauſæ,ſequitur,aſtrum Solis, à quo emanãt,

pri

primum nobilitatis locũ obtinere inter aſtra omnia, plenetas omnes, omniaque cæleſtia corpora: ſed conſtat non habere ſupremum ſitum, ergo dicamus neceſſe eſt, non eſſe eundem ordinem nobilitatis, & ſitus inter planetas, nec inter planetas, ſtellas, & ſphæras cæleſtes, quamuis facta comparatione inter ſolas ſphæras idem ſit.

Neque argumenta aliarum opinionum aliquid efficiunt: prioris quidem probant tantum de Sole, non eodem modo ordinari cum cæteris planetis, aut ſphęris cæleſtibus ſecundum ſitum, ac ſecundum nobilitatem: de ſphæra tamẽ eius comparatione aliarum non probant eſſe nobiliorem, quia neque eſt certum Solem eſſe partem eius, neque ei continuum, ſed nec eiuſdem ſpeciei, quæ probare oportebat, vt probaretur, non eſſe eundem ordinem ſitus, & perfectionis inter ſphæras cæleſtes. Quod intelligo, etiamſi quartum cælum tribus orbibus conſtet, vt aſſerit hæc ſententia, de quibus omnibus mox erit ſtatuendum.

Argumenta etiam poſterioris ſententiæ maiori ex parte ſolum probant facta comparatione inter ſolas ſphæras. Quæ vero de peculiaribus, atque excellentioribus effectibus aliorum planetarum aſſumunt aſtrologi ad probandum, nobiliores eſſe Sole, commentitia plane ſunt, (vt bene adnotarunt Patres Conimbricenſes ſecundo libro de cælo, capitulo 5. quęſt. ſecundo art. 3. & licet vera forent, falſum tamen, quod nobiliores effectibus à Sole emanantibus: nam vniuerſaliores ſunt iſti, cum non ſolum ad inferiorem mundum, ſed ad ſuperiorem quoque extendantur, & modo longe nobiliori eos producit Sol, quam firmamentum cum ſuis ſtellis producat alios.

Quod etiam de ſignis Zodiaci affertur confirmat, potius

potius maiorem nobilitatem Solis ſupra firmamentum, & ſtellas eius, cum effecta illa, quæ ex eis ſequuntur, Soli potius nobiliori modo adſcribi debeát, quam firmamento, atque ſtellis eius. Ac tandem, quod de perfectione continentis, aut comprehẽdentis corpus ſupra contentum, vel comprehenſum affertur, probat quidem, ſed de ſolis ſphæris, inter quas continentia, ac circunſcriptio locum habet, non tamen de planetis, quæ neque ſe continent, nec circunſcribunt (vt ſatis per ſe eſt manifeſtum) ſed nec eſt certum, ſed valde dubium, quod continui ſint cum ſphęris, & ideo tanquam partes earum ſe habeant, vt propterea ſequatur ſuperiorem ſphæram eo ipſo, quod inferiorem continet planetam ei continuum, ac eius partem contineat: ſed probabilius forte eſt oppoſitum; quare neque ex hac parte probatur, eundem eſſe ordinem ſitus, & nobilitatis, facta comparatione planetarum cum ſphæris, ſed de his plenius, & planius mox loquemur. Et de diſtinctione ſpecifica orbium, & aſtrorum dicemus paulo inferius.

QVÆSTIO V.

An quodlibet cæleſte corpus ſub primo mobili contentum duplici motu moueatur.

COmmunis eſt ſententia Aſtrologorum, & Philoſophorum, cæleſtes ſphæras præter primam duplici agitari latione, altera, qua à primi mobili rapiuntur; altera, per impetum à propria intelligentia impreſſum. Manifeſto enim experimento compertum eſt, Solem, Lunam, & cæteros planetas ab Oriente in Occidens motu diurno cieri: ad ſenſum enim conſtat, tam ſtellãs fixas, quàm errantes ab ortu ſupra

ſupra noſtrum Orizontem aſcendere, pergere deinde in Occaſum,& iterum in Oriente,naſci. Sed non minus exploratum eſt, diſſimili quodam gradu retromeare,& non ſemper ab eodem Orientis puncto aſcendere per noſtrum Orizontem, ſed modo ab vno poſtea tardius ab alio mutata inter ſe,& cũ ſtellis diſtantia; quod quidem nequit contingere, niſi præter motum raptus primi mobilis aliis propriis, & diſtinctis inæqualiter planetarum orbes pergant. Hæc tamen communis ſententia non eodem modo ab omnibus intelligitur. Quidam enim vulgari trutina rem expendentes exiſtimarunt, inferiores orbes duplici motu diſtincto, & quaſi modo oppoſito ſimul in orbem cieri:ita vt proprio motu, à propria intelligentia in Orientem tendant, ac ſimul ab intelligentia primi mobilis motrice in contrariam partem verſus Occidentem rapiantur.Ita ex recentioribus multi,quos ſequi videntur Patres Conimbricenſes hic cap.5.quæſt. 4.art. 1. qui omnes ſibi habuerunt perſuaſum, hunc eſſe ſenſum communis ſententiæ Sancti Thomæ, Doctorumque omnium mentem. Quorum fundamentum eſt,quia aliter non apparet, qua ratione ſtare poſſent ea,quæ in cælis perſpicue deprehendi diximus.

Alij tamen propius ad veritatem accedentes ita communem ſententiam intelligunt, vt quilibet orbis inferior in rigore,& proprietate phyſica vnico dumtaxat motu moueatur, qui tamen à duplici virtute motrice oppoſita;ſeu à duplici intelligentia è contrario impellente procedat, propria altera Orientem verſus imprimente impetum, altera primi mobilis in contrarium rapiente.Et prior pars ſtatim probabitur. Secundam vero ita ſuadere conantur, quia niſi hoc detur,intelligi nequit communis ſententia adſtruens

ſingu

cauſa octaua,ſeu decima ſphęra primum mobile nuncupatur. At inferior ſphæra etiam circunuoluitur à propria intelligentia, igitur illius motus ab vtraque intelligentia procedit.Minor inconfeſſa eſt apud omnes conſtituentes tot motrices virtutes,quot ſunt orbes cæleſtes:& ex eo conſtat, quia,vt infra dicemus, nequeunt ab vna eadéque intelligentia tot orbes tam vaſtæ molis ſimul diuerſimode rotare.Et vlterius demonſtratur, quia ſi inferiores ſphæræ ſolo primi mobilis raptu veherentur,ęquabili,aut proportionata celeritate inter ſe, & cum illo rotari neceſſarium foret, cum eodem modo ſemper raperētur, ac proinde ſemper planetæ inferioribus ſphęris affixi ab eodem Orizontis puncto aſcenderēt, & eorum quilibet eandem ſemper ſeruaret cum aliis diſtantiam,quoad punctum natiuitatis, & lineam,per quam pergit,cuius oppoſitum euidentibus obſeruationibus Mathematici experiuntur.Fateamur ergo neceſſe eſt, inferiorum ſphærarum motus non à ſolo motore primi mobilis, nec à ſolo proprio, ſed ab vtroque prouenire.

Poſterior pars noſtræ aſſertionis, quam Valleſius ſupra cum aliis recentioribus contra plures alios tradidit, hac efficaci ratione à nobis probatur: Non eſt neceſſarius impetus à propria intelligentia impreſſus inferiori orbi verſus ortum, ſed ſat eſt impulſus eiuſdem in Occidentalem plagam impellens, & hic eſt naturæ cæli magis conſentaneus,igitur hic,& non ille ponendus eſt. Antecedens, quoad priorem partem, probatur, & explicatur, quia ideo impulſus ille ponitur à ſuis auctoribus, quia inferior orbis retrotrahi deprehenditur comparatione primi mobilis, ſeu (quod in idem recidit) planeta illi inſidens relatè ad inerrantem ſtellam: ſed hoc ſtare poteſt ex eo ſolum, quod impetus illi impreſſus à primo mobili,

bili, & propria intelligentia non adeo efficax ſit ad illum circunuoluendum, ac impetus illatus ipſi primo mobili ad huius volutionem, vt per ſe patet: igitur impulſus ille verſus ortum neceſſarius non eſt; vterque tamen ille impetus efficit motum in occaſum non per eandem lineam, & in eiſdem polis, ac primum mobile: quamuis enim ad id inclinet rapientis impetus; attemperatur tamen impetu propriæ intelligentiæ illius ſphæræ inferioris, per lineam gyratiuam mouere conantis, quæ etiam omnino id non aſſequitur, ſed ex vtroque impetu quaſi attemperato per lineam aliquam gyratiuam mediam inter lineam primi mobilis, & propriam particularis ſphæræ hæc fertur, non eadem, qua primum mobile, velocitate: quæ attemperatio ſpecialis diuerſaque eſt pro qualibet inferiori ſphæra, quia quælibet ſpeciali impetu, ſpecialique via à propria intelligentia impellitur, & ideo quælibet ſphæra propriis polis, & per propriam lineam, propriaque velocitate in orbem fertur: quæ omnia pro influxuum diuerſitate congruenter attemperata ſunt.

Secunda illius antecedentis pars de congruitate huius impulſus probatur primo, quia impetus ille verſus ortum impreſſus aliquo modo eſſet contrarius impulſui à primo mobili impreſſo verſus occaſum, vtpote in contrariam partem inclinans, quæ contrarietas, & pugna parum conſentanea eſt corpori incorruptibili, qualibet alia contrarietate experti. Deinde ille impetus perpetuo fraudaretur ſuo effectu per ſe, cum nunquam cæleſtis ſphæra moueatur proprie verſus Orientem, ſiquidem ſemper voluitur in occaſum, & nequit ſimul in duas partes, præſertim oppoſitas ferri, vt prima aſſertione oſtendimus. Denique ſi intelligentiæ inferiorum orbium

illos impellerent in Orientem, non poſſent non multum retardare primum mobile, cum illi contigui ſint, (ob quod ab ipſo rapiuntur) ingentis magnitudinis, & vehementer in contrariam partem impendentes; quod quidem non deprehenditur, parum enim detinetur, ne abſoluat perfecte circulationem ſpatio viginti quatuor horarum; id quod prouenit ex eo, quod inferiores orbes nonnihil obſiſtunt per impetus ſibi impreſſos, ne à propria linea gyratiua, per quam moueri exigunt ad lineam primi mobilis extrahantur, cuius ratione media pergunt via, vt diximus. Et ſane incredibile eſt, & ſine vrgenti neceſſitate nequaquam adſtruendum; intelligentiam primi mobilis motricem non ſolum rotare ingentem illam magnitudinem ſui orbis, & ſimul rapere vaſtam reliquam molem inferiorum omnium ſphærarum, ſed etiam id præſtare contra oppoſitos impetus ab aliis motricibus intelligentiis impreſſos. Eſt enim magna nimis perfectio limitatæ creaturæ cancellos prætergrediens.

Ex dictis ad argumenta in contrarium adducta ſatis conſtat, iam enim demonſtrauimus qua ratione diuerſas planetarum diſtantias, & coitu inter ſe, & cum ſtellis fixis, motuum etiam inæqualitatem conſtare poſſint, & reduci optimè in duplicem illum impetum cuilibet inferiori orbi à duplici intelligentia verſus occaſum impreſſum, ob cuius diuerſitatem diſpari celeritate in diuerſiſque Polis, quælibet inferior ſphæra intra ſuperioris ambitum, & cauitatem in Orientalem plagam pergit, & hac ratione intelligendi ſunt antiqui Doctores, præſertim Ariſtoteles, & Diuus Thomas, qui in vniuerſum aſſeruerunt, inferiores ſphæras duplici motu moueri, quia ſcilicet à duplici virtute motrice, propria, & rapientis

pientis orbis, partim per lineam huius, partim per propriam, hoc eſt, per mediam inter vtramque ob vtriuſque impetus attemperationem cientur, eſt enim diuerſus motus, & per diuerſam lineam, ac eſſet, ſi à ſola propria intelligentia, aut ſolo primi mobilis raptu rotaretur, quod videtur expreſſiſſe Ariſtoteles textu illo 35. relato pro ſecunda ſententia hiſce verbis: *In his enim, quæ ſunt ſub illo (id eſt, primo cælo) plures lationes in vnam iam conuenire.* Ac ſi diceret, eſt vnus motus inferioris ſphæræ à virtute tamen compoſita ex duabus diuerſum motum ſeorſum poſtulantibus. Nonnunquam etiam Ariſtoteles, & Diuus Thomas tum citatis locis, tum alibi plures motus attribuunt cuilibet inferiori orbi totali ſcilicet, qui componitur ex pluribus partialibus, quorum cuilibet ſuus proprius motus conuenit, & ideo omnes ſimul totali orbi dicuntur conuenire. Et ſimiliter cum docent, has ſphæras in Orientem etiam ferri propriæ intelligentiæ impetu, ex eo id affirmant, quia licet hæc in occaſum impellat, ſegniori tamen impetu, & per ſpecialem lineam gyratiuam, quapropter minori velocitate orbis circunfertur, ac proinde comparatione primi mobilis celerius pergentis, è contrario moueri, & retromeare dicitur eo modo, quo debilis potentia poſitiua relate ad perfectam potentiam impotentia nuncupatur, & aliquo modo contraria. Nec aliquid vnquam dictis aduerſum in his Doctoribus per otium conſultis inuenire potui.

* * *

QVÆSTIO VI.

An planetæ, ſeu errantes ſtellæ, ſint partes continuæ, componentes orbes, quibus inſident, & ad motum eorum moueantur.

RAtionem dubitandi præbuerũt planetæ, propter difformitatem quandam in propriis eorum motibus oſtenſam, quam non oſtendunt firmamenti aſtra; ratione cuius difformitatis, nunc propinquiores terræ, nunc vero remotiores ab ea apparent, & ex conſequenti, nunc maiores, nunc vero minores. Vt igitur Phænomenas has, ſeu apparitiones ſaluare poſſint aſtronomi, ſingulis planetis conceſſerunt peculiares orbes, ac diſcontinuos inter ſeſe, & à principali, eoque minores, ex quibuſque idem præcipuus quodammodo componatur; ac tandem, qui propriis motibus ac diſtinctis à motu eius moueantur, non tamen ecentricos, ſed concentricos, hoc eſt, habentes eundem centrum aliorum orbium, qui eſt centrum totius mundi. Pro hac ſententia citantur Eudoxius, Calleppus, Ciuillus, Thiletus in libris de cælo: Fracaſtorius, in libro de homocentricis, Auerroes ſepe, immo & Ariſtoteles 12. libr. Metaphyſicæ, text. 45. & 46. Aſtrologorum ſententias recitauit, & hæc eſt prima ſententia.

Alij vero putantes Phænomenas omnes, ſeu varias appaririones non poſſe ſaluari per ſolos orbes proprios, ac diſcontinuos concentricos, poſuerunt eos ecentricos, hoc eſt, diuerſum centrum habentes inter ſeſe, & à communi totius mundi, addideruntque ita hoſce minores orbes ſe habere reſpectu planetæ, vt vnus eorum ſit ei proprius, cui inſit. Iſte minor orbis

bis vocatur quaſi ſphærula, aut epicyclus, in quo mouetur planeta, ab Oriente in Occidentem habens motum eius tanquam proprium. Et hæc eſt 2. ſententia.

Alij tandem, & non pauci, Phænomenas omnes, ſeu varias planetarum apparitiones veras eſſe negant, ſed apparentes tantum eſſe cenſent ex variis modis, quibus vapores inter planetam, & viſum intercedunt, quorum ratione decepti, videntur ſibi propinquiores interdum, & maiores, interdum vero remotiores, & minores, ac propterea non eſſe propter illas multiplicandos orbes planetarum, aut ponendos plures, quaſi partiales, ex quibus ſinguli eorum orbes componantur, quia non ſunt multiplicanda corpora (præſertim incorruptibilia, & adeo perfecta) ſine vrgenti neceſſitate, quæ non probatur ad eſſe in re præſenti.

Vt autem veram in re difficili ſententiam ſtatuamus, explicare oportet quonam modo excogitari poſſit compoſitio hæc eiuſdem totalis orbis ex multis partialibus motui planetæ ita acommodata, vt per eam ſaluari poſſint vniuerſæ apparitiones, circa eum contingentes, ita ergo excogitatur ab omnibus ferme Aſtronomiæ peritis, vt quilibet orbis cuiuſcumque planetæ compoſitus ſit ex tribus ſaltem minoribus orbibus, quaſi partialibus, diſcontinuis, & inæqualibus inter ſeſe, quia prius cõtinetur quodammodo ab altero, & neceſſe eſt, contentum minorem eſſe continente. Ex his autem tribus orbibus vnus dicitur ecentricus ſimpliciter, quia vtraque eius ſuperficies, tam concaua quam connexa; habet centrum diuerſum à centro ſui orbis totalis, ac totius mundi, habetque iſte idem orbis eandem profunditatem, ſeu groſſitiem omni ex parte, atque immenſus eſt intra profunditatem, atque groſſitiem ſui orbis totalis, voca-

turque deferens planetam, vel cui planeta proxime inſidet. Hunc orbem ſimpliciter ecentricum circundant duo alij orbes, etiam partiales, vnum verſus conuexum eius, & alter verſus cõcauum, ſed diuerſæ profunditatis, aut groſſitiei ambo: nam ſuperior neceſſario eſt valde tenuis ex ea parte, qua ecentricus orbis quem circundat, maximè à centro mundi diſtat, maximam vero profunditatem habet ex parte oppoſita: E contrario vero inferior orbis, & quaſi concauus, & internus, & ita fit, vt conuexa ſuperficies ſuperioris orbis, & concaua inferioris, idem centrum habeant, quod totalis orbis planetæ, centrum videlicet totius mundi; concaua vero ſuperioris, & conuexa inferioris idem habent centrum, quod orbis ſimpliciter ecentricus, quem circundant, ratione cuius hi duo extremi orbes ecentricum circunſcribentes dici ſolent ecentrici ſecundum quid, quia ſecundum vnam tantum ſuperficiem diuerſum centrum habent à centro mundi, hi etiam duo orbes non mouentur motu eiuſdem ecentrici, aut planetæ ab eo delati, ſed motu alio diuerſo. Et tandem in eodem ecentrico planetam deferente datur rotunda quædam pars omnino ſolida, ac rotunda, quaſi paruulus quidam orbiculus, quem epicyclum vocant, & in quo planeta reuoluitur ab Oriente in Occidentem: eiuſmodi autem epicyclos attribuendos eſſe cenſent aſtronomi, omnibus planetis, propter Solem, cui ſufficere arbitrantur orbes proprij, quorum ratione ſufficienter ſaluantur omnes apparitiones eius. Lunæ vero ac Mercurio tribuunt motus alios, de quibus curandum non eſt.

Hanc vero compoſitionem orbium planetarum recentiores tertiæ ſententiæ exiſtimant, non eſſe neceſſariã pro motibus eorundem planetarum: alij tamen

men omnino impoſſibilem: probatur hoc primo: nam poſitis duobus his orbiculis ecentricis, & inæqualis groſſitiei, ſequitur ex motu eorũ penetratio, vel ſciſſio vtriuſque, vel certe admittendum eſſe vacuum; probatur conſequentia, quia cum vtrumque moueatur, neceſſe eſt, partes groſſiores aliquando coniungi, & aliquando etiam partes delicatiores, & aliquando etiam vtraſque ſeparari, ſed non poſſunt coniungi niſi ex parte ſe penetrando; cum non detur ſpatium ſufficiens in quo ſimul extendantur, ſed eandem ſaltem partem idem ſpatium occupare, neceſſarium ſit, quod eſt ex parte ſe penetrare: dum vero coniungantur tenuiores partes, minus ſpatium, quam groſſiores occupabunt, immo quam groſſiores vnius, & tenuiores alterius in alia parte motus coniunctæ: ex quo conſtat ſequi, aliquam partem ſpatij occupatam in concurſu groſſiorum vtriuſque, vel groſſiorum vnius; & tenuiorum alterius; permanere vacuam in concurſu tenuiorum vtriuſque.

Secundo, ex eiſdem orbibus ex parte ſaltim ecentrici ſequitur, moueri cæleſtia corpora motu recto, qui vocatur ad medium, aduerſus expreſſam ſententiam Ariſtotelis 1. libro de cælo capite 2. aſſerentis, motum ad medium, & à medio conuenire ſolis corporibus ſublunaribus, motum vero circa medium ſoli corpori cæleſti. Probatur conſequentia, quia his ecentricis poſitis, neceſſe eſt planetam per motum aliquando eſſe terræ proximum, aliquando remotum, remotum quidem fuerit in puncto ſuperiori illius orbis, qui conuexum ecentrici circumſcribit: proximum vero terræ planeta erit; dum in puncto inferiori oppoſito fuerit, mouebitur ergo à puncto diſtanti à centro ad punctum proximum, quod eſt moueri ab vno in alterum locum, ſeu ſpatium reſpectu

Digitized by Google

centri, & moueri ad medium, ſeu motu recto. Et poteſt vrgeri argumentum, quia ſi Luna, gratia exempli, circumuoluitur in ſuo epicyclo motu ſibi proprio ſequitur, non ſemper nobis oſtendere eandem partem, ſeu eandem faciem, ſed vnam, dum eſt in parte ſuperiori eius, & alteram, dum eſt in inferiori, aduerſus experientiam manifeſtam: nam eandem partem maculatam eius videmus ſemper, & in hanc ſententiam inclinare videtur Diuus Thomas 12. Metaphyſicæ, lectione 10. quamuis probabile videatur cenſere, dari ecentricos, & epicyclos 2. de libro de cælo. Lectione 17. & parte 1. quæſtione 32. articulo 1. ad 2.

Alij vero illam compoſitionem orbium hoc argumento probant, non eſſe neceſſariam; non enim alia de cauſa neceſſaria exiſtimatur, niſi pro ſaluandis apparentiis planetarum, qui vno tempore proximiores apparent, & ideo maiores, altero vero remotiores, & ex conſequenti minores, quod non poſſet ſaluari, ſi propriis orbibus inſiderent, ſicut ſtellæ firmamenti, & ad motum eorum mouerentur, cum conſtet, ſtellas has eandem ſemper diſtantiam à terra habere, & eiuſdem ſemper magnitudinis apparere: Sed apparentiæ iſtæ etiamſi veræ forent, ſufficienter ſaluarentur, aut cum ſolis orbibus ecentricis, aut cum ſolis epicyclis, quia cum his, vel illis ſolis, eo ipſo, quod motu diſtincto à totali orbe mouentur, neceſſe erit, ad partes eorum remotiores à terra aliquando peruenire, atque etiam aliquando ad proximiores; cum conſtet, remotiores eſſe partes eorum ſuperiores, inferiores vero proximiores, & neceſſarium ſit, planetam omnes percurrere per circulationem; ergo ſaltem non erit neceſſarium orbes ecentricos ponere ſimul, atque epicyclos, ſed

ſuffi-

ſufficient hi ſoli, vel ſoli orbes concentrici.

Probabilius tamen nobis videtur, totam compoſitionem explicatam non eſſe ſolum poſſibilem, ſed neceſſario ponendam in orbibus planetarum: nam vtrumque in primis docent omnes Aſtronomi, & experientiis ita efficacibus probant, vt fidem facere mereantur. Vnde non ſolum non recedit ab eis Ariſtoteles, ſed in multis eorum ſententiam amplectendam eſſe à Philoſophis arbitratur 2. libro de cælo capite 8. textu 60, & 61. & vniuerſaliter 12. Metaph. monet, Aſtronomos in Aſtronomicis rebus eſſe conſulẽdos, & primum quidem, quod poſſibilis ſit, ex eo ſolo conuincitur, quod nihil in eo repugnans naturæ cælorum, aut motui eorum reperiatur, vt ſingula à nobis expoſita percurrenti facile conſtabit, & ſolutiones argumentorum in oppoſitum à nobis mox adhibendæ oſtendent. Quod vero neceſſario ponenda ſit, non ſolum ſecundum orbes concentricos, ſed etiam ſecundum epicyclos, probant Aſtronomi manifeſtis experientiis, nam Sol, & Luna, vt ſæpe obſeruatum à ſe eſſe teſtantur, atque etiam cæteri planetæ, nunc remotiores à terra, nunc vero propinquiores viſuntur, & conſequenter, nunc maiores, nunc minores, eorumque motus nunc velociores, nunc tardiores: cum certum ſit eo maius apparere corpus, quoad minorem diſtantiam cernitur, & eo minus, quoad maiorem, eiuſque motus tardior videtur ad maiorem diſtãtiam, & ad minorem velocior, ſed impoſſibile id foret, ſi ſolo motu ſui orbis mouerentur: nam tunc eodem ſemper modo diſtarent à terra, & ſemper ſub eadem magnitudinis ſpecie cernerentur, vt oſtendunt ſtellæ fixæ, quarum nulla magis, aut minus diſtans à terra apparet, & ideo, nec vno tempore maior quam alio: neceſſe eſt ergo proprio motu moueri planetas, &

circa diuerſum centrum à centro totius mundi, quod niſi ponantur orbes ecentrici, patet eſſe impoſſibile. Maior vero probatur, nam Sol exiſtens in Capricornio, aut in aliis ſignis auſtralibus maior apparet, quàm cum in Cancro, vel in aliis ſignis Aquilonaribus exiſtit: hæc vero inæqualitas paulatim tollitur, pro vt à prædictis ſignis recedit, ergo magis diſtat à terra, dum in his ſignis verſatur, dum vero in illis propinquior eſt.

Sed reſpondent aduerſarij, has apparentias non prouenire ex maiori, vel minori diſtantia planetarum à terra, ſed quia vapores, qui inter Solem & viſum noſtrum interponuntur, diſgregant radiis viſuales, vt contingit diebus æſtatis, cum Sol in ortu apparet maior, quam in meridie. Cõtra hoc tamen eſt, quia apparentiæ iſtæ contingunt ſereniſſimo cælo, ac medio à vaporibus emundato, ac tandem planeta eandem eleuationem habente ſupra Orizontem, ac propterea æſtiuo tempore ſemper contingit caliginoſum eſſe cælum, & medium magis turbatum, ac permixtum vaporibus, quam hyemali; ergo maior deberet apparere Sol in Cancro, quàm in Capricornio, quod conſtat eſſe falſum: Neceſſario ergo fatẽdum eſt, hanc inæqualitatem magnitudinis, ſub qua apparet Sol, prouenire ex eo, quod dum minor apparet, exiſtat in parte orbis ecentrici, quæ circumſcribit partem groſſiorem orbis contenti inferioris: quando vero maior in parte continente oppoſitam, & minus craſſam partem eiuſdem orbis.

Secunda experientia eſt, quia Sol plures dies inſumit, dum percurrit ſigna borealia ab æquinoctio verno vſque ad autumnale, à die videlicet vigeſimo Martij, vſque ad vigeſimum quartum Septembris, quàm dum percurrit Auſtralia, tempore hyemali.

Nam

Nam in prioribus ſignis inſumit centum octuaginta ſeptem dies, in poſterioribus vero centum ſeptuaginta octo, quod non poteſt eſſe, niſi moueatur in aliquo orbe ecentrico circa terram, ita vt maior pars illius reſpõdeat maiori parti terræ, quam oppoſitę, ergo neceſſe eſt, orbes ecentricos admittere. Quod vero Soli orbes ecentrici non ſufficiant ad ſaluandas omnes Phęnomenas, ſeu apparitiones varias planetarum, ſed neceſſarium ſit præter illos, addere ſphęrulas, ſeu epicyclos, probatur tertio experientia, quia cæteri planetæ (præter Solem) exiſtentes in puncto auxis ecentrici, hoc eſt in puncto à terra remotiſſimo, non ſemper eodem modo ſe habent ad terram, ſed modo ſublimiores, modo vero humiliores viſuntur, & ex conſequenti, nunc diametri eorum maiores, nunc vero minores, & pariter ipſimet planetæ, ac prætcrea motus eorum velociores, aut minoris velocitatis. Sed tanta hæc varietas non poteſt ratione ſolius ecentrici ſaluari, quia cum aux ecentrici ſemper ſit in eadem diſtantia à terra, planeta in eo exiſtens ſemper eodem modo appareret, quoad ſupradicta omnia, & planeta idem in auxe exiſtens deberet eſſe à terra remotiſſimus, & auxis oppoſito propinquiſſimus: Cum ergo aliquando remotior, aliquando propinquior in auxe ecentrici appareat, neceſſe eſt, ſphærulam, ſeu epicyclum ponere immerſum intra profunditatem, ſeu craſſitiem ecentrici, ad cuius motum planeta reuoluatur, & ita poſſit tam variis modis nobis apparere iuxta diuerſitatem partium motus eiuſdem epicycli ſibi proprij.

Tertia experientia pro confirmandis epicyclis ſumitur ex duplici ecclypſi lunari, quem contigiſſe referunt Aſtronomi, Sole, & Luna in eodem ſitu manentibus, ita vt in vtraque Sol eandem diſtantiam habuerit

rit à terra, atque adeo eandem vtrobique terra vmbram protexerit. Obſeruarunt autem vnam eclypſim maiorem fuiſſe,& pluſquam alteram duraſſe. Ex quibus hoc argumentum ſatis efficax deducitur: maior, vel minor duratio ecclypſis prouenit ab ingreſſu Lunæ in maiorẽ,vel minorẽ vmbrã terræ;ſed in vtraque ecclypſi eadẽ fuit vmbra terræ,cũ ponatur Sol æqualiter à terra remotus,neceſſe ergo fuit,Lunam in vna ecclypſi minus fuiſſe à terra remotã,in altera verò lõgius à terra diſtaſſe;cuius ea eſt perſpicua ratio, quia cũ vmbra terræ fiat ad modũ pyramidis,neceſſe eſt,eo ampliorẽ relinqui,quo propinquior terra fit,& eo anguſtiorem,quo remotior:quo fit,vt quo propinquior terrę fuerit Luna,eo maiorẽ pertrãſeat vmbrã,minorem vero, quò lõgius à terra recedit:& hinc procedit inæqualitas ecclypſium,quoad magnitudinem,& durationem,ſed conſtat Lunam (vt in Theorica planetarum declaratur) ex Sola ratione ſui ecentrici, non poſſe eiuſmodi inæqualitates ecclypſim pati, quia ratione illius in omni ecclypſi eandem habet diſtantiam à terra, cum ſemper tam in coniunctione eius cum Sole(in qua fit ecclypſis Solis) quam in oppoſitione (in qua fit ecclypſis Lunæ in auxe ſui ecentrici exiſtat;neceſſarium eſt ergo, præter ecentricum epicyclum ponere,vt ratione peculiaris motus, quem in eo habet planeta,ſaluetur diuerſa diſtantia eius à terra etiam ſi in eodem ecentrici auxe permaneat,& ex hac diuerſa diſtantia amplior , vel anguſtior vmbra, ac tandem maior, atque prolixior ecclypſis, aut minor, & breuior.

Quod poteſt corroborari ex his, quæ refert Clauius noſter in ſua ſphæta,à fol.443.vſq. ad 449.ſe vidiſſe duas ecclypſes:priorem in Ciuitate Conimbrica Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo no-

no circa meridiem,in qua directè interponebatur Luna inter viſum,& Solem,ita vt Solem integrum non per minimum tempus contegeret, fueruntque tenebræ quodammodo maiores, quam nocturnæ, neque vbi quis pedem poneret,videre poterat, & clariſſimè apparebant ſtellæ in cælo; & quod mirabilius erat, aues ex aere in terram præ horrore ex tanta terræ obſcuritate incuſſo decidebant. Alia fuit Romæ anno 1567.etiam circa meridiem,in qua etſi Luna inter Solem,& viſum interponeretur,non tamen ita vt totum Solem obſcuraret, ſed (quod nunquam fortaſſe alias euenit)relinquebatur in Sole circulus quidam, vndique totam Lunam ambiens. Ex quibus colligitur primo,Lunam,& Solem in his ecclypſibus non habuiſſe eandem diſtantiam à terra,nec inter ſeſe,alioqui eodem modo in vtraque ecclypſi obſcurarentur, vt à perſpectiuis clare demonſtratur. Secundo, colligitur nec moueri eiſdem motibus ſuorum orbium totalium,tanquam propriis, ſed minores alios (vt ſic loquamur)habere,& circa diuerſum cẽtrum à communi totius mundi,quod non eſt poſſibile,niſi præter totales orbes eis proprios, ponamus ecentricum ſimpliciter,& duos alios minores orbes,ex parte etiam,ac ſecundum quid ecentricos iam à nobis expoſitos. Tertio tandem colligitur, præter hos tres orbes ecentricos, ponendam eſſe in medio orbe ſimpliciter ecentrico ſphærulam quandam in profunditate, ſeu groſſitie eius immerſam, quæ proprio motu moueatur ab Oriente in Occidentem,& in qua planeta inſideat,& cum qua circumuoluatur.Quibus poſitis Phęnomenæ omnes, ſeu apparitiones variæ planetarum non ſolum in ſuis motibus oſtenſæ, ſed etiam ecclypſes,& varij modi earum ſaluantur. Ex his autem partialibus orbibus componi quodammodo dicuntur or-

bes

bes totales planetarum,propter ordinem, quem cum eis ſeruant, & quia in profunditate, ſeu groſſitie eorum vniuerſi ponuntur, & à motu eius ſuo modo dependent. Quod quidem,vt à nobis explicatum,licet euidens non ſit,eſt tamen valde probabile, & in continua obſeruatione Aſtronomorum fundatũ,quæ circa effectus à nobis perceptibiles per ſenſus verſatur,& ideo fidem meretur efficere, id quod ex ſolutione argumentorum magis conſtabit.

Ad primũ igitur negandũ eſt,ex ecentricorũ motu ſequi penetrationẽ aut ſciſſionẽ eorũ ſecundũ aliquas partes, aut etiam ex parte dari vacuum:& huius ratio eſt,quia non ita mouentur,vt aliquando debeãt coniungi in eadem parte ſpatij groſſiores partes vtriuſque,aut groſſiores vnius cum delicatioribus alterius, ſed proportionaliter ita ſimul mouentur orbes iſti, quaſi partiales ad motum totalis, vt partes groſſiores vnius ſemper ſubſint delicatioribus alterius,atque etiam è conuerſo,cum regulariſſimus ſit,& vniformis earum motus,eiſque iuxta propriam naturam conuenit.Ex tali autem motu facile quiſque intelligat, nullum ex illatis incommodis in argumento ſequi.

Ad ſecundum neganda eſt conſequentia, quod ex ecentricis ſequatur moueri cæleſtia corpora motu recto,nam ad motum rectum non ſatis eſt, corpus motum habere,vel acquirere diuerſam diſtantiam à terra,vel ab alio corpore extrinſeco,ſed requiritur,quod per lineam rectam eam conſequatur, cum notum ſit ex eodem Ariſtotele, atque eodem loco in argumento citato,motum rectum eſſe, qui per lineam rectam fit. Orbes vero ecentrici non mouentur per lineam rectam,ſed per circularem,non tamen circa centrum mundi,ſed circa proprium.Et præterea habent partes quaſdam groſſiores, tenuiores vero alias, & ratione vtriuſ

vtriuſque acquirunt per motum circularem diuerſam diſtantiam, non quidem à proprio centro, circa quod mouentur, nam hoc pugnaret cum motu circulari, ſed à terra, vel à centro eius quibus non commenſuratur circularis eorum motus. Negandum eſt igitur, moueri ab vno loco, ſeu ſpatio in aliud, ſed mouentur ab eodem in idem, vt poſtulat motus circularis, ſic autem moti acquirere poſſunt diuerſam diſtantiam à terra.

Ad aliud vero, quo idem argumentum vrgetur, reſpondeo, non poſſe Lunam in circulo motam in proprio epicyclo nunc vnam, nunc vero alteram faciem nobis oſtendere, ſed ſemper, & neceſſario eandem: nam cum voluatur in circulo circa proprium centrum proprio motui proportionatum, neceſſe eſt, inſtabili quodam libramento permanere ſemper; D. autem Thomas pro hac ſententia relatus nihil aſſerendo docet, ſed referendo Aſtrologorum ſententiam loquitur ſemper, & nunquam eam refutando, vt ex eiſdem locis in argumento citatis facile conſtare cuique poterit.

Argumento tandem aliorum: reſpondetur, variis obſeruationibus aſtronomis compertum eſſe, Lunam aliquando exiſtentem in eodem puncto à terra remotiſſimo, non eandem ab illo habuiſſe diſtantiam, nec eiuſdem magnitudinis apparuiſſe, & pariter in eodem puncto epicycli terræ propinquiſſimo, quæ etiam in aliis planetis obſeruata ſunt, atque reperta, Immo Clauius noſter in ſua ſphæra, folio 444. teſtatur ſe vidiſſe paucis annis elapſis Martem ſub tanta magnitudine, vt duplo maior tunc cælo ſereniſſimo appareret, quàm alio tempore, ita vt multi mirarentur, exiſtimantes, nouum in cælo ſydus effulſiſſe, quæ nec in ſolis ecentricis, nec in ſolis epicyclis referri poteſt,

teſt, ſed neceſſe eſt, in vtroſque referri, vt probauimus.

QVÆSTIO VII.

An omnes cæleſtes orbes ſint inter ſe contigui, nullo alio corpore interiacente.

QVamuis controuerſia hæc ad interpretes ſacræ Scripturę ſpectare videatur, quatenus ex diuerſis ſcripturæ lo cis ortum ducit: non tamen eſt à Philoſophis aliena, quorum partes ſunt, naturam & ſitum cæli inueſtigare. In qua controuerſia duæ ſunt præcipuæ ſententiæ extremè oppoſitæ.

Prima negat contiguitatem omnium orbium cæleſtium admittens veras ac elementares aquas inter omnes orbes mobiles, & cælum Empyreum, quas dicitur diuidere ab aquis permeantibus terram, totus globus cęleſtis mobilis. Ita ſentit Pater Molina, 1. parte diſput. 10. de opere ſex dierum: & videtur manifeſta ſententia multorum Patrum: ſic Iuſtinus Martyr, in reſponſione ad quæſtionem 93. Orthodoxorum, Baſilius homilia 3. Hexameron, Theodoretus, quæſt. 11. in Geneſim, Ambroſius, 2. libro Hexameron. cap. 3. Chryſoſtomus, homil. 4. in Geneſim, Hilarius in illa verba Pſalm. 135. Qui fecit cælos in intellectu, Gennadius, & Siueria relati à Lypomane in illa verba, Geneſis 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum, &c.* ac tandem Auguſtinus 2. ſuper Geneſim ad literam, his verbis: *Quomodo autem, & quales aquæ ibi ſint, eſſe eas ibi minime dubitamus: maior eſt quippe huius Scripturæ autoritas, quam omnis humani ingenij capacitas*. Fundamentum huius ſententiæ ſunt expreſſa ſacræ Paginæ teſtimonia, quæ ſupra cælos aquas cōſtituunt; & cum ſupra

ſupra Empyreũ conſiſtere non valeant, ſit conſequens, vt inter ipſum, & alium cæleſtẽ globum mobilem eas intercipi fateamur. Danielis 3. *Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cælum ſunt, Dominum:* Pſalmo 148. *Laudate eum cæli calorum, & aquæ, quæ ſuper cælos ſunt.* Et Pſalmo 103. *Extendens cælum, ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius.* Præterea firmamenti nomine in Scriptura intelligitur cælum ſtellatum, vt conſtat ex cap. 1. Geneſis: *Vocauit Deus firmamentum cælum.* Et rurſus: *Fiant luminaria in firmamento cæli.* Ac tandem: *Fecitque Deus luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti: & Stellas, & poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerẽt ſuper terram.* At firmamentũ mediat inter aquas, eadem Scriptura ibidẽ teſtante, illis verbis: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.* Igitur inter Empyreum cælum, & octauam ſphæram, veræ intercipiuntur aquæ. Quod vrget Pater Molina ſupra ex eo, quod ſi in citatis verbis non intelligantur veræ aquæ elementares, non ſtabit veritas, proprietas, & ſinceritas Scripturæ, ſed violentia illi inferretur, ſiquidem vox *aquæ* ex propria impoſitione ſignificans elementares, ac veras aquas, à propria ſignificatione extrahitur ad tropum, figuram, & metaphoricum ſenſum: quod ſi liceret, nihil ſtabile permanebit in Scriptura; nec vllũ ex illo dogma poterit firmo argumento probari. Quæ doctrina præſertim vim habet in præſenti, cũ omnia relata teſtimonia poſſint ſine vllo incommodo de veris aquis intelligi: licet enim aquæ elementares, & corruptibiles inter cælos ponantur, & ideo alterentur, non ideo conſequens neceſſario ſit, vt corruptioni ſubdantur, ſiue propter ipſarum reſiſtentiam, ratione multitudinis materiæ; ſiue ob qualitatem à Deo impreſſam, vel denique denegante Deo ſuum concurſum ad actionem corruptiuam ex aliquo oc-

culto fine. Neque etiam ſequitur, ibi eſſe violentas, ſolum enim tendent in locum firmamenti; nullum namque elementum grauitat, aut leuitat, niſi infra orbem Lunæ conſtitutum: Nihil igitur obſtat, quo minus loca Scripturæ in ſenſu huius ſententiæ intelligantur, ac proinde ſic intelligi debent.

Quæ ſententia intelligitur à ſuis patronis, de aquis elementaribus initio ſupra octauam ſphæram, à Deo conſtitutis, non quaſi ex continua vaporum eleuatione ibi in dies generentur, vt improbabilis quædam opinio adſtruxit; quam tetigit Auguſtinus 2. ſuper Geneſim ad literam c.4. & Diuus Thomas 1. parte, quæſt. 68. art. 2. ad finem breuiſſime retulit, & ſufficienter refutauit his verbis: *Dicere enim quod aqua vaporaliter reſoluta eleuentur ſupra cælum Sydereum, vt quidam dixerunt, quorum opinionem tangit Auguſtinus 2. ſuper Geneſim ad literam, eſt omnino impoſſibile, tum propter ſoliditatem cæli, tum propter regionem ignis mediam, quæ huiuſmodi vapores conſumeret, tum quia locus, quo feruntur leuia, & rara, eſt infra concauum orbis Lunæ, tum etiam, quia ſenſibiliter apparet, vapores non eleuari vſque ad cacumina quorumdam montium: quod etiam dicunt iſti de rarefactione corporum in infinitum propter hoc, quod corpus eſt in infinitum diuiſibile, (vt ideo vapores ad ſummam raritatem producti ſupra cælos eleuari poſſint) vanum eſt: non enim corpus naturale in infinitum diuiditur, aut rareſit, vſque ad certum terminum.*

Probabilior tamen, & communis ſententia tenet, ſupra cæleſtia corpora, aut inter vnum, & aliud, nec aquam, nec corpus aliud extraneum reperiri, ſed immediatè eſſe contigua. Sic ſcholaſtici communiter in 2. diſtinct. 14. D. Thom. q. 1. art. 1. Bonau. art. 1. Durand. q. 1. Albert. Mag. art. 1. & plures alij ibidem. Ægidius 2. lib. Hexameron, c. 14. Lyranus Abuléſis, Caietanus, &

Cathe

Catherinus in cap.1. Geneſis, & idem D.Tho.1. p. q. 68.art.1.cum aliis.Probatur ex ordine, ac diſpoſitione vniuerſi,iuxta quam corruptibilia omnia, & elementaria corpora infra orbem Lunæ collocata ſunt, vnde ſublunaria dicta. Pugnat igitur cum hac diſpoſitione, eorum aliquod intra vnum, & alterum cælum fuiſſe interiectum,incorruptibile vero corpus,prȩter cælum nullus agnouit.Præterea,ſi aquæ vere inter cęlos continerentur,elementares forent:cum nemo alias præter elementares à Deo fuiſſe conditas excogitauerit, neq; ad id extet fundamentum aliquod,ſed hoc pugnat naturæ earum,ortus & interitus capaci,quæ proinde calore cæleſti alteraretur,ac ſolueretur, necnõ ex earum materia aliud generaretur corpus, aut ipſa omni forma orbata maneret, quod natura rerum, & ordo non patitur. Nec prodeſt ſubterfugiũ noſtri Molinæ.Nam ſi ſua natura relinquantur aquæ, non poſſunt non nimio calore diſſolui ex parte ſaltẽ,ac proinde ibi eſſent generationes,& corruptiones. Multitudo vero materiæ prodeſſe poterit ſolum, ne tantum diminuantur, vel etiam, vt continua reactione in contrarium partes deperditas reſtaurent.Aſſerere vero;Deum qualitatem aliquam reſtitiuam aquis illis tribuiſſe, vel continuo proprium concurſum ad aquarum alterationem cælo ſubtrahere, & liberum eſt, & parum philoſophicum, cum miraculum in prima rerum naturaliũ conditione admittat contra omnes: & præterea nulla ratione neceſſarium,vt infrà videbimus, ac proinde hoc ſolo titulo refellendum.Denique id ipſum confirmatur,quia aquæ ſupra cælum non poſſent non violenter,& contra propriam naturam detineri,vt pote extra centrum, in quod natura ſua propendunt, ſicut aliæ aquæ elementares, cum eiuſdem omnino naturæ ſine dubio eſſent; perpetuam vero, aut diuturnam valde violen-

tiam rebus naturalibus concedere,alienum eſt à ratione.Nec ſatisfacit ſolutio P.Moli.ſcilicet,hoc ſolũ conuenire corporibus elementaribus ſub cælo Lunæ conſtitutis,quia vbicunque corpora collocentur,eiuſdem remanent naturæ,& conditionis naturalis,ſed eſſe ſub aliis corporibus exigunt natura ſua corpora grauiora, ſicut leuiora conſtitui ſuper grauia, vel minus leuia: igitur aquæ elementares ex natura ſua poſtulant collocari ſub elementis ignis,& aëris, & dum extra hunc ſitum detinentur patiuntur violentiam contra internum impetum,& tendentiam in proprium locũ;quod concedendum nequaquam eſt, maxime cum nulla appareat vtilitas,nullus eluceat finis,in quem huiuſmodi aquæ, à propriis locis extractæ, ſupra cælum fuerint relegatæ. Nam, quod nonnulli excogitarunt, relati à Beda in libro de natura rerum,vt teſtis eſt Petr.Pereira 1.commentariorũ in Geneſim,verſic.6.quibus acceſſit grauis quidam Doctor,referente Abulenſe in caput 7. Geneſis,videlicet,Deum intra cælum reſeruaſſe aquas pro inundatione terræ efficienda, tempore diluuij, figmentum profecto eſt.Nam in primis,cum iam tempus diluuij præterierit,dilapſę eſſent huiuſmodi aquæ, ac proinde modo nõ eſſent intra cælum,vt prima opinio aſſeuerat,& ideo inepte,immo falſo,nunc ad diuinas laudes in Scriptura inuitarentur aquæ, quæ ſuper cælos ſunt:deinde earum aquarum locus perpetuo vacuus perſiſteret, cũ aquæ diluuij cauſa illum relinquerent,& non ſit aliud corpus potens eum replere pręter cælum,quod nequit hoc præſtare,niſi aut derelictione proprij loci,aut per rarefactionem, quorum neutrum naturaliter cælo conuenire poteſt, vt ex ſupradictis cõſtat. Præterea ad inundationẽ terræ,hoc nõ eſt neceſſarium,cum hæc optime potuerit accidere ex effluxione aquarum maris, fontium, & fluminum ſupra

terræ ſuperficiem,& etiam per ingentem,& aſſiduam pluuiã è media aëris regione continuo aquis dilapſis. Vlterius,ſi tanta aquarũ copia è cælo deſcendiſſet,non poſſet non ſubito extingui tota ſphæra ignis in itinere obuiam facta. Denique non poſſent aquæ in terram defluere ad efficiendum diluuium, niſi diſrumpendo cælũ,vel ipſum penetrãdo, cum aliàs nullus illis poſſet aditus patere; vtrumque vero naturaliter eſt impoſſibile,ac proinde placitum hoc plane improbabile.

Nec minus probandum eſt, quod venerabili Bedæ ſupra magis placuit,nempe, aquas ſupra orbem ſtellatum ſitas fuiſſe, ad temperandum ardorem ſtellarum: ſine fundamento enim,& contra rationem eſt, ſyderibus ardorem tribuere,alias incorruptibiles non eſſent ex propria natura, cum iſtæ qualitates ad corruptionem diſponant ſubiectum,vt in ſuperioribus diximus: ſolum ergo continetur in ſtellis eminenter,ſecus etiam Saturno inſideret ſumma frigiditas formaliter, pro qua temperanda præparari debuiſſet inter eoſdem cælos elementaris ignis,& idem eſt de aliis planetis.Eſſet igitur in cælis continua actio,& reactio contraria, ac proinde ſubſtantialis tranſmutatio, & frequens viciſſitudo generationum, & corruptionum contra experientiam,& communem ſenſum.

Supereſt,vt argumenta primæ ſententiæ diluamus, & ſimul aperiamus perſpicue verum ſenſum locorum Scripturæ, quæ in varias ſententias auctores adhuc noſtrę opinionis diſtraxerunt.Nam Bonauentura,Durandus,Albertus,& plures alij ex ſupracitatis,ita explicant,vt aquę,vel aquarum nomine intelligatur in Scriptura locis citatis,& ſimilibus cęlũ cryſtallinum,ſitum ſupra octauam ſphæram, quæ vocatur firmamentum, ſiue ipſum ſolum, ſiue etiam cum aliis planetarum orbibus,& hoc firmamentum dicitur, diuidere aquas ab

aquis, id eſt, veras aquas elementares, & ſublunares à cælo illo cryſtallino, quod aqueum, ſiue aqua appellatur æquiuocè, propter ſimilitudinem cum veris aquis, eo quod perfluidũ, & diaphanũ ſit omni ex parte, ſecus quam alij inferiores orb. s Stellis, & planetis diſtincti.

Sed tamen hic ſenſus nobis non placet, quippe, qui multa continet difficilia. Et inprimis falſo innititur fundamento, ſupponens ſupra Stellatum cælum eſſe corpora alia cæleſtia præter empyreum, quod in ſuperioribus falſitatis conuicimus. Immo & ſi admitteremus, dari huiuſmodi cęleſte corpus ſupra octauã ſphęram, ſaltem hoc nõ eſt certum, ſed valde dubiũ, & non ſolũ rudi illi populo, cui alloquebatur Moyſes, verum maiori, ac meliori Philoſophorum parti, & antiquitati omni prorſus ignotum. Quo ergo pacto credi poteſt certiſſimam rem per eam, de qua valde dubium eſt, vel ignotum omnino, an fuerit à Deo condita, enarratam, & explicatam fuiſſe à ſacro ſcriptore? Præterea hac explicatione obſcuriſſimus redditur cõtextus ſacer, creationem deſcribens, in eo enim tripliciter variaretur ſignificatio vocis aquæ: nam cum primo dicitur: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; aquarũ nomine intelligunt Doctores iſti materiam primam, ſeu corpulentam quandã maſſam: & cum dicitur: *Fiat firmamentum in medio aquarum:* eodem nomine agnoſcunt nonum cælum: cum autem ſubiungitur: *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum*, planè eſt ſermo de elemento aquæ, quod quidem in re tam graui, ac rudi populo enarrata, ab Scriptore canonico, admittendum nõ eſt.

Denique ſimilitudo illa adducta inter nonã ſphæram, & elementarem aquam parui momenti eſt, cum ea omnia, in quibus ſimilitudo cõſiſtere dicitur, in aliis etiam octo inferioribus orbibus reperiatur; cũ omnes ſint lucidiores, & magis diaphani, quam aqua, eiuſdem

etiam

etiam rationis & apparentiæ, ſecundum omnes ſuas partes: & ſaltem eadem prorſus ratio erat de decima ſphæra iuxta eorundem opinionem, immo & de cælo Empyreo, vt conſtat, nulla ergo ſpecialis ſimilitudinis ratio eſt in nona, ac in aliis ſphæris cæleſtibus.

Item ſecundo argumēto adducto refutatur ſentētia Origenis Homilia in Geneſim non longe à principio, intelligentis nomine aquarum exiſtentium ſuper cælos ſubſtātias Angelicas, eo quod ad diuinas laudes excirentur, quarum materiales aquę capaces non ſunt: quæ ſententia ab omnibus reiicitur. Epiphanius Epiſt. ad Ioann. Hieroſolymitanū, & Hieronymus Epiſtola ad Pammachiū, eam, vt errorem, referunt, Aug. cum id docuerit 13. confeſſionum ca. 15. tanquam inconſideratè dictum, retractat 2. lib. retractationū c. 6. & D. Baſilius homilia. 3. in Gen. tacito auctoris nomine, eam quaſi ſomniū, anilemque fabulam refellit, infert enim verbis manifeſtā vim, trahens ea ad ſenſum, non modo non intentum, ſed neque vlla ratione cum antecedentibus, & conſequētibus cohærētem, vt legenti cōſtabit. Et manifeſte reuincitur ex cantico trium puerorū, vbi poſtquā inuitantur Angeli ad laudādū Deum, deinde memorantur aquarū, *Quæ ſuper cælos ſunt*, cum aliis creaturis, quæ etiā ſi rationis expertes, dicuntur laudare Deum, quatenus ſua perfectione, varietate, & pulchritudine, Deum auctorem commēdant, & ad ipſius laudes creaturas ratione pollentes prouocant, quod ex mente Damaſceni egregie docet D. Thomas de ſpiritual. creat. art. 6. ad 14. his verbis.

Ad decimum quartum dicendum, quod ſecundum Damaſcenum (ſcilicet libr. 2. cap. 6. in fine) cæli dicuntur enarrare gloriā Dei, laudare, & exultare materialiter, in quantum ſunt hominibus materia laudandi, vel enarrandi, vel exultandi. Similia inueniuntur in

Scripturis de montibus, & collibus, & aliis inanimatis creaturis, & iuxta placitum Origenis, nomine roris, glaciei, & reliquorum non viuentium, & expertium rationis, quæ ad laudes Dei inuitantur, deberemus intelligere alias creaturas rationales, quæ ſolæ laudandi Deum propriè capaces ſunt, quod eſt abſurdum.

Conſequẽs ergo fit, vt cũ pluribus doctoribus nomine aquarũ in Scriptura, veras ac elementares aquas intelligamus, vt nomẽ ipſum prę ſeſe fert, quod nõ eſt cur à propria ſignificatione in alienos, atq; etiam extortos ſignificatus extrahatur, vt bene admonet Pater Molina ſupra, ſiquidem cum omni proprietate accipi poteſt, ac proinde vt ſonat, ſumi debet iuxta regulam Auguſtini interpretibus Scripturæ ſatis familiarem. Quapropter veræ, ac elementares aquæ ſunt, quæ dicuntur eſſe ſuper cælos, & à terreſtribus aquis per firmamentum diuidi. Pro cuius intelligentia ſcire oportet, *firmamẽtum* in ſacra pagina proprie accipi nũc pro aggregato ex omnibus orbibus cæleſtibus mobilibus cum elemẽto ignis, & aeris, nunc vero pro aliqua parte huius aggregati: qua etiam ratione non ſemel vſurpatur cælum, quod tradit D. Thom. 1. parte quæſt. 68. art. 1. adducens verba Auguſtini ex 2. ſuper Geneſim ad litteram, commendantia hanc poſitionem hoc modo: *Hanc conſiderationem laude digniſſimam indico*, & expreſſius in ſolutione ad primum. Idem expreſſit D. Hieronymus Epiſt. 85. ad Occeanum his verbis: *Inter cælum, & terram medium extruitur firmamentum, &c.* Rupertus 1. libro de Trinitate capite 22. ſic inquiens: *Firmamentum non ſolidum quid, aut durum, vt vulgo putatur, ſed aer eſt extenſus, &c.* Et ſtatim: *Scriptura illud firmamentum nuncupauit, videlicet, eo quod diuidat aquas ab aquis:* Beda in Geneſim aſſerit, pro

toto

toto prædicto ſpatio accipi firmamentum in hiſtoria creationis. Sequitur Durandus in 2. diſt. 24. Eugub. in coſmopœia, Caietanus in 1. caput Geneſis, ex noſtris Pater Pereira lib. 1. in Geneſim. Et Pater Suarez 1. tomo Metaphyſicæ diſputatione 13. ſectione 22. & vox firmamentum in Hebræo, vt apud peritos linguæ conſtat, ſignificat extenſionem, & quaſi expãſionem, explanationem, & explicationem eius, quod complicatum erat: id quod egregie explicuit Regius Pſaltes, Pſalmo 103. *Extendens cælum ſicut pellem*, hoc eſt, *ſicut tabernaculum*, quam vocis ſignificationem expreſſerunt ſeptuaginta interpretes, quod toti illi quaſi aggregato, & cuilibet parti competit. Quæ eadem vox Hebræa, teſte Lypomano, Catena in caput primum Geneſis. Interdum etiam ſignificat ſtabilitatem, ſeu firmamentum; quo ſenſu Pſalmo 103. dicitur: *Terminum poſuiſti* (ſcilicet aquis maris) *quem non tranſgredientur*. Et ideo Septuaginta tranſtulerunt illud verbum Hebræum per Græcum ſignificans, dans firmitatem, & vulgatus vertit *firmans*. Vtrumque egregiè complectitur Auguſtinus 2. ſuper Geneſim ad literam capite 10. his verbis: *Nec nomen firmamenti cogit, vt ſtare cælum putemus; firmamentum enim non propter ſtationem, ſed propter firmitatem, aut propter intranſgreſſibilem terminum ſuperiorum, & inferiorum aquarum intelligere licet: quæ iuxta ſtatim dicenda accipienda ſunt.* Ratio igitur firmamenti propriè conuenit ſecundum vtramque ſignificationem toti huic globo inter cælum Empyreum, & terram intercepto, vt illum conſideranti per ſe conſtabit. Et propriè etiam conuenit infimæ regioni aëris nebuloſæ dictæ, ob ingentem vaporem, & exhalationum admixtionem in ea errantem. Eſt enim expanſio, ſeu extenſio maxima, in qua aues, homines, & bruta, quaſi in quodam tentorio de-

gunt. Eſt prætereа immobilis intercapedo, & ſitus, ſeu fixus, & ſtabilis terminus, non immobilitate partium, ſed quaſi æquiualentia, & poſitione totius ſphæræ partialis aëris, inter aquas terreſtres, & aëreas, hoc eſt inter aquas tegentes terram, vel aliquam illius partem, & eas quæ in media aëris regione ex continua vaporum eleuatione indeſinenter generantur. De hac itaque regione aeris propriè dicitur firmamentum, & hoc eſt firmamentum, ſecundo die factum, in medio aquarum, diuidens aquas ab aquis, immediate vtraſque attingendo, propriiſſime, & in rigoroſa ſignificatione. Idem firmamentum vocauit Deus cælum, ibi enim nequit intelligi de aliquo orbe cæleſti, cum ſecundum probabiliorem ſententiam, iam omnes præſupponerentur facti primo die. Dicitur vero cælum (cuius ſunt aues) per accommodationem, ſignanter tamen, vt egregiè Diuus Thomas 1. parte quæſt. 68. artic. 1. ad 1. hiſce verbis: *Per firmamentum vero ſecunda die factum intelligitur ſpatium aeris, in quo nubes condenſantur, quod etiam cælum æquiuoce dicitur, & ideo ad æquiuocationem deſignandam, ſignanter dicitur, vocauit Deus firmamentum cælum, &c.* Nomine igitur firmamenti vtitur ſacer Textus pro diuerſis eius partibus, ita vt ex antecedentibus, & conſequentibus ſemper poſſit intelligi, pro qua parte accipiatur, & ita tollatur æquiuocatio, vt dum dicitur, Deus ſtellas in firmamento poſuiſſe, ſumatur duntaxat pro cælo ſtellato: dum dicitur Solem, & Lunam collocaſſe in firmamento, accipiatur pro primo, & quarto orbe: cum autem aſſeritur, factum fuiſſe firmamentum in medio aquarum, aut diuidere aquas ab aquis, intelligenda venit infima pars aeris; & idem dicendum eſt de cælo, vt ſcilicet nunc pro vno, nunc pro alio ſumatur corpore, ex determinatione antecedentium, & conſequētium,

ſubla

ſublata æquiuocatione, vt dum dicitur, Deus principio condidiſſe cælum, pro omnibus corporibus incorruptibilibus ſimul, pro aliquo vero eorum ſpeciatim, cum illius proprietas exprimitur; vt cęlum Lunę, Solis, ſtellarum, cæli cælorum pro Empyreo, aut omnibus incorruptibilibus: cum autem firmamentum ſecunda die factum, & diuidens aquas ab aquis, nuncupatur cælum, & ſupra cælos dicuntur eſſe aquæ, & in cælo aues degere, manifeſtum eſt, non pro ęthereo cælo, ſed pro aereo vſurpari, cum æthereum cælum aues non pertingant, & aquæ non poſſint ſupra cælos locari. Ponitur autem aliquando nomen cęlum in plurali, etiamſi vnum tantum corpus ſignificet, iuxta Hebraicam Phraſim, quia hoc nomen in lingua Hebræa ſingulari caret. Diciturque hoc firmamentum, & cælum, eodem ſecundo die, quo factum eſt, aquas diuiſiſſe, vel quia ſimul aquæ, ſeu nubes in media regione aeris, à Deo collocatæ ſunt, pro ſimilibus generandis, vel quia ſtatim eleuati ſunt aliqui vapores, & in nubes condenſati, non enim ſufficit, ad veritatem Scripturæ aſſerentis, firmamentum diuidere aquas ab aquis (vt putauit Pater Pereira ſupra) futuras eſſe poſtea aquas in regione aerea, quas firmamentum diuideret à terreſtribus.

Ex quibus iam conſtat ad argumenta prioris ſententiæ, & in primis Patres ibi relati, iuxta ea, quæ diximus, cum pluribus Patribus, & Doctoribus, de acceptionibus firmamenti, & cæli explicari optime poſſunt, vt legenti conſtabit. Ex eiſdem etiam perſpicue conſtat, verus, & germanus ſenſus locorum ſacræ Scripturæ, in quibus cælum, & firmamentum manifeſtè accipiuntur aliquando pro incorruptibili ſphæra, vna, vel pluribus, nonnumquam vero pro ſphæra, aut regione aeris, præſertim infima, vt in ſuperioribus

bus oſtendimus. Fatemur ergo, in Scriptura aquarum nomine veras, & elementares aquas intelligi: inficiamur tamen eas eſſe ſupra cælũ æthereũ, ſed ſupra aerem tantum, ſupra infimam ſcilicet aeris regionem, vt explicatum eſt. Quæ vero addit doctiſſimus Pater Molina, & falſa ſunt, & ſupra à nobis refutata.

QVÆSTIO VIII.

An cæleſtia corpora moueantur à propria forma ſubſtantiali, vel ab intelligentia.

PRæſupponit quæſtio moueri cæleſtia corpora motu circulari, quod manifeſtum eſt, ex motu ſtellarum, quæ eis inſident, quas moueri videmus, ſeruata ſemper eadem diſtantia inter ſeſe, quod conſtat, non poſſe fieri, niſi corpus ipſum cæleſte, cui affixæ ſunt motu circulari, euolueretur. Quod enim immoto cælo non moueantur, vt quidam decepti crediderunt, hac ratione conuincitur, ſi ſtella mouetur immoto orbe, vel mouetur intra proprium orbem, aut ſuperficiem eius, ſed ex vtroque ſequitur, aperte dari vacuum: ergo. Probatur minor, quia ſi intra proprium orbem mouetur, neceſſe eſt, vnum locum relinquere, & ad alterum ſe transferre per motum. Cõſtat vero, non dari corpus aliud, à quo relictus locus repleatur, permanebit igitur vacuus: Et pariter, ſi moueatur per ſuperficiem proprij orbis: nam inter illam, & ſuperficiem alterius orbis immediati permanebit vacuum ſpatium, per quod mouetur, cum nec detur corpus, à quo repleatur.

Quo præſuppoſito, in dubium reuocat, an moueatur cælum virtute formæ ſubſtantialis propriæ, tanquam principij efficientis intrinſeci, vel ſolum ab intelli

telligentia, tanquam à principio externo, & quod priori modo moueantur, ſicut viuentia effectiuè à propria anima mouentur. Docuerunt nonnulli, quos Diuus Bonauentura in 2.diſtinct. 14. artic.3.quæſt.2. retulit, & ſequutus eſt Albertus Saxoniæ 8.lib.Phyſicorum, quæſt. vltima cui principio intrinſeco alij ex antiquioribus Philoſophis à Conimbricenſibus citati 2.lib.de cælo cap.15.quæſt.5.artic.2.atque etiam Valleſius controuerſia 11. ad tyrones poſt medium, addiderunt intelligentiam, ita vt, vel motus idem, partim ab interno principio effectiuo, partim ab externo procederet, vel certè motus vnus à dextra ad læuam ab intelligentia, alter vero à læua ad dexteram à propria forma, vt aſſeruerunt alij. Probatur primo, quia ſi forma cæleſtis non præſtat efficientiam ad motum; ergo nullum concurſum præſtare poteſt, & ſic erit otioſa, & ex conſequenti fruſtra eidem corpori conceſſa: Probatur ſequela prior, quia præter actiuum concurſum, ſolum poteſt præſtare paſſiuum; nam ad motum, nec finalem, nec formalem, præſtare manifeſtum eſt: Sed paſſiuum concurſum ſola materia præſtat, cum ſit materialis cauſæ proprius, ergo nullum præſtabit forma. Probat Valleſius ſecundo, quia corpora grauia, & leuia ignobiliora ſunt cæleſtibus; ſed valde probabile eſt, moueri à propriis formis, tanquam à principiis efficientibus internis: ergo probabilius erit, hoc idem orbibus cæleſtibus eſſe concedendum præſertim apud Ariſtotelem, qui intelligentias veras eorum formas eſſe videtur docuiſſe.

Oppoſita ſententia, quod cæleſtia corpora non moueantur à principio interno effectiuo, ſed ab externo, dumtaxat, quod eſt Angelus, ſeu intelligentia, communis eſt in vtraque Schola, Theologica, ac Philoſophica; quantum ad vtramque partem, vt optimè ad

adnotauit Pereira noſter, lib.1.ſuæ Philoſophiæ cap. 1.& lib.2.in Geneſim,quæſt. 6.aſſerens,quaſi per manus traditam fuiſſe inter antiquos Philoſophos, & poſtea à Theologis acceptam, quod certè magnum eſt veritatis argumentum, præſertim eius rei, quæ non poteſt euidenti argumento conuinci. Eam enim tenuit in primis Diuus Thomas,quæſt.6.de potentia art.3.& 1.parte,q.70.art.3.D.Bona.in 2.diſt.14. art.3. quæſt.2.Scotus ibidem quæſt.1.Durandus, quæſt. 2. Ægidius quæſt.5.Albertus Magnus artic.6.& 12.Metaphyſicæ tractatu 2.cap.10.Capicolus in 2.diſputatione 9.quæſt.1.artic.3.Ferrarienſis 3.contra Gentes, cap.46.Sotus 2.libro Phyſicorum quæſt. 11. ibidem, Pater Toletus, & patres Conimbricenſes 2. libro de cælo,cap.5.quæſt.5.Pater Suar.tomo 1. Metaphyſicæ diſputatione 18.Sectione 3. numero 36. Iuxta quam duo aſſerimus.Primum eſt,non eſſe poſſibilem naturaliter potentiam,aut formam intrinſecam,à qua cælum effectiuè ſe moueat, quod probauit D. Thomas 3. contra Gentes cap. 23. ratione 4. hoc argumento. Motus localis non poteſt emanare à forma, tanquam à principio efficiente,niſi terminus,per talem motum per ſe comparatus, ſit debitus formæ eius, vel certè eidem corpori,ratione talis formæ,vt euidenti inductione probari poteſt, per ſingulos motus locales elementorum, & aliorum corporum diſcurrente, & ratio id oſtendit;quia inclinatio actiua in motum, & ſpeciem capit à termino naturaliter debito,tanquam à proprio actu,per quem perficitur,ſed conſtat, nullam præſentiam,vel modum eius,quem poteſt cęlum acquirere per motum, eſſe ei debitum ratione ſuæ formæ ſatis perfectè per eam, quam habet ſupra omnia alia corpora, & ideo nullam aliam deſiderantem, cùm omnes ſint eiuſdem omnino rationis,

ergo

ergo non poteſt eſſe motus cælo naturalis, ratione ſuæ formę, tanquam principio efficiente eius: ſed non poteſt naturaliter dari potentia intrinſeca ad motum, ſi is non ſit naturaliter debitus mobili, ergo non eſt poſſibilis naturaliter talis potentia intrinſeca cælo. Neque ſit ſatis argumento ſi dicatur, non eſſe cælo motum debitum ratione termini, ſed vt eo medio fiat proximum inferioribus corporibus, vt ita approximatum poſſit influxum habere circa illa, & ea perficere, atque etiam ſe ipſum, in quantum virtutes eius per exercitium ſuorum actuum perficiuntur. Hoc inquam, non ſatiſfacit, quia potentia motiua localis ſolum poteſt reſpicere per ſe præſentiam in loco, vel ſpatio loci, & ſolum per eam perfici, quemadmodum potentia calefactiua ſolum calorem, & ideo ſolum ordinatur per ſe ad calefactionem: cæteri vero motus, vel actiones, & earum termini extra rationem eius ſunt, & per accidens ad illam ſe habent: ergo cum non poſſit eſſe debita cælo alia præſentia localis, erit impoſſibile dari potentiã ad illam cælo intrinſecam; cum hæc nihil præter pręſentiam localem ſecundum ſe reſpiciat. Nam quod corpus localiter motum fiat præſens his, aut illis temporibus, & quod præſens poſſit alterare, corrumpere, vel generare, per accidens omnino eſt, reſpectu eiuſdem localis motus, aut motiuæ potentiæ, quæ ex hoc nihil prorſus variatur, & per ſe ſolum ordinatur ad perficiendum proprium corpus, cui conceſſa, & debita eſt. Eſt enim motus ex Ariſtotele 3. libro Phyſicorum textu 17. actus mobilis, prout mobile exiſtit, id eſt, qui ſolum per ſe ordinatur ad perficiendum corpus, in ordine ad proprium terminũ. Ergo idem eſt, non eſſe talem terminũ per ſe potẽtiæ debitũ, aut corpori, & nõ eſſe poſſibilẽ talem motum, aut potentiam motiuam ad eũ adquirendũ.

Pro

Probatur tandem idem aſſertum, quia impoſſibile eſt, corpus eſſe violenter in loco ſibi naturaliter debito,cum ſit naturę eius conſentaneus:ſed id ſequitur in cælo , ſi ei concedatur virtus à qua effectiuè moueatur:ergo contradictionem implicat dari, vel ab ea moueri.Probatur minor,quia cum talis virtus,& motus,ab ea eliciendus ſit naturalis;eo ipſo , quod ab ea ceſſauerit,permanebit in eodem loco violenter, cum permaneat contra impetum proprię inclinationis:erit ergo in ſtatu violento,quamdiu in eodem loco , aut in eadem præſentia ſibi debita , aut modo illius permanſerit;ſiquidem qualibet præſentia , aut modo illius dato ab interno impetu , aliam præſentiam , vel modum adipiſci conatur : & ideo contra internum impetum ea caret,ac proinde cum violentia.Et vrgeo argumentum hoc modo : Repugnat dari naturalem inclinationem ad actum,vel motum,niſi reſpectu alicuius formæ determinatæ, vel termini per eum comparandi:cum motus ex propria eſſentia ſit fieri alicuius termini ; ſed motus circularis cæli non tendit jn aliquem determinatum terminum , vel præſentiam, quia cælum in nullam determinatam inclinatur , nec in vlla quieſcit,ſed ſolum poſtulat ſupremam , reſpectu omnium corporum,quam conſtat habere,etiamſi non moueatur,& quam habuit in primo inſtanti , in quo conditum eſt à Deo,in quo non mouebatur:ergo repugnat dari naturalem inclinationem effectiuam in cælo ad motum.

Secundum aſſertum ; orbes cæleſtes à forma extrinſeca mouentur, nempe ab intelligentiis : ſic vnanimiter omnes citati ſupra,ex quibus Diuus Thomas opuſculo 10.artic.3.& opuſculo 11.artic.2. docet eſſe omnino certam ſentẽtiam,& Phyſicis rationibus demonſtratam;& de potentia , quæſtione 6.articulo 3. inquit:

inquit: fidei ſententiam eſſe, quod ſubſtantiæ ſeparatæ, ſiue Angeli, moueant corpora cæleſtia. Bonauentura ſupra vocat ſententiam fidei cōſentaneam, illam ſtatuit Ariſtoteles 8. Phyſicorum, capite 6. textu 52. & libro 12. Metaphyſicæ capite 8. text. 43. Plato 1. de legibus, cum reliquis ferme omnibus vtriuſque Scholę; qui eam confirmarunt, ex ordine inter res creatas cōſtituto, qui in eo maximè poſitus eſt, quod inferiora per ſuperiora in propriis fūctionibus regatur, & corporalis creatura coniungatur cum ſpiritali, atq; adeo, ſicut in paruo mundo, homine videlicet, corpus per ſpiritū gubernatur, ſimili modo in maiori mūdo cōtingat. Quæ ratio probata eſt ſacris etiā Doctoribus ex quibus ea vtuntur D. Dionyſius cap. 5. cęleſtis Hierarchiæ, & de Diuinis nominibus capite octauo, D. Gregorius quarto Dialogorum, capite 4. D. Auguſtinus tertio de Trinitate capite quarto cum aliis. Idem etiam Philoſophi ſibi habuerunt perſuaſum. Quia cum cæleſtium orbium motus, mira æquabilitate, & conſtantia, perfici obſeruarent, non niſi àb intelligentiis à materiæ concretione ſemotis, circūuolui corpora cæleſtia, conſulto iudicarūt: immo hinc illi aditum ad intelligentiarum notitiam inuenere, qui fere omni ex parte præcluſus illis eſſet, ſolis principiis Philoſophicis ducti, ſi nullam haberent efficientiam, circa motus cæleſtium orbium, cum nec ex cauſa, vel aliis effectibus; in Angelorum notitiam poſſent ritè peruenire, nec alias conſtaret connexio rerum ſenſibilium, ſeu intelligibilium, ſeu mundi corporei, & incorporei, quam fateri neceſſe eſt.

Quod etiam confirmatur ex illo Iob 9. capite: *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* Iuxta quorundam interpretationem, qui id de Angelis intelligunt ſuo motu cœleſtem mundum continuo circunuoluenti-

bus. Et de eiſdem non incongruè intelligi poteſt illud eiuſdem Iob capite 26. *Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.* Et aliud ex capite 38. *Cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Hi denique videntur eſſe virtutes cælorum, quæ in die iudicij mouebuntur iuxta Matth. 24. ſubiungo vltimam, & efficacem rationem hoc modo: Corpora cæleſtia motu circulari perpetuo euoluuntur, vt in principio quæſtionis ex communi conſenſu, & manifeſta experientia ſtabilitum reliquimus, ſed non mouentur à principio ſibi intrinſeco, vt etiam in primo aſſerto efficacibus rationibus probatum manet. Igitur euidens eſt, moueri à principio extrinſeco, ſeu aſſiſtente forma; ſiquidem nullum eſt medium inter principium intrinſecum, & extrinſecum. At hoc principium extrinſecum motus cæli nullum aliud congruenter poteſt eſſe, niſi Angelus. Ergo ipſe eſt principium efficiens cœleſtis motus. Hæc vltima minor, in qua eſt difficultas, probatur; quia hoc principium nequit eſſe corporeum, cum nullum eiuſmodi naturaliter ſit ſupra cælum, neque in ipſo cælo eſſe queat, ſine penetratione viribus naturæ impoſſibili, ſiquidem tam ipſum, quàm cælum propriis quantitatis dimenſionibus præditum foret. A corpore vero aliquo ſublunari cælum localiter moueri, & merum figmentum à nullo vnquam excogitatum, & plane abſurdum eſſe, quis non videat? Supereſt ergo, vt à ſubſtantia aliqua perfecta à materia, & corpore immuni cœlum circumagatur. Hæc autem non eſt Deus ipſe ſe ſolo, quandoquidem hoc per Angelos præſtare optime poteſt, ſicut innumera alia munia, & officia per ſuas creaturas, ipſo cum illis concurrente, adminiſtrat. Quod naturis rerum, ordini, & connexioni vniuerſi valde

con

congruit: per Angelos ergo id præſtat, cum non ſuperſit alia ſubſtantia ſpiritualis completa ad id munus exequendum. Angelos vero poſſe propria virtute mouere localiter cælos in confeſſo apud omnes eſt. Sunt enim inſignis virtutis, & efficacitatis, & quibus, vt pote longe perfectioribus, ſubduntur omnia corpora, ſaltem quo ad motum localem. Concludamus igitur, cæleſtes orbes à formis extrinſece aſſiſtentibus, ſeu ab intelligentiis localiter moueri.

Supereſt, vt argumenta prioris ſententiæ diluamus; Ad primum negamus, formam cæli eſſe fruſtra, etiamſi non ſit principium efficiens localis motus, plura enim alia munera habet in genere cauſæ formalis, & efficientis etiam. Conſtituit namque ſimul cum materia compoſitum cæleſte, & eſt principium efficiens ſaltem inſtrumentale naturalium, paſſionum, & proprietatum cæli, nec non mediis propriis potentiis, & qualitatibus actiuis effectiuè concurrit ad plures effectus, qui cælo attribuuntur.

Ad ſecundum, conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Non enim negamus corporibus cæleſtibus potentiam internam effectiuam motus localis, propter eorum imperfectionem, ſed quia naturaliter non poſſunt non eſſe in proprio loco; neque ab illo extrahi queunt. Virtus autem motiua maximè in non viuentibus, ſolum poteſt eſſe ad adquirendum proprium locum, & alias nunquam eſſet cælũ in ſtatu naturali, ſed in violento, vt ſupra probauimus, neceſſe ergo eſt, vt cæleſtia corpora tantum moueantur ab intelligentiis, quas formas ſolum extrinſecas, & cælo aſſiſtentes poſuit Ariſtoteles, vt legenti conſtabit. Cum quo tamen ſtat, quod naturaliter moueantur, quia vt partes vniuerſi naturaliter habent pro-

penſionem, vt à potentia naturali perfectioris ordinis in bonum inferiorem circumuoluantur. Quam inferiorum gubernationem, & exteriorem exequutionem, ſphæris cæleſtibus Deus commiſit, ipſo cum ipſis concurrente, ſemper tamen internam earundem directionem ſibi reſeruauit. Quo ſenſu intelligitur illud Iob 33. *Quem conſtituit alium ſuper terram, aut quem poſuit ſuper orbem, quem fabricatus eſt, &c.* Et in eodem ſenſu loquitur Diuus Gregorius ibi, & Boetius libro 4. de conſolatione Philoſoph proſa 4.

QVÆSTIO IX.

An quilibet orbis cæleſtis à propria intelligentia moueatur.

QVamuis præcedenti quæſtione ſtabilitum ſit, orbes cæleſtes ab intelligentiis moueri, adhuc ſciſcitandum relinquitur, an ab vna omnes, vel ſinguli ſingulis cieantur, quod in præſenti examinandum proponimus.

Sed antequam in hac re varias proponamus ſententias, nonnulla tanquam certa iam apud omnes præmittenda ſunt, vt clarius poſtea & inoffenſo pede curramus. Primum ſtatuendum eſt, Deum ſe ſolo non mouere aliquod cæleſte corpus, quod vt certum ſupponunt omnes Doctor. communiter cum Bonauentura in 2. diſtinctione 14. articulo 4. quæſtione 1. & D. Thoma opuſculo 17. capite 12. in vniuerſum aſſerente, nullum corpus moueri immediate à ſolo Deo, quoad motus, qui facultati naturæ ſubduntur. Cuius ratio ſumitur ex ordine diuinæ ſapientiæ, & prouidentiæ, quem ſupra ex patribus Gregor. Dionyſ. Auguſtin.

guſtin.& aliis ratum, & firmum eſſe diximus, vt ſcilicet ima à mediis,id eſt, corpora ſublunaria à cæleſtibus,& media à ſummis, hoc eſt, cæleſtia ab Angelis moueantur. Sine fundamento autem ab hoc ordine primum mobile, aliudve corpus cæleſte, exciperetur; maximè cum altioris ordinis munera, qualia ſunt, quæ ad intellectum illuſtrandum,& excitandum voluntatem ſpectant, ipſis Angelis, immo & hominibus Deus ſæpe commiſerit. Cum igitur poſſit Deus per Angelum primum mobile rotare, ſicut Angelorum opera cæteras ſphæras circumuoluit, ſi quidem hoc non excedit virtutem Angelicam, vt ſupra ex communi conſenſu diximus,ſine vllo prorſus fundamento,immo plane contra rationem inficiabitur quis, motum primi mobilis ab Angelo prouenire. Quapropter in hoc plane errauit Ariſtoteles, exiſtimans motorem primi mobilis ſpecialem, & immediatum eſſe Deum. Vt teſtatur Pletho. capit. 2. libro de iis, quibus Ariſtoteles à Platone diſſidet. Alexander, & Simplicius 8.Phyſicorum,Diuus Thomas 12. Metaphyſicæ ad textum 56.& alij, quos citant, & ſequuntur Patres Conimbricenſes in 2. de cælo capite 5. quæſtione 6.artic.2.& conſtat ex 8. Phyſicorum, capite vltimo, vbi docet; Deum in parte ſupremi globi, quæ velocius agitatur, inſidere; quia ſcilicet eiuſmodi motus ab eo efficitur. Præterea apud Ariſtotelem, primus motor eſt omnis mutationis expers, quod ſoli Deo conuenit, deinde 8. Phyſicorum ex motu primi orbis, primum, ſempiternumque motorem intulit,& 12.Metaphyſicæ capit.8. textu 45.inter intelligentias mouentes cælum; Deum recenſuit. Non me latet,Auicenam,Bonauenturam, Aureolum, Scotum, Heruæum, & Ferrarienſem, relatos à Conimbricenſibus, maiori pietate, quam probabilitate

ductos aſſeruiſſe, Ariſtotelē motū primæ ſphærę Deo adſcribere, non vt efficienti immediato, ſed tanquam fini, eo quod 12. Metaphyſicæ capite 7. textu 38. dixerit, Deum mouere primum orbem, vt id, quod amatur. Verum loca à nobis allata adeo expreſſa ſunt, vt interpretationem non patiantur. Citatus vero ab his Doctoribus adſtruit, Deum appeti, vt rerum omnium finem: quæ ratio communis eſt, reſpectu omnium motuum, & non excludit motionem cauſæ efficientis.

Secundo animaduertendum eſt, fuiſſe ſententiam Abulenſis ad caput 25. Exodi, quæſtione 5. exiſtimantis, fieri nequaquam poſſe, vt Deus corpus aliquod ſe ſolo moueat; ducebatur autem in eam ſententiam, quia cum motus localis ſit quidpiam imperfectum, vt pote actus entis in potentia, ſi immediate à Deo ſolo procederet, aliqua actio diuina imperfecta eſſet, quod eſt plane abſurdum, & impium. Et confirmari poteſt, quia infinita virtus mouet puncto temporis, teſte Ariſtotele 8. Phyſicorum capite 10. textu 78. cum infinita proportione exſuperet quamlibet vim motricem creatam, at motus localis ex ſua natura tempus exigit: implicationem ergo inuoluit, fieri à Deo, ſed tamen hanc ſententiam erroris nomine coarguit Diuus Thomas 1. parte quæſtione 105. articul. 2. & nulla prorſus ratione ſuſtineri valet. Nequit enim ſine errore negari poſſe Deum per ſe immediate efficere omnes determinatos effectus naturales, quos ſecundæ cauſæ naturales efficienter edunt: cum ipſe earum omnium virtutem, & efficacitatem in ſe excellentiori modo contineat. Etſi rationes Abulenſis aliquid conuincerent, probarent ſane de omnibus quibuſcumque mutationibus, cum omnibus ſit intrinſeca

imper

imperfectio viæ,& tendentiæ in terminum;ac proinde nihil prorſus Deus extra ſe vnquam produxiſſet, cum nequeat intelligi aliquid produci ſine aliqua actione,ſeu mutatione,ſaltem laxę ſumpta.Ac proinde prædictæ rationes nullius momenti ſunt. Licet enim motus ſit quid imperfectum,quia eſt via,& ſubiectum conſtituit in potentia, tamen in ſuo genere perfectum eſt; habens ſcilicet perfectionem, ſuæ naturæ congruentem, & ideo nullam dicit imperfectionem in agente,ſed in mobili, vt per ſe patet. Ariſtoteles item ſolum ibi loquitur de virtute infinita ex neceſſitate mouente, ac proinde tota neceſſario applicata:nō de libera exhibente concurſum, iuxta exigentiam effectus producendi.

His præmiſſis fuit quorundam opinio, teſte Fracaſtorio in ſuis homocentricis cap.7. ſectione 1. exiſtimantium, vniuerſam cælorum machinam ab eadem intelligentia circumuolui; quæ his argumentis poteſt confirmari.Primo,quia intelligentia mouens cælum, pręſtantioris longe naturæ eſt,vt pote totalis,& completa ſubſtantia, quam rationalis anima incompleta, & partialis, at vna & eadem anima rationalis ſimul adminiſtrationes magis diuerſas, quā ſint motus cæleſtium orbium : ergo faciliori negotio, hos omnes pariter præſtare poterit eadem intelligentia. Minor probatur,quia ipſamet anima rationalis ſecundū gradum vegetādi, coquit cibum in ventriculo, recoquit in iecore,& venis, & tandem in ſubſtantiam viuentis conuertit.Præterea eadem,ſecundū gradum ſentiēdi, ſenſuū operationes elicit, & corpus localiter mouet, ac denique ſecundum intelligendi gradum ſpirituales operationes appetēdi, & intelligēdi habet:quæ omnia diuerſę ſpeciei,& generis ſunt. Cū tamen omnes motus locales cęlorū eandē ſortiantur rationē,& ſpeciem

ab eadem præſentia eodem circulari modo adquiſita, emendicatam. Igitur, ſi illa, quæ magis diuerſa, & magis etiam perfecta ſunt, anima rationalis valet attingere: non eſt cur intelligentiam perfectiorem valde ea, quæ minoris perfectionis, & diſcriminis inter ſe ſunt, exequi poſſe inficiemur. Quod ſi intelligentia vna id valet efficere, plures vt pote ſuperfluæ non ſunt, ad id munus deſignatæ.

Secundo, cælum nulla ratione reſiſtit intelligentiæ mouenti; ac proinde non plus vna, quam plures ſphæræ conatui Angeli obſiſtunt: ergo quælibet vis motiua ſat erit ad cælorum omnium conuerſionem efficiendam, vbi enim nulla adeſt repugnantia, à qualibet virtute etiam minima procedit actio. Antecedens probatur, quia non apparet, qua ratione poſſit corpus reſiſtere, niſi per grauitatem, vel leuitatem, aut etiam per impulſum contrarium, ſibi impreſſum; corpora autem cæleſtia non ſunt grauitate, aut leuitate prædita, vt in ſuperioribus diximus, neque impulſum aliunde habent, quam ab intelligentia; ergo ex ſe non habent, quo reſiſtant virtuti impellenti Angeli, alias defatigaretur intelligentia mouens, quæ proinde non potiretur beatitudine, quæ ſecretis malis omnibus, bonorum omnium complexio eſt. Quod plane eſt abſurdum: concludamus ergo, omnia cæleſtia corpora ab vna eademque intelligentia in orbem cieri.

Oppoſita tamen ſententia vera eſt, & expreſſa ab Ariſtotele. 12. Metaphyſicæ capitul. 8. à textu. 47. vbi tot enumerat intelligentias motrices, quot orbes cæleſtes. Eandem ſententiam ſupponunt ſemper Theologi, & ſequuntur etiam omnes Philoſophi. Ratio efficax illius eſt, quia Angelus habet determi

terminatam ſphæram ſpatij, in qua poteſt eſſe præſens, maiorem, vel minorem, iuxta propriæ naturæ perfectionem, vt docent Theologi, in 1. diſtinct. 37. & 1. par. quæſt. 52 vnde ex eorum, & multorum Patrum ſententia nequit Angelus in cælo ſimul, & terra eſſe, ergo non poteſt idem Angelus ſimul omnibus cæleſtibus orbibus, adeſſe, ſed non poteſt eos impellere, & mouere, niſi eis adſit, vt per ſe patet. Quamuis enim neceſſarium non ſit Angelum impellentem coniunctum, & immediatum eſſe, immediatione ſuppoſiti, vt aiunt, omnibus partibus mobilis, ſed ſufficiat ei coniungi incerto ſitu, & inde impetum toti ſphæræ communicare, tamen nec fieri, nec intelligi poteſt, vt ab eodem ſitu omnes orbes ſimul diuerſo modo & pro diuerſis motibus compellat, cum ſtare non poſſit, quod impetus, ſeu impulſus corpori diſtanti imprimatur, quin corpori medio capaci etiam communicetur, ac proinde illud eodem motu ac aliud diſtans moueatur, & ideo primum mobile cui intelligentia inſidere diceretur, ſimul cum proprio motu, omnium aliarum ſphærarum motibus agitaretur, quod & inauditum eſt, & experimento manifeſto contrarium. Quod ſi quis dicat, Angelum, licet eadem præſentia non poſſit adeſſe omnibus cęleſtibus ſphæris, ac proinde nec eadem exiſtente omnes ad motum impellere, poſſe tamen eundem, multiplicatis præſentiis, cuilibet orbi, & omnibus ſimul ſaltē ſecundum aliquam partem determinatam aſſiſtere, & impetum inferre. Si hoc, inquam, dixerit non nemo, facilè poterit explodi, quia etiam ſi aliqui exiſtiment, poſſe Angelum ſimul eſſe in duobus locis, in adæquatis per contactum virtutis, vt ipſi loquuntur, hoc eſt, ita vt moueat corpora in duabus vltimis, & oppoſitis partibus ſpatij, cui adeſt, ſine eo quod in medio illius ſpatij vir-

tutem applicet, & moueat; tamen nullus ferè hucuſque aſſeruit, nec ſuſtinere licet, poſſe eundem Angelum naturaliter ſimul adeſſe pluribus ſpatiis adæquatis ſuæ virtuti, & in eis corpus agitare, & alias nullum illorum eſſet adæquatum, quandoquidem vltra illud ad aliud ſe extenderet virtus Angelica: & ideo plures Sancti Patres exiſtimarunt, non poſſe eſſe ſimul Angelum præſentem terræ, & cælo, quod de vna, & pluribus præſentiis intellexerunt, ſecus ſi pluribus præſentiis adæquatis id poſſet contingere naturaliter, non bene inferrent Patres ex eo, quod Angeli in terra nonnunquam appareant, localiter intelligentiam moueri, quod ipſi intendebant: immo etſi præſentiæ diſtinctæ inadæquatæ eſſent, extra ſpatium tamen adæquatum, quia inde etiam ſequeretur, per illas poſſe Angelum ſimul eſſe in cęlo, & in terra contra Patres, & licet præſentiæ inadæquatæ diſtinctæ in eodem ſpatio adæquato continerentur, non poſſet vnus Angelus naturaliter illis affici ſimul, ſicut nec id habere poteſt naturæ viribus idem corpus ex omnium ſententia, vni enim rei vna tantum præſentia naturaliter debetur. Ad ſupernaturalem autem virtutem confugere in naturalium rerum diſpoſitione, & adminiſtratione, nec licet, nec decet Philoſophum. Confirmatur præterea, quia virtus Angeli finita eſt, & limitata, vt pote ortum ducens à limitata, & finita natura, & quæ non valet quemlibet effectum attingere. Cum igitur tam inſignis, & multiplex ſit omnium cæleſtiũ ſphærarũ motus, non eſt, cur eidem virtuti adſcribatur: maxime, quia licet daremus omnes, vel plures cęleſtes orbes ab eadem intelligentia ſimul moueri poſſe, congruentius tamen naturæ eſt, plures effectus totales, & perfectos, pluribus cauſis attribuere: & ideo magis conſonat naturis rerum, vt Deus

cui

cuilibet orbi cæleſti ſuum Angelum motorem deſignauerit,quandoquidem cuilibet homini ſuum conſtituit Deus Angelum Cuſtodem, cum tamen illud vniuerſalius bonum ſit, vt pote ad plura ſe extendẽs, quæ eſt ratio Diui Thomæ de ſpiritualibus creaturis artic.6. ad 2. Denique ſcripturæ loca, quæ adſtruere videntur intelligentias motrices cælorum, eadem ſimiliter adſtruunt ipſarum pluralitatem. Concludamus igitur, tot eſſe intelligentias mouentes cælos, quot ſunt ſphæræ mobiles.

Hoc vero duobus modis intelligi poteſt,aut ita,vt non plures conſtituantur Angeli, cælorum motores, quàm conſtituuntur orbes,quaſi completi,& totales, octo videlicet iuxta noſtram ſententiam; ſeu decem, vel vndecim, ſecundum aliorum placitum;aut potius ita, vt tot adſtruantur intelligentiæ mouentes, quot deſignantur orbes quaſi partiales; ecentrici, ſcilicet, concentrici,& deferentes.Et priorem partem id confirmat,quod pro vno corpore completo vna videtur ſufficere virtus motiua,maximè perfectioris,& altioris longe ordinis,ſicut ad motum localem totius animalis,etiam ſecundum diuerſas ſui partes,ſatis ſuperque eſt vna,& eadem vis motrix ipſius. Denique argumenta ſupra allata, quæ intelligentiarum motricium multitudinem ſuadent,non plures, quam totales orbes conuincunt Veroſimilius nihilominus mihi apparet,placitum Ariſtotelis 12.Metaphyſicæ cap.8. & aliorum fere omnium Philoſophorum,conſtituentiũ ſingulas intelligentias motrices pro ſingulis ſphęris minoribus,ſeu minus præcipuis conflantibus maiores, & principales orbes. Huius aſſerti fundamentum,præter Philoſophorum, & Aſtronomorum immo,& Theologorum auctoritatem, illud debet eſſe, quia ex eo ſphæræ iſtæ minores,& quaſi partiales diſtin

ſtinguuntur, quia diuerſæ percipiuntur ſitus poſitiones, aſpectus, & diſtantiæ Aſtrorum inter ſe, & quoad nos. Hæc vero omnia nequeunt niſi in diuerſis orbibus conſtare: ſed hoc idem conuincit, has ſphæras minus præcipuas diuerſis motibus per ſe moueri, ſiquidem per proprios motus diuerſos hunc aſtrorum aſpectum diuerſum efficiunt. Conſequens ergo neceſſario ſit has omnes minores ſphæras propriis motibus, & inter ſe diuerſis cieri: ſed non poſſunt hi motus, & diuerſi orbium quaſi partialium ab eadem intelligētia cauſari, à qua orbis totalis circumuoluitur: ergo tot ponendæ ſunt intelligentiæ motrices, quot ſphæræ minores conſtituuntur. Subſumptio hæc vltima, in qua tantum poteſt eſſe difficultas, efficaciter probatur eadem fere ratione, qua ſupra ſtabilitum relinquimus, admittendas eſſe plures intelligentias cælorum motrices. Quia ſcilicet huiuſmodi effectus diſtincti diſtinctas etiã cauſas per ſe exigunt, maxime cũ virtus Angeli mouentis ſuis ſit circumſcripta cancellis, quæ proinde effectus adeo diuerſos non valet attingere. Præterea nequit idem Angelus, naturæ viribus ſimul eſſe præſens omnibus minoribus ſphæris conſlantibus eundem, totalem & maiorem orbem, neque eadem præſentia, cum per hanc tam vaſto ſpatio reſpondere, & tam ingenti moli adæquari non poſſit: alias ſimul vna præſentia cælo, & terræ adeſſet, contra communem ſenſum Patrum, neque diſtinctis præſentiis, cum has ſimul eidem rei nullus communi naturæ lege concedat. Sed non poteſt Angelus has ſphæras ſimul impellere, niſi cuilibet ſecundum aliquam ſaltem partem aſſiſtat. Si enim vni mediante alia impetum imprimeret, non poſſet non ſphæræ illi mediæ eundem impetum, & motum communicare, ſiquidem illius capax eſt: ac proinde illa cieretur ſimul

mul omnibus motibus, quibus aguntur aliæ ſphæræ, quæ ab illa media intelligentia impelluntur, quod inauditum eſt, & planè falſum. Fateamur igitur neceſſe eſt, tot eſſe intelligentias motrices orbium, quot ſunt minores ſphæræ inter ſe diſtinctę, quarum numerum aſſignandum aſtronomis relinquamus, ex quibus alij quadraginta ſeptem, alij quinquaginta quinque, alij aliter enumerant, dummodo nobiſcum tantum agnoſcant octo maiores orbes, qui circulariter ferantur. Quę vero pro oppoſito modo philoſophandi adduximus parum vrgent. Propter diuerſitatem enim, & diſtantiam harum ſphærarum neceſſario exigunt, diſtinctas virtutes motrices pro diuerſis motibus, vt probauimus: nec in hoc diſſimilis eſt ratio de maioribus, & minoribus ſphæris, de virtute autem motrice animalis alia eſt ratio, eo quod cuilibet parti mobilis debitè eſt approximata, quod virtuti motrici cælorum non contingit, vt ſatis oſtendimus.

Hic tamen animaduertendum duxi, Chriſtiano Philoſopho non ſufficere eas tantum intelligentias agnoſcere, quæ cæleſtibus ſphæris circumuoluendis aſſiſtunt, quarum numero contentus fuit Ariſtoteles 12. Metaphyſicæ, tex. 47. & 48. in quo etſi lapſus, venia tamen dignus eſt, cum ex ſolis principiis naturalibus, quibus ipſe ducebatur, vix aliud colligi poſſit. Nobis vero Scholaſticorum, & Sanctorum Patrum conſenſus, & ipſa fidei veritas contrarium ſuadet. Quod aperte ſumitur ex Iob. 25. *Nunquid eſt numerus militum eius?* Apocalypſis 5. vbi dicitur Angelorum numerus eſſe *millia millium*, & idem oſtenditur ex cuſtodia Angelorum, ſingulis enim hominibus ſinguli Angeli Cuſtodes deputantur, vt conſtat ex Matth. 8. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*, adiuncta Sanctorum Patrum expoſitione, & traditione Eccleſiæ. Et

ratio

ratio id ipſum comprobat. Natura enim rerum ſuo iure exigere videtur, ne ſubſtantiæ ſpirituales completæ tam paruo numero claudantur, ſiquidem eademmet in rebus materialibus perfectione valde diſſimilibus, maiorem pluralitatem, & numerum aſſequitur. Sed hoc vberius confirmare cæleſtis diſciplinæ ratio non poſtulat, & ideo Theologis miſſum facimus, qui cum Diuus Thomas 1. parte quæſt. 50. art. 3. & aliis locis id ex inſtituto verſant. Illud autem ſilentio prætereundem non eſt, videlicet, Angelos cæleſtium orbium motores eſſe ex ordine virtutum. Diſtinguuntur enim Angeli ex ſententia Theologorum, & Sanctorum Patrum iuxta doctrinam Diui Dionyſij cap. 6. & 7. cæleſtis Ierarchiæ, in tres Ierarchias, quarum primæ proprium eſt illuminari, & doceri à Deo, ipſique intimius adhærere cognitione, & amore, partiturque in tres ordines, ſeu Choros, in Seraphinos ſcilicet, Cherubinos, & Thronos. Tertiæ autem proprium eſt, homines cuſtodire, & inſtituere, quæ etiam complectitur alios tres ordines, videlicet, Principatus, Archangelos, & Angelos. Secunda denique eſt, quæ immediatè illuminatur à prima de vniuerſalibus rebus, quæ ad hominum gubernationem pertinent, & poteſtatem habet in Angelos tertiæ Ierarchiæ, illis iniungens, quæ ab ipſis executioni mandanda ſunt, quæ ſimiliter amplectitur tres Angelorum ordines. Dominationes nempe, quæ nullum immediatè miniſterium exequuntur, ſed dominium, & poteſtatem exercent circa duos alios ordines eiuſdem Ierarchiæ, & circa omnes tertiæ. Tertius ordo eſt, Poteſtatum, quæ gubernandi potentiam habent, tantum circa Angelos tertiæ Ierarchiæ: ſecundus vero Angelorum ordo, & medius huius Ierarchiæ eſt eorum Angelorum, qui ea exequuntur munera, quæ

ad

ad totius vniuerſi ordinem, & communem omnium cauſarum diſpoſitionem pertinent, ad quæ magna virtus requiritur,& ideo hi Angeli virtutes appellantur:ex hoc igitur ordine dicimus, eſſe intelligentias rotantes cælos,vt probabile viſum eſt Diuo Thomæ 3.contra Gentes cap.80.& opuſcul.10.artic.17.& ſumitur ex Dionyſio ſupra cap.8.dicente:Virtutum nomen diuinam quandam, & inconcuſſam vim ad cæleſtes operationes obeundas præ ſe ferre:& ratio eſt, quia motus orbium cæleſtium maximè pertinent ad communem mundi ordinem,& gubernationem,quę Angelis huius ordinis à Deo commiſſa dicitur. Idem colligitur ex illo Præfatij, *Cæli cælorumque virtutes*, & ex 24.Matt.*Virtutes cælorum mouebuntur*, quo loco virtutum nomine Angelos cælorum motores ſignificari dicit D.Thomas ibi.

Argumenta autem adducta pro ſententia negante pluralitatem intelligentiarum mouentium cæleſtes orbes,facilem habent ſolutionem. Ad primum fatemur ingenue intelligentias cælorum motrices perfectioris longè naturæ eſſe,quàm animã rationalem, & hanc etiam functiones perfectiores,& magis inter ſe diſſidentes,qũam ſint cælorum motus habere. Inficiamur tamen eandem intelligentiam poſſe ſimul rotare omnes cæleſtes ſphæras, non eſt enim eadem proportio Angeli ad cæleſtia corpora, & animæ rationalis ad ſuum corpus:nam anima rationalis eadem indiuiſibilis immediatè informat totum corpus, & ſingulas eius partes, vnde rectè & abſque vlla confuſione poteſt in diuerſis partibus,& per diuerſas potentias, omnia illa munera quantumuis diuerſa præſtare.Angelus vero nequit eſſe præſens ſecundum ſubſtantiam omnibus cæleſtibus ſphæris, ſed inſitu quodam determinato, ex quo ſi diuerſo modo ad di-

uerſos motus cælos impelleret, non motus, ſed tumultus potius cæleſtium orbium ſequeretur.

Ad ſecundum diſtinguendum eſt antecedens, iuxta doctrinam Sancti Thomæ de potentia quæſtione 3. art. 4. ad 16 quia etſi cælum non reſiſtat virtuti mouenti per aliquam qualitatem in contrarium impellentem, ſicut lapis reſiſtit proiicienti ſurſum: obſiſtit tamen quadam reſiſtentia, quæ in improportione conſiſtit, quia ſcilicet corpus, aut corpora pro ſua magnitudine, & diſtantia maiorem impetum, & maiorem approximationem virtutis impellentis exigunt, & hac ratione concedendum eſt, omnes cæleſtes orbes ſimul vni Angelo reſiſtere, ſi omnes ſimul rotare tentaret. Ex hac tamen reſiſtentia nulla ſequeretur defatigatio intelligentiæ, cum ſit omnino corporis expers, defatigatio enim, aut laſſitudo prouenit ex reſolutione membrorum, & ſpirituum, quorum miniſterio motus exercetur. Plura hic ſupererant explicanda, quæ quæſtionibus ſequentibus examinanda veniant.

QVÆSTIO X.

Qua facultate cæleſtes orbes ab intelligentiis moueantur.

EXplicuimus in ſuperioribus, quænam, & quot virtutes cælorum motrices ſint, explicandum ſupereſt, qua ratione, id eſt, qua facultate, ſeu virtute hoc munus exequantur, id quod in præſentiarum enodare conabimur.

Et in præſenti controuerſia prima ſententia adſtruit, potentiam, qua Angelus localiter mouet cœlum, aut aliud corpus eſſe idem cum intellectu, & volunta

luntate ipſius, quatenus ad motum referuntur. Hanc amplectitur Auerroes 12. Metaphyſicæ commentario 36. Argentina diſtinct. 8. quæſt. 1. art. 1. Baſſol. diſputatione 14. quæſt. 2. Capreolus diſtinct. 7. quæſt. 2. art. 1. Heruæus diſtinct. 14. quæſt. 1. art. 4. Soncinas 12. Metaphyſicę quæſt. 35. & hanc ſententiam valde probabilem iudicant Patres Conimbricenſes 2. de cælo capite 5. quæſt. 7. art. 2. & tutatur Pater Vazquez 1. parte diſputatione 102. capit. 3. & 4. & diſputatione 218. cap. 3. in fine, & Zumel 1. parte. Fauet Pater Molina 1. par. quæſt. 54. in art. 5. fauent alij, qui cum Scoto, Ferrara, & Canar. exiſtimant in Deo potentiam non diſtingui ab intellectu, & voluntate, quos refert & ſequitur Pater Vazquez primo loco citato. Fauet denique Diuus Thomas locis infra citandis, cum aliquibus recentioribus.

Quæ ſententia ſuaderi poteſt his rationibus primo, quia iuxta commune proloquium, ea, quæ in inferioribus diſperſa ſunt, colliguntur in ſuperioribus, cum hoc ad perfectionem pertineat, vt conſtat in ſenſibus externis comparatione interni, & in his omnibus comparatione vnius intellectus. Igitur vis motiua, quæ in nobis diſtincta eſt ab intellectu, & voluntate in Angelis vt pote ſuperioribus, & perfectioribus cum intellectu, & voluntate coincidet, maximè, cum non videatur aſſignabilis alia potentia naturalis operatiua in rebus ſpiritualibus præter intellectum, & voluntatem, & ideo Ariſtoteles 1. Ethicorum has duas tantum potentias intellectuales conſtituit, per intellectuales idem intelligens, ac ſpirituales, & hæ certè ſufficere videntur ad motum, ſi enim intellectus imperet, & voluntas exequatur illius imperium, planè ſequitur effectus: fruſtra ergo quæritur alia facultas motrix præter iſtas. Præterea arguit

Pater Vazquez, diſputatione 102. capite 3. quia inſeparatis à materia fruſtra ponitur alia potentia motiua præter eam, quæ eſt in corpore mobili: ergo tantum illis ſupereſt intellectus, & voluntas. Antecedens probatur ex Ariſtotele 3. de anima, vbi definiens, quæ ſit potentia ſecundum locum in anima, ſic ait: *Hæc igitur ambo, intellectus, & appetitus mouendi, motu dicto principia ſunt*, & ſtatim ad vnum hæc duo reducens ſubiungit: *vnum igitur eſt id, quod mouet, ipſum, inquam, appetitum*: Et circa finem capitis addit: *Id vero, quod mouet, atque mouetur, quia ipſum principium appetendi, id autem, quod mouetur, eſt animal ipſum, at, quo mouet, appetitus, vt inſtrumento id iam corpori tribuitur.* Ex mente ergo Ariſtot. in ſeparatis à materia non eſt aliud principium motus præter appetitum, & voluntatem, licet quando corpori adiunguntur, exigant in ipſo corpore inſtrumentum aliquod motus. Rurſus facultas exequens ab intellectu, & appetitu, diſtincta ideo ponitur, vt illis pareat, & non niſi ad nutum appetitus operetur, ſed hæc ſubiectio nequit intelligi in ſimpliciſſima ſubſtãtia, qualis eſt Angelus, quamuis incompoſita, vt homine, bene intelligatur: ergo non eſt ponenda talis potentia diſtincta. Denique in Deo non eſt talis potentia diſtincta formaliter ab intellectu, & voluntate, ſed his præciſè coaleſcit omnipotentia, vt cum multis docet Pater Vazquez ſupra: ergo non eſt neceſſario ponenda hæc diſtinctio realis potentiarum in Angelo. Antecedens præter dicta probatur, quia talis diſtinctio omnipotentiæ à voluntate imperfectionem Deo affert. Fit enim inde concipi voluntatem diuinam à nobis ſine virtute perfecta, cum alia facultas noſtro modo concipiendi ſuperaddatur, qua vt inſtrumento operetur, & ſanè perfectior conciperetur voluntas Dei, ita vt quidquid

velit

velit facere, per ſe ipſa aſſequatur: ergo non eſt ponenda alia facultas in Deo, ac proinde, nec in Angelo, eadem namque videtur ratio. Et huic ſententiæ videtur fauere Diuus Thomas, quatenus 1. part. quæſt. 25. artic. 1. ad 4. poſt quam etiamſi oppoſitum primo docuerit, ſtatim ſubiungit: *Vel dicendum ſcientiam, vel voluntatem diuinam, ſecundum quod eſt principium effectiuum, habere rationem potentiæ.* Et quæſtione 54. artic. 5. ſic, *vnde de viribus animæ non poſſunt eis (id eſt, Angelis) competere, niſi intellectus, & voluntas,* & quæſtione 79. articulo 1. ad 3. *Dicendum, quod in Angelis non eſt alia vis, quàm natura intellectiua, & voluntas, quæ ad intellectum conſequitur.* Et clarius quæſtione 16. de malo, articulo 1. ad 14. his verbis: *Ad decimum quartum dicendum, quod in Angelo, aut Dæmone non eſt alia potentia: neque operatio, niſi intellectus, & voluntas,* & ſtatim: *Vnde nulla virtus, ſeu potentia in Angelo poteſt eſſe, niſi pertinens ad apprehenſionem, vel appetitum intellectualem: non autem eſt inconueniens, quod Angeli aliqua corpora ſ'ↄ imperio voluntatis moueant motu dumtaxat locali. Videmus enim quod anima humana ſolo intellectu, & voluntate mouet corpus ſibi vnitum.* Denique de ſpiritualibus creationibus articulo 6. ad 8. ſic habet: *Probabiliter dicitur, quod imperio voluntatis ſubſtantialis mouet corpus cæleſte.* Et ſtatim, *Quod ei obedire ad nutum poſſit ſecundum tranſmutationem localem, & in nobis apparet, in quibus ſtatim ad imperium voluntatis ſequitur motus corporalium membrorum.*

Quamuis relata ſententia, mihi ſatis probabilis videatur, probabilior tamen apparet oppoſita, quæ potentiam motiuam Angeli ab intellectu, & voluntate ipſius realiter diſtinctam agnoſcit. Vt certum diximus tractatu de anima ſeparata quæſtione octaua. Eam ſuſtinent Henricus Quodlibeto 13. quæ-

ſtione ſexta, Aureolus apud Capreolum in ſecunda diſtinctione ſeptima, quæſtione ſecunda, articulo 1. Macrou. in 1. diſtinctione 43. quæſtione 5. Godophredus Quodlibeto 1. quæſtione 4. Pater Suarez tomo 2. Metaphyſicæ, diſputatione 35. Sectione 6. numero 22. Patres Conimbricenſes 2. de cælo, capite 5. quæſtione 7. articulo 2. cum Caietano 1. parte, quæſtione 54. articulo 5. illam veriorem, & probabiliorem cenſet, etſi Caietanus iudicauerit, potentiam in Deo non differre formaliter ab intellectu, & voluntate diuina. Quam ſentiam facilius amplectuntur plures, qui cum Durando in 1. diſtinctione 38. quæſtione 1. & Patre Suarez ſupra diſputatione 30. Sectione 17. numero 45. conſtituit in Deo potentiam formaliter, aut ex natura rei ab intellectu, & voluntate diuerſam; quibus multum fauet Diuus Thomas 1. parte quæſtione 19. articulo 4. ad 4. & expreſſius quæſtione 25. articulo 1. ad 4. vbi ſic ſcribit: *Potentia non ponitur in Deo, vt aliquid differens à ſcientia, & voluntate, ſecundum rem, ſed ſolum ſecundum rationem, in quantum potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit.* Et idem repetit ibidem articulo 5. ad 1. ſi enim in Deo potẽtia diſtinguitur ab intellectu, & voluntate, quia licet hæc ſit infinitas efficacitatis, non intelligitur operari ad extra eo ipſo, quod vult, niſi noſtro modo concipiendi applicet potentiam quaſi executricem, potiori iure denegandum erit voluntati creatæ Angeli poſſe per ſuum velle immutare res alias, & expreſſe docet noſtram ſententiam, quæſt. 6. de potentia, articulo 7. ad 12. quod argumentum contendebat, Angelum ſolo ſuæ imperio voluntatis poſſe corpus mouere. Et D. Thom. reſpondet his verbis: *Ad duodecimum dicendum, quod imperium Angeli requi-*

rit.

rit executionẽ virtutis, vnde oportet, quod ſit quidam tactus ſpiritualis ad corpus, quod mouet. Idem habet quodlibeto 9. art. 10. ad 2. *Dicendum, quod Angelus agit in hæc corpora, mouendo ea localiter per imperium: ſed imperium non dicitur hîc ſine virtute actiua.*

Probatur efficaciter noſtra ſententia ratione. Primò, quia nulla potentia valet naturaliter, immò neque lege abſoluta Dei, vagari extra ſuum proprium obiectum, & modum proprium verſandi, & attingendi illud: ſed motus localis non continetur intra obiectum intellectus, & voluntatis Angeli, nec intra modos operandi harum potentiarum: ergo nequit vlla ratione fieri ab his facultatibus, ſed alia diſtincta neceſſario conſtituenda eſt. Maior ſyllogiſmi per ſe eſt manifeſta, & recepta ab omnibus; vnica enim ratio conſtituendi, & diſtinguendi potentias emendicatur ex diuerſo modo attingendi obiectum, ſeu quod idem eſt, ex diſtincto obiecto formali: hoc ſiquidem dat ſpeciem, & diſtinctionem, quamlibet vero rem perfectione propriæ ſpeciei circunſcribi neceſſe eſt. Vnde nec viſus ſonum, neque auditus colorem vllatenus percipere valent: Minor vero non minus perſpicue demonſtratur. Quia ratio motus in nobis conſtituit, & dat ſpeciem potentiæ motricis eſſentialiter, & genere diuerſæ ab intellectu, & voluntate. Et ideò non continetur, nec contineri poteſt intra limites obiecti intellectus noſtri, & voluntatis vt omnes pleno ore fatentur. At intellectus, & voluntas intelligentiæ ſunt eiuſdem rationis ſpecificæ, aut ſaltem genericæ cum noſtris, quandoquidem eandem veritatem, & bonitatem eodem modo ſaltem generico reſpiciunt. Igitur intelligi nequit, motum contineri intra cancellos harum facultatum Angeli, ac proinde ab illis procedere.

Neque eluditur vis argumenti, ſiquis dixerit, motum localem habere in ſe rationem veri, & boni, ſub quibus poſſit contineri ſub obiectis intellectus,& voluntatis,& ab his facultatibus attingi:quia ſi hoc ſufficeret, idem intellectus poſſet elicere omnes operationes voluntatis ſenſuum, & aliarum omnium facultatum,ſi quidem omnes,& earum obiecta ab intellectu attingi poſſunt,ſub ratione veri,& idem contingeret in voluntate, quod figmentum nullus vnquam excogitauit. Inutilis ergo eſt illa identitas realis, ſed attendi debet ſpecialis ratio obiecti, aut effectus, ſub qua nullo modo localis motus ad obiectum intellectus,& voluntatis ſpectat.

Secundo, diuerſitas actionum, & modi operandi diſtinctionem facultatum,à quibus proueniunt, conſtituunt, aut certè denotant perſpicue, ſed ea eſt diuerſitas intellectionis,& volitionis à motu locali,quę ſufficiat aſſignare principia omnino diſtincta: hæc igitur in Angelo neceſſario admittenda ſunt.Minor, in qua eſt difficultas elucidatur facile, & in primis in nobis eadem operationum diuerſitas ſat eſt,ad plures facultates diſtinctas conſtituendas: ergo & vbicumque. Cum iuxta tritum illud proloquium idem, inquantum idem eſt, ſemper ſit natum facere idem. Deinde,motio localis eſt actio tranſiens, conſtituens ſuum obiectum in rerum natura,volitio vero, & intellectio neutrum habent, & certè non minus diſtinctæ actiones ſunt mouere,& velle,quàm velle, & intelligere. Immo illæ maiorem inter ſe diſtinctionem vendicant propter duo nuper dicta.Si ergo diuerſitas volitionis, & intellectionis requirit duas potentias diuerſas, potiori iure id exiget illarum, & motionis diſſentio. Et alias anima rationalis per ſuū velle ſine vlla facultate motiua proprium corpus ſibi coniunctum

ctum mouebit, quia licet minoris virtutis ſit, quam Angelus, maius tamen habet dominium in illud & maioré cum illo proportionem, ac proinde ſine fundamento id negaret, quod omnes communiter merito inficiantur. Vt diximus 3. de anima in caput 10. quæſt. 2.

Tertio probatur, quia intelligentia nequit efficere motum orbis cæleſtis per ſuum velle, tanquam per actionem, quia nec ipſum velle poteſt eſſe motio ipſa localis, cum eſſentialiter diſtinguantur; ſicut termini ipſi, præſentia ſcilicet, & amor, & diuerſis inhæreant ſubiectis, nempe voluntati, & mobili: neque minus poteſt eſſe productio motus localis, cum hic ſit actio, cuius non datur alia actio, & terminus eſſentialis volutionis ſit amor. Et idem argumentum poteſt confici de intellectione intellectus. Sed neque poteſt Angelus cauſare motum localem, per ipſam potentiam voluntatis, & intellectus, quia hæ nequaquam valent elicere, niſi volitionem, & intellectionem permanentes, nec aliud intelligi poteſt, cum tota eſſentia voluntatis, & intellectus, per quam ab aliis facultatibus diſtinguuntur, ſita ſit in eo præciſè, quod poſſint velle, & intelligere; quæ quidem magis diſtant à motione locali, quàm inter ſe, cum illa ſit tranſiens, factiua termini, tendens non in obiectum, ſed in effectum, & per ſe non vitalis, ſecus volitio, & intellectio, quæ etiàm magis inter ſe connectuntur, & ſubordinantur, quàm latio, & volitio: igitur ſi velle, & intelligere duo principia exigunt, potiori iure ſuum principium diſtinctum motus localis, ſeu impulſus ad illum exiget. Et ſaltem non poteſt idem motus localis ab vtraque iſta potentia elici, vt cenſet oppoſita ſententia, quia cum motus ſit vna, & eadem actio, quæ eſt egreſſus effectus ab agente, nullatenus natu-

raliter poteſt à duplici cauſa totali pendere; dicere autem à qualibet iſtarum facultatum procedere potentialem actionem, & idem totalem coaleſcere, nullius eſt momenti, quia intelligibile non eſt, quomodo ab intellectu, & voluntate, eſſentialiter diuerſis, proueniant partiales actiones eiuſdem prorſus naturæ, & rationis, conſtituentes entitatem aliquam totalem, homogeneam, qualis eſt motus localis cæli, aut alterius corporis mobilis.

Quarto denique noſtra ſententia ſtabilitur ab abſurdo, quia ſi Angelus cęlũ circumuolueret per intellectum, & voluntatem præciſe, fieret inde, vt ex qualibet diſtantia illud mouere poſſet; per has enim facultates æqualiter ſe habet intelligentia ad res diſtantes, & propinquas, vt per ſe patet: conſequens vero nullus admittet, omnes enim requirunt determinatam, & proportionatam diſtantiam, vt poſſet Angelus orbem rotare, & ideo vocant intelligentiam formam aſſiſtentem, ſeu adhærentẽ, quod fruſtra confingeretur, ſi ex qualibet diſtantia id poſſet exequi. Ex eo igitur præciſe, quod Angelus velit efficaciter mouere ſphæram, niſi addatur vis motrix diſtincta, nulla ratione mouebit, ſicut ex eo quod efficaciter velit intelligere, id non conſequitur, niſi per ſuperadditam, & diſtinctam facultatem intellectricem. Et quod diximus de virtute motrice Angeli comparatione cæli, aut alterius corporis, dicendum ſimiliter videtur, reſpectu motus localis, ipſiuſmet intelligentiæ, vt pleraque ex ſupradictis manifeſtè conuincere videntur.

Argumenta vero prioris ſententiæ parum negotij nobis faceſſunt. Ad primum reſpondeo, illud principium non eſſe in vniuerſum verum, alioquin intellectus, & voluntas, quæ in hoc diſtinguuntur, ſubirent in Angelo vnius potentiæ rationem, quod nullus admittet.

mittet. Collectio ergo illa, & vnio ſolum accidit frequenter, & cum eam rerum natura patitur, quod in præſenti non contingit, vt ex dictis conſtat. Ad confirmationem vero iam aſſignauimus, potentiam motiuam ab intellectu, & voluntate ex obiecto, actu; & modo operandi diſtinctam, & eam eſſe neceſſariam, manifeſtis rationibus conuicimus: Ariſtoteles autem tantum meminit intellectus, & voluntatis, cum potentias ſpirituales, ſeu intellectuales recenſuit, quia hæ tantum propriæ ſunt ſubſtantiæ ſpiritualis, cum tamen vis motrix etiam corpori inſideat, & non ſolum ſpiritui.

Ad ſecundum negamus antecedens, & ad illius confirmationem dicimus, Ariſtotelem vocare appetitum principium motus animalis imperans, & dirigens non proximum, & exequens, vt ex verbis illius patet, id quod nos, vt veriſſimum amplectimur. Ad aliud etiam inficiamur, non poſſe intelligi ſubiectionem potentiæ motiuæ ad intellectum, & voluntatem in ſimplici ſubſtantia, quin potius optime intelligitur, ſicut in eadem ſubſtantia agnoſcitur ſubiectio, & ſubordinatio intellectus ad voluntatem.

Ad vltimum poſſet aliquis reſpondere, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; eſt enim diuerſa ratio in Deo, & creaturis propter ſummam Dei perfectionem, & ſimplicitatem; etenim huiuſmodi argumentandi genus à diuinis ad creata, parui momenti eſſe ſolet. Et ideo Caietanus primum conceſſit, exploſitque ſecundum, vt ſupra retulimus. Nos autem cum Durando, Patre Lua, & aliis, immo & cum ſancto Thoma ſupra, non admittimus antecedens: & ea, quibus ſtabilitam relinquimus diſtinctionem realē facultatis motricis Angeli ab intellectu, & appetitu ipſius, ſuadent efficaciter, diſtinctionem formalem

per noſtrum intellectum, inter omnipotentiam Dei, & intellectum, ac voluntatem eiuſdem, vt conſideranti conſtabit. Ad confirmationem autem negamus, ex noſtra diſtinctione inferri, voluntatem diuinam non eſſe, aut non concipi omnino perfectam: quinimmo perfectiſſima eſt, & concipitur in ratione voluntatis, cum realiter, & identice claudat omnem perfectionem diuinam, & formaliter concipiatur; potens attingere perfectiſſimo modo quamlibet rationem obiecti voluntatis, in quo ſumma eius perfectio ſita eſt, non in eo, quod vltra obiectum voluntatis diuagetur, & per ſuummet conceptum intelligatur exequi quicquid efficaciter vult. Alioquin perfectio voluntatis diuinæ, vt per ſe ipſam formaliter intelligeret, cum intelligere efficaciter vult, & non per intellectum, quod plane eſt falſum: & tamen non minus diſtat obiectum actus, & modus operandi potentiæ executricis ab obiecto, actu, & modo operandi voluntatis, quam ab his differt obiectum actus, & modus operandi intellectus, vt ex dictis manifeſto liquet. Non eſt ergo de perfectione formali voluntatis diuinæ, poſſe ſe ipſa formaliter, & proxime res executioni mandare, cum hoc ſit extra ſuum obiectum formalem, & proprium modum operandi. Ac proinde in Angelo hoc non pertinet ad eandem facultatem voluntatis, ſed ad aliam diſtinctam.

Teſtimonia denique ſancti Thomæ non ſuffragantur priori ſententiæ, & in illa ſolutione 4. nobis fauet, vt fatetur Pater Vazquez. In primis enim loquitur de Deo, de quo non eſt eadem omnino ratio ac de Angelo, vt ex Caietano, diximus; deinde primo loco, vt vidimus, noſtram doctrinam diſertis verbis tradit, tanquam veriorem ſcilicet, & poſtea aliam ſolutionem iuxta oppoſitam ſententiam, probabilem

addu

adducit, vt ſæpe fieri ſolet. Denique illa verba intelligi poſſunt, ita vt ſenſus ſit intellectum, & voluntatem diuinam, habere rationem potentiæ non formaliter, ſed realiter, ideo enim dicis, eas facultates habere rationem potentiæ, ſecundum quod ſunt principium effectiuum, id eſt, non vt tales potentiæ ſunt, ſed ſub alia ratione formali, quo tantummodo facultates, & attributa in Deo diſtinguũtur, in doctrina Diui Thomæ, vel potius intendit, eas facultates formaliter habere ſuum potentiæ & cauſalitatis executricis modum, nó proxime, & immediate exequendo, ſed quaſi mediate imperando, & dirigendo. Et hic videtur germanus ſenſus illorum verborum. Ad ſecundum reſpondetur, ſenſum eſſe de viribus animæ tantum, Angelo competere intellectum, & voluntatem, id eſt, ea ratione, qua ſunt in anima, in qua illæ ſolum ſpiritales ſunt, aliæ autem materiales, quæ Angelo non conueniunt, ac ſi diceret, Angelo ſolum conueniunt facultates ſpiritales; at ex his duę tantum ſunt in anima, ergo ex facultatibus animæ duæ ſolum Angelo competunt.

Tertium minoris momenti eſt, ſolum enim contendit D. Thomas non eſſe in Angelis vires ſenſitiuas & nutritiuas, ſicut habet anima rationalis in corpore, ſed tantum intellectiuas, hoc eſt, ſpiritales, quapropter Angelus appellari poteſt mens, & intellectus, ſecus quam anima. Duo poſtrema loca Diui Thomæ magis vrgere videntur, verum cum in aliis adductis pro noſtra ſententia, illi expreſſe ſubſcripſerit, conandum nobis eſt, ea in bonum ſenſum interpretari, ne admittamus, Doctorem Angelicum adhuc iuniorem contrarium ſibi extitiſſe, & ideo ad illud ex ſolutione ad 14. reſpondemus, ibi ſolum negaſſe Diuum Thomam, Angelis facultatem naturalem,

ralem, quæ ſcilicet non feratur ductu rationis, & imperio voluntatis, atque adeo omnis facultas, & operatio Angeli reducitur à D. Thoma, ad intellectum, & voluntatem elicitiue, ſeu imperatiue, & propterea in ſequentibus verbis ſolum dicit, nullam vim eſſe in Angelo, quæ non pertineat ad apprehenſionem, & appetitum, hoc eſt, quæ horum directionem fugiat: qua ratione dicitur Angelus, mouere ſolo ſuo imperio, quia ſcilicet, vult applicare potentiam executricem motus, ſibi omnino ſubiectam, & hunc eſſe ſenſum huius loci ex eo mihi habeo perſuaſum, quod illum confirmat, quia anima humana ſolo intellectu, & voluntate mouet corpus ſibi vnitum, cum tamen ex communi omnium ſententia anima moueat localiter corpus, per virtutem motricem ſuperadditam. In vltimo autem loco tantum docet Diuus Thomas probabiliter illud dici, quod nos fatemur, & eadem prorſus ratione, qua præcedens exponi poteſt: nam illud etiam confirmat ex eo, quod in nobis ad imperium voluntatis ſequitur ſtatim motus membrorum, quod ſine motrice facultate ab intellectu, & voluntate diſtincta non euenit.

QVÆSTIO XI.

Quomodo ſphæræ cæleſtes ab intelligentiis rotentur.

IN hac quæſtione nonnulla venient diſcutienda, quæ ad doctrinæ traditæ perfectionem deſiderari videbantur, ne in aliquo ſtudioſis noſtris deficiamus, ex quibus vnum, vel alterum verbum à Doctoribus obiter prolatum reperies. Primum, & præcipuũ examinan

minandum nobis erit; quo impetu intelligentia cælum circumuoluat, deinde quo operandi modo naturali ſcilicet, an libero. Tertium denique qua applicatione,& præſentia id exequatur.

Circa priorem quæſtionis partem eſt prima opinio aſſerentium,intelligentiam efficere motum localem,per impulſum mobili impreſſum.Ita docet Pater Ludouicus Molina 1.part.quæſt.54.artic. 5. & obiter indicant Patres Conimbricenſes 2.de cælo, capite 5. quæſt.5.articulo 4.in fi. ſequuntur aliqui recentiores. Quam ſententiam probabilem iudicat Pater Suarez, tom.2.Metaphyſicæ diſput.35.ſeſſione 6.num.24. & eam P.Moli.intelligit tam de motu ipſiuſmet Angeli, quam rei externæ. Alij ſine diſtinctione loquuntur. Hæc ſententia probari poteſt ex Sancto Thoma de ſpiritualibus creaturis,art.6.ad 12. vbi ſic habet: *Dicendum, quod corpus cæleſte, in quantum mouetur à ſubſtantia ſpirituali: eſt inſtrumentum eius ſicut ſerra artis, &c.* At inſtrumenta artis mouentur per impulſum impreſſum ab artifice: ergo ex mente Diui Thomæ cælũ mouetur à ſua intelligentia per impulſum, & idem poteſt colligi ex corpore articuli quatenus dicitur, Angelos vniri cælis per modum, quo motor vnitur mobili,ſcilicet,in motoribus inferioribus, qui certe per impulſum corpora mouent localiter. Ratione etiam confirmari poteſt, quia proprius modus mouendi localiter ab extrinſeco,eſt per impulſum,vt in nobis patet. Sed intelligentia eſt motor cæli extrinſecus, igitur per impulſum cælum impellit, maxime cum cælũ non minus ſit impulſus capax, quam aliud corpus inferius, & non appareat,qua alia ratione poſſit à motore impelli.

Secunda ſententia eſt,Angelum mobili aſſiſtentem non imprimere illi impulſum,ſed motum ipſum immedia

mediate. Hanc amplectitur Pater Suarez loco citato numero 25. & videtur ſententia Diui Thomæ, ſupra, art. illo 6. ad 9. vbi hęc habet verba: *Subſtātia ſpiritualis qua mouet cæleſtia corpora vnitur eis ſecundum moueri tantum.* Si autem intelligentia impulſum ſphæræ imprimeret, non ſecundum moueri tantum ei vniretur, ſed in actu primo etiam, & per modum potentiæ, per impulſum diceretur vnita contra D. Thomam. Fundamentum huius ſententiæ, eſt, quia impulſus ſolum adſtruitur, vt inſtrumentum mouentis ſeparati à mobili: at Angelus ſphæræ mouendæ adeſt, igitur neceſſarius non eſt impulſus, ac proinde inficiandus. Et hac ratione melius defenditur communis ſententia ſcholaſticorum cum Diuo Thoma affirmans, corpora Angelis non ſubdi, niſi quoad motum localem.

Noſtra in hac re ſententia media incedit via, iuxta quam duæ extremæ relatæ verum habere, & in concordiam redigi poſſunt. Quæ duplici aſſertione explicanda eſt, quarum prima ſit: Intelligentia ſufficienter coniuncta, & approximata mobili, non imprimit illi neceſſario impulſum, ſed proximè motum, hoc aſſertum congruit ſecundæ ſententiæ, & aliis fundamentis roboratur. Et confirmari poteſt, quia motrix facultas immediate, & per ſe eſt productiua motus, ſed in Angelis eſt vis motiua ſecundum locum, ergò ab illa poterit immediatè, & ſine medio impulſu motus procedere. Illuſtratur maior. Primo, quia in animalibus ex communi ſenſu à virtute motrice præciſe ſæpe prouenit motus, & in omnibus corporibus ſublunaribus grauitas, & leuitas, quæ ſunt virtutes loco motiuæ, ſufficiunt vero corpora ſine impulſu, etſi illum per accidens producant, iuxta aliquorum ſententiam. Deinde potentia motrix ex pro-

pria

pria ratione generica, & ſpecifica proximè, & eſſentialiter reſpicit motum, & vbi, tanquam propriam cauſalitatem,& effectum, à quibus ſpeciem deſumit, ſicut calefactiua facultas calefactionem & calorem, & reliquæ ſimiliter. Igitur ſicut à cæteris virtutibus immediate procedit actio,& effectus, tribuentes ſpeciem,ita à facultate motrice intelligentiæ, quam eſſe neceſſario adſtruendam oſtendimus quæſtione præcedenti, ex quo liquet conſequentia prioris ſyllogiſmi,videlicet, à facultate motiua Angeli poſſe immediate, & proxime oriri motum localem., ac proinde quoties mobile debite approximatum eſt, ſine interiacente impulſu,motus eueniet. Quod videtur conuincere ſaltem de motu ipſiuſmet intelligentiæ, contra Patrem Molinam, cum ibi nil omnino obſtare poſſit,& adſit ſufficiens virtus, & applicatio: ſed minus effiaciter procedit ratio,de motu cæleſtis ſphærę, aut alterius rei ſpiritualis, vel corporeæ, Angelo immediatè coniunctę,licet enim non ſit tam ſtricta coniunctio,& proportio, ac in priori caſu,ſufficiens proculdubio exiſtit ad hunc effectum, quia cum motus localis non ſit actio immanens,ſed tranſiens,ſicut calefactio,effectrix illius viæ ſola ſubiecti contiguitate, nimis contenta eſt.Quemadmodum non plures exigit calor,& aliæ facultates,actione tranſeunti operatrices,non igitur eſt neceſſarius impulſus,cum approximatum eſt mobile ſufficienter intelligentiæ motrici,ac proinde nec ponendus, tum quia ſuperuacaneus, tum quia ex communi ſenſu nil Angelus corporibus imprimit præter lationem,vel vt plurimum, id,quod ad motum neceſſario exigitur. Diximus incluſiue intelligentiam ſufficienter coniunctam, quia ſi deſit ſufficiens,& debita applicatio, aut ratione ſeparationis,aut magnitudinis corporis,alia eſt ratio,vt

iam

iam a periemus.

Secunda concluſio: quoties intelligentia à mobili diuulſa illud agitat, id præſtat per impulſus impreſſionem. Quæ aſſertio contra Patrem Suarez ſupra, in fine, congruit primæ ſententiæ, illiuſque fundamentis fulcitur, & vlterius corroboratur. Quia motor corporum per impulſum agitat corpus à ſe diſtans, vt cum communi ſcholæ ſenſu diximus, 8. Phyſicorum, ergo ſine fundamento id intelligentiæ detrahemus, cum altioris, & efficacioris virtutis ſit, præſertim ad mouendum localiter. Denique implicat aliquid moueri, quin omnibus partibus, ſecũdum quas mouetur, motus inhæreat, ſicut repugnat, conſtitui album ſine albedine: ſed intelligentia ad tam magnam diſtantiam localiter mouet, ad quam non poſſit motus ab ipſa immediate fluens pertingere: igitur in illis partibus remotioribus alia virtus ponenda eſt, à qua motus illarum proueniat. Minor, in qua difficultas ſita eſt, illuſtratur, quia intelligentia motrix primi mobilis, v. g. ex aliqua illius parte, cui tantum adhæret, vt ſtatim dicemus, integrum illud mobile circumuoluit, immo & eodem motu inferiores ſphæras rapit, ſed nequit intelligi eadem actio procedens à potentia, exiſtente in illo loco, per ſe ipſam attingere extremas partes valde inter ſe, & à potentia diſſidentes; & ſaltim implicat illa eadem actione, & motu cieri inferiores orbes, quia nec poteſt motus tranſilire de ſubiecto in ſubiectum, nec reproducere aliam actionem, vel motum in alio ſubiecto, ſiquidem actionis non.

Et hæc, & terminus eidem ſemper inhærent ſubiecto, igitur in his partibus, ſeu mobilibus extra ſphæram immediate proceſſionis motus à potentia Angeli exiſtentibus, neceſſario ab ipſo producitur impulſus,

ſus, quo vt inſtrumento vtatur ad lationem peragendam. Quanta vero ſit ſphæra facultatis motricis intelligentiæ, in qua per ſe ipſam immediate ſine conſortio inſtrumenti motum eliciat, nequit à nobis certo definiri. Illud tamen nobis ſtatutum videtur, ſcilicet, intra illam ſphæram integrum cœleſtem orbem non claudi, eſſet enim limitatæ virtutis nimia perfectio: in reliquis vero partibus, impulſum intelligentia imprimit, media facultate motrice, tanquam ratione producendi in ordine ad motum, ad quem ordinatur mediate, vel immediate, aut tanquam conditione prærequiſita, qui impulſus producitur, medio alio producto, in proximioribus partibus, licet in his non eſſet omnino neceſſarius, vt probauimus: ille tamen & virtus motiua, cum voluntati Angeli ſubdantur, ita producuntur, & attemperantur mobili, vt ex eis conſtans, vt æquabilis oriatur motus cæli iuxta ipſius voluntatis imperium.

Et iuxta dicta intelligitur ex proprio, & germano ſenſu Diuus Thomas citatus pro prima ſententia, vere enim erigit impulſum intelligẽtiæ pro motu ſphæræ cæleſtis, ſed quatenus deeſt debita mobilis approximatio, non ſecus, & idẽ contingit in motu inferiorum, vt patet. Ad rationem reſpondeo, Angelum ita eſſe motorem extrinſecum, vt debite ſit applicatus per ſuam virtutem motricem, & ſibi ipſi, dum mouetur, & ſphæræ cæleſti ſecundum aliquas partes, & ideo ſine impulſu motum in eis eliciet, pro diſtantioribus vero, defectu applicationis indiget impulſu, cuius fatemur eſſe capax cælum, inficiamur tamen non poſſe aliter moueri.

Ad fundamenta ſecundæ ſententiæ, quatenus noſtræ aduerſantur, facile eſt reſpondere. Et primo D.

Thomas ſolum negat intelligentiæ vnionem, quæ non ſit per motum, aut in ordine ad motum, ſine informatione propria, quod duplici modo relato contingere poteſt. Ad rationem dicimus, impulſum requiri ad motum mobilis ſeparati, aut non debito modo applicati, qua ratione exigitur in cælo, vt explicuimus. Doctores autem communiter negant, corpora ſubdi intelligentiis quoad aliquam formam, quæ non ſit motus, aut principium, ſeu terminus motus, quibus nos libenter ſubſcribimus.

In calce huius quæſtionis aduertendum eſt; nonnullos carpere Ariſtotelem teſte Diuo Thoma, quæſtione 16. articulo 10. quaſi dixerit intelligentiam rotare ſuam ſphæram, non ſecundum intellectus regulam, ſed neceſſitate naturæ impetum impertiendo; cuius fundamentum potuit eſſe, quia 12. Metaphyſicæ capite 8. aſſeruit Philoſophus, intelligentiam quoad virtutem motiuam ita ſuo orbi commenſuratam eſſe, vt alium ſuperiorem mouere non poſſit. Quod confirmari poſſet ex noſtra doctrina, iuxta quam cum intelligentia moueat per potentiam à voluntate diſtinctam, & etiam per impulſum, mirum non eſt, ſi naturali impetu & determinatione impellat, ac proinde quantum poteſt, ita vt intelligentia motrix inferioris orbis non poſſit ſuperiorem agitare. Verum etſi fundamentum Ariſtotelis nobis non probetur, inde tamen non neceſſario infertur, intelligentias neceſſario mouere, aut id Philoſophum exiſtimaſſe. Fundamentum autem falſum eſt, quia ſine fundamento, & contra communem ſenſum: licet enim Deus ita efficere potuerit, vt ſcilicet vnaquæque intelligentia tantum valeat propriam ſphæram impellere, nulla prorſus extat ratio, vt factum putemus, immo oppoſitum naturis rerum magis congruit.

Verum cum id contingere potuerit, etiam ſi intelligentiæ liberæ mouerent cælos, vt patet, non bene infertur ex eo, quod Ariſtoteles dixerit, intelligentiæ virtutem ita ſuo orbi commenſurari, vt nil vltra poſſit agitare, eum ſenſiſſe, intelligentias neceſſario impellere, ſed cuiuſuis fuerit hoc placitum, falſitatis conuincitur. Quia vt quæſtione 10. retulimus, Diuus Thomas cum omnibus ſcholaſticis perſpicuè docent, Angelum mouere corpora imperio voluntatis, ſeu per intellectum & voluntatem, quod intelligendum eſt, aut de potentia proxima motiua, vt plures ibi citati volunt, vel ſaltem de facultate dirigente, & imperante, vt nos ſtabiliuimus. Neque aliud poteſt cum fundamento dici, neque apparet à quo talis determinatio oriatur, ni ſubſtantia omnino intellectuali, cum etiam in nobis, immo & in brutis applicatio virtutis motricis, & impreſſio impulſus imperio appetitus ſubdantur, & hoc ad perfectionem ſpectat, ac proinde naturæ Angelicæ perfectiori iniuſtè detrahetur. Neque ideo verendum eſt, Angelos à motu cælorum ceſſaturos pro ſua libertate ante diem iudicij, vrget enim lex illis à Deo impoſita de permanentia & æquabilitate motus, id rerum natura & ordine enixè exigente.

Vltimo ſcire oportet id, quod in ſuperioribus obiter attigimus, intelligentiam circumuoluentem orbem, non toti orbi, ſed determinatæ tantum illius parti aſſidere, non quia eidem parti continuo adhærens cum ipſa in gyrum feratur, ſed ita vt ex eadem determinata parte ſpatij impellat partes illac ſucceſſiue tranſeuntes, & quaſi fluentes, & his mediis orbem integrum modo ſupra explicato. Hic videtur communis ſenſus, & vtramque partem expreſſit ſanctus Thomas de ſpiritualibus creaturis articulo 6. ad

6.ex mente Ariſtotelis, his verbis: *Ad ſextum dicendum, quod ſecundum Philoſophum in 4. Phyſicorum, motor cæli eſt in aliqua parte eius, & non in toto, & ſic non circuit gyrum cæli.* Quæ lectore indigent, non expoſitore. Ratio prioris eſt, quia intelligentia ſicut eſt determinatæ naturæ, ita etiam virtutis limitatæ, in ordine ad præſentiam localem, quam virtutem plane excedit vbi in toto orbe, vt per ſe patet, & alias poſſet ſimul Angelus naturæ viribus cælo, & terræ adeſſe, cum plus inter ſe diſſideant partes eiuſdem orbis, quam earum aliquæ & terra. Sequelam vero & falſam eſſe, & contra ſanctos Patres, & Scholaſticos, ſupra oſtendimus. Secunda autem pars ex eo conſtat, quia nec decet naturam intelligentiæ beatæ, vt tam celeri & rapido motu, cum ſua ſphæra continuo agitetur, nec id eſt vlla ratione neceſſarium, ſiquidem eo modo quo diximus poteſt impellere & indeſinenter orbem mouere, cum nulli parti ſit phyſicè vnita, ſed non propterea inficiamur, poſſe intelligentiam motricem mutare ſpatium, ſed tantum id eſſe neceſſarium ad exequendum motum.

Quantum vero ad ſpatium, & præſentiam motoris Angeli nihil poteſt certo definiri: communiter dici ſolet eſſe in aliqua parte ſuperficiei conuexæ ſui orbis, quia inde optimè videtur poſſe impellere, & ideo nuncupatur forma aſſiſtens, quaſi exterius coniuncta. Poſſet etiam non incongruè affirmari intelligentiam exiſtere, in aliqua parte profunditatis propriæ ſphæræ, quia ex illa facilius in omnes ſphæræ partes, vtpote ſibi propinquiores impetum tranſiiceret, maximè cum intelligentia ſpiritalis omnes cæli partes ſine impedimento poſſit tranſmeare. Forma vero aſſiſtens dicitur, non quia extra cælum ſit, ſed quia illud non informat tanquam proprium ſubie-

ctum

ctum, & materia: finito autem rotationis tempore ad communem beatorum ſedem motrices mentes, ſicut & cuſtodes, hominum perfecto munere ſe recipient.

CAPVT VI.

Textus Ariſtotelis.

Poſthæc motum ipſius vniformem, & non difformem eſſe, demonſtremus oportet, &c.

Breuis expoſitio textus.

INtentum Ariſtotelis eſt in præſenti capite probare motum primi mobilis; & aliarum ſphærarum quatenus ab ipſo rapiuntur (de hoc enim loquitur) eſſe vniformẽ, & ęquabilis ſemper velocitatis. Quod probat aliquibus argumentis. Et hæc eſt ſumma totius capitis, quod ideo diuiſiõne non indiget. Prima ratio Ariſtotelis eſt motus inæqualis habet intenſionem velocitatis, ſtatum & decrementum eiuſdem, qui ſtatus eſt, aut in principio motus, aut in medio, vel fine, vt in diuerſis motibus videre eſt. At motus cæli, vtpote circularis, & æternus, principio, fine, ac medio caret: ergo & inæquabilitate. Præterea inæquabilitas motus prouenit à mouente, vel à mobili, à neutro tamen poteſt prouenire in cælo, cum hoc incorruptibile ſit; ac proinde ſemper eodem modo, & motor eadem ſemper virtute moueat. Tertio, non eſt motus cæli inæquabilis ſecundum totam ſphæram, quia talis remiſſio ab imbecillitate proueniret, nec quoad partes, alias ſtellæ octauæ ſphæræ non ſemper eandem inter ſe diſtantiam ſeruarent, Tandem, motus cæleſtis non poſſet infinito tempore au-

geri, & infinito diminui, alioqui eſſet infinitus & indeterminatus, & nec haberet certos terminos, nec tempus præfixum, ſed nec augeri, & remitti poteſt quadam viciſſitudine, quia nulla huius viciſſitudinis ratio afferri poteſt, & ſenſu ab omnibus perciperetur.

Doctrina huius capitis ſatis perſpicua eſt, ſolũ eſt animaduertendum, motum cæli eſſe vniformem, & æquabilem, ſecundum omnes partes non æqualitate ſpatij, quod decurritur, quandoquidẽ tempore æquali partes polis viciniores minus ſpatium peragrant, maius vero diſtantiores, ſed æqualitate temporis, quod conſumitur in tali ſpatio peragrando. In quo ſenſu Ariſtoteles, & reliqui Philoſophi loquuntur, id quod experimento conſtat, alioqui non poſſent Aſtrologi certo prænunciare, quo die, & hora futuræ eſſent Solis, & Lunæ eclypſes, & ſyderum coniunctiones, quod vim ſenſibus affert. Id autem ex eo euenit, quod Angelus pro ſua libertate ita ſuam virtutem motricem, & impetum attemperat per continuam impreſſionẽ, vt rerum natura, & indefectibilis æquabilitas motus cæleſtis exigit, quoties autem inſoliti planetarum coitus, & aſpectus ſtellarum, ſtationeſque cælorum deprehenſæ ſunt, id præter ſtatutam rerum legem, & ſupernaturali creatoris vi contingit.

CAPVT VII.

Textus Ariſtotelis.

De his autem, quæ ſtellæ vocantur, deinceps dicendum eſſe videtur, &c.

Breuis expoſitio textus.

AGgreditur iam Philoſophus diſputationem de partibus cæli, nempe de ſtellis. Et diuiditur caput

put in duas partes: in prima explicat naturam, figuram, & motum aſtrorum; in ſecunda quandam dubitationem mouet,& ſoluit.Et quod ad primam attinet,breuiter dicit,rationi conſentaneum eſſe,vt ſtellæ eandem cum cælo naturam ſortiantur,& idem intelligit de figura,& motu earum.Quod veterum Philoſophorum teſtimonio comprobar. Qui licet falſo exiſtimauerint, ſtellas eſſe igneæ naturæ,conſequenter tamen, cum cælum ipſum igneum poſuerint. In ſecunda parte capitis obiicit hac ratione,nullum corpus emittit, quod in ſe non habet, at ſtellæ ignem emittunt, ſunt igitur igneæ. Reſpondet, ſtellas non emittere à ſe ignem: ſed earum motu excitari, ſicut contingit in corporibus ſublunaribus, licet hæc calefiant,non ſtellæ,quia diſtantes,& ignis incapaces.Nec ex hoc ſequitur,inquit,quod ſicut cæleſtium ſphærarum motus æquabilis ſemper eſt, ita aer æquabiliter ſemper incaleſcat, quia caloris incrementum prouenit etiam ex maiori ſolis acceſſu, & radiorum reflexione,quæ non ſemper eadem contingit. Vnde non intendit Ariſtoteles, vt adnotat D. Thomas hic lectione 10. Vnicam cauſam caloris cæleſtis inferioris eſſe aeris motum, & attritionem ortam à motu cæleſtium ſphærarum, ſed etiam ad id concurrere radiorum luminis reflexionem.

QVÆSTIO I.

An Aſtrorum naturæ ſint eiuſdem rationis cum ſuis orbibus, & inter ſe.

QVæſtio hæc procedit, tam de ſtellis fixis, ſeu inerrantibus,quàm de errantibus,& planetis.Et

miſſâ opinione(cuius meminit Ariſtoteles hoc ca.7.) Philoſophorum ipſo antiquiorum,aſſerentium cælos & aſtra eiuſdem ſubſtantiæ cũ ſublunari mundo eſſe, quos,& ipſorum inter ſe diſſenſiones, referunt Patres Conimbricenſes 2.de cælo cap.7.qu.1.art.1.hanc tamen opinionem ſatis refutauimus 1.lib.cap.2.qu.6.& 7.inter eos qui aſſerunt,tam aſtra, quã cæleſtes ſphæras , ex quinta Peripatetica ſubſtantia conſtare diſſidiũ eſt. Num ſtellæ in eadem infima ſpecie cum ſuis orbibus conueniant. Et affirmatiuam partem in vniuerſum tenẽt Maſſalachus,lib. de ſphæra mota,Auerroes commentario 79. huius libri. Albertus Magnus tract.3.ca.4.Maior quæſt.8.& idem videtur exiſtimare Ricard.in 2.diſt.14.artic.3.quæſt.6. cum aliis nonnullis. Quæ ſententia probari poteſt primo ex Ariſtotele in hoc capit. 7. dicente , ſtellas eandem cum ſuis orbibus naturam ſortiri, quod de identitate ſpecifica videtur intelligendum; identitatem enim genericam etiam habent cum ſublunaribus , ſiquidem in genere corporis cum illis conueniunt. Ratio præcipua , immo , & vnica huius ſententiæ eſſe videtur, quia nullum eſt ſufficiens fundamentum eiuſmodi diſtinctionis ſpecificæ inter ſtellas , & proprios orbes,igitur nõ eſt ad ſtruenda, cum ſint partes eorumdem corporum ſimplicium, ſicut aqua eſt pars aquæ, & aer aeris.Antecedens probatur,quia ſi aliquod eſſet diuerſitatis principium,ſeu ſignum à poſteriori , maxime maior aſtrorum denſitas,intenſior lux , & perſpicua effectuum diuerſitas , adde diuerſum planetarum motum:ſed horum nihil ad hoc cogit, ac proinde non eſt,cur hanc ſpecificam diſtinctionem admittamus. Elucidatur minor : nam in primis illa omnia accidentia duntaxat ſunt,& ideo non valent eſſentialem diuerſitatem per ſe inducere.Deinde neque illam

diſtin

diſtinctionem conſtitutam præmittunt, quia in diuerſis partibus homogeneis aquæ, v.g. contingere ſolet, eadem accidentium diſſenſio, cum poſſit vna rareſieri, illuminari, aut localiter cieri, & per has qualitates diuerſos edere effectus; altera exiſtente denſa, tenebroſa, immota, & ſimiles effectus non producente. Igitur, hæc omnia in aſtris, & eorum orbibus, cum ſpecifica vnitate ſtare poſſunt.

Secunda ſententia aſſerit, Planetas (Sole excepto) ſiue diſcontinuentur à ſuo epicylo, vt Luna, ſiue non, vt reliqui, ſpecie nequaquam diſtingui ab illo, nec à differente, bene tamen à cæteris orbibus; ſtellas vero fixas ab octaua ſphæra non differre. Ita docent Patres Conimbricenſes 2. de cælo cap. 7. quæſt. 1. art. 2. de Sole vero dixerant cap. 5. quæſt. 2. æque probabile eſſe à ſuo orbe diſcerni, & ſpecie diſtingui. Primum probant, quia cæli, ſicuti elementa, ſpecie diſtinguuntur pro ratione ſituum, & locorum. At planetæ, epicycli, ac ſphæræ differentes, eundem ſitum inter ſe habent, idemque percurrunt ſpatium, ſecus inferiores, aut ſuperiores orbes, igitur illa inter ſe eandem habent ſpeciem, ab his vero diuerſam. Secundum, & eadem ratione, & argumentis primæ ſententiæ fulcitur; quod tamen fatentur hi Doctores eſſe contra Diuum Thomam.

Verior tamen nobis ſemper viſa eſt ſententia Diui Thomæ, 2. de cælo, lectione 10. dubio 2. Soncinatis 1. Metaphyſicæ, quæſt. 10. Fonſecę, tom. 2. Metaphyſicę, quæſt. 1. ad 3. Patris Molinæ, 1. parte, tractatu de operibus dierum, diſputatione 15. & aliorum, adſtruens ſpecificam diſtinctionem inter quodlibet aſtrum, ſeu planetam, & ſuum orbem totalem; aut partialem. Quæ ſententia infertur, & probatur efficaciter ex his, quæ diximus cum pluribus Doctoribus, lib. 1. cap. 2.

quæſt. 8. videlicet, materias cælorum inter ſe ſpecie differre ex diuerſa ratione formali reſpiciendi proprias formas, & aliàs cælos fore corruptioni obnoxios, quod eodem prorſus modo ſequitur, ſi aliquæ ſphęræ diſcontinuę, ſeu aſtra eiuſdē ſpeciei conſtituerentur, vt legenti ibi dicta conſtabit: eſſet enim materia huius ſphæræ capax formæ alterius incompaſſibilis cum priori in eadem materia, ac proinde ex natura ſua hæc ſphæra eſſet corruptibilis. Quod ſi materiæ quorumlibet orbium cæleſtium & aſtrorum ſpecie differunt, potiori iure diſſidebunt formæ, & compoſita, quæ à formis ſpeciem deſumunt. Hic etiam vim habent, quæ quæſt. 4. præcedentis tractatus adduximus, ad probandum ſphæras cæleſtes ſpecie inter ſe differre. Et confirmatur primo, de ſphærulis, & planetis diſcontinuis, quia ideo hæc corpora inter ſe, & à ſuis orbibus realiter diſcernuntur, quia diuerſis motibus cientur, quibus diuerſas exhibent apparitiones: ſed inde etiam infertur, diuerſitas ſpecifica corporum mobilium: ergo hæc adſtruenda eſt inter illa. Minor probatur, quia eidem corpori ſimplici ſecundum ſpeciem ſolum poteſt naturaliter conuenire vna acquiſitio termini, & vnus modus acquirendi, & exiſtendi in illo, vt conſtat in elementis, & eorum partibus, quarum quælibet ſeparata, ſicut, & coniuncta, ad idem vbi, & per eandem lineam, ac eodem modo ſemper nata eſt tendere. At ſphæræ cæleſtes, orbiculi, & planetæ, per diuerſam lineam ex natura ſua agitari exigunt, & diuerſam termini acquiſitionem, ſeu diuerſum acquirendi modum perpetuò habent, ac alia corpora cæleſtia, à quibus realiter diſtinguuntur: igitur ab eiſdem differunt ſpecie, ſiue enim motus ipſi ſpecie inter ſe diſſideant, vt fatentur Patres Conimbricenſes, ſiue ſecus, ſufficien

ſufficienter indicant ſpecificam mobilium corporum maxime ſimplicium, diſtinctionem. Et certe potior diſtinctionis ratio petitur à diuerſitate motus quàm à ſituum, & locorum diſcrimine vnde eam inter orbes decerpunt Conimbricenſes ipſi.

Secundo in vniuerſum confirmatur, quia vnicum principium diſcernendi à poſteriori diuerſas rerum naturas, & eſſentias ſemper extitit propriorum accidentium, & effectuum diuerſitas, quod maxime vim habet in corporibus ſimplicibus; ſed quilibet planeta, & aſtrum haber accidentia propria, & inſeparabilia denſitatis, & luminis, ac orbis, cui inſidet, & diuerſus effectus, & proprius illi attribuitur, neceſſario ergo infertur aſtra quęlibet à propriis orbibus eſſentialiter differre, & conſequenter realiter diſcōtinuari, & idem infertur de aſtris ipſis inter ſe, maxime de planetis, quibus diuerſi effectus, & ſitus conueniunt: & idem dicendum eſt de ſtellis fixis, ob priores præſertim rationes, licet Pater Molina ſuper hoc non iudicauerit in vniuerſum neceſſariam, quod amplius conſtabit ex ſolutione argumentorum aliarum opinionum.

Ad teſtimonium Ariſtotelis in fauorem prioris ſententiæ adductum reſpondetur, ipſum plane loqui de identitate generica ſtellarum cum ſuis orbibus, ſolum enim contendit, eas non eſſe ſublunaris naturæ, ſed alterius quintæ ſubſtantiæ, ſicut cælum ipſum, cui ſunt affixæ. Ad rationem pro eadem ſententia negamus antecedēs primi enthymematis, & minorem ſyllogiſmi in antecedentis confirmationem adducti. Ad illius vero minoris elucidationem non defuerunt aliqui relati à D. Thoma, quæſt. 67. artic. 3. qui futilibus quibuſdam argumentis ducti, exiſtimarunt, lucem eſſe formam ſubſtantialem, ſubſtantialeve corpus, apud

quos

quos facile diſtinguerentur aſtra ab ſphæris cæleſtibus per lucem, verum hac via non eſt ſoluendum argumentum, veriſſime enim Peripatetica ſchola cum Ariſtotele 2. de anima cap. 7. contra Academicam tenet, lucem eſſe accidentariam formam, & qualitatem, cum ſub aſpectum cadat, remiſſionem, & intenſionem patiatur, & cum alia forma ſubſtantiali aeris, v. g. in eadem materia exiſtat, quorum nullum ſubſtantiali formæ conuenire poteſt: lux præterea tranſmeat perſpicua corpora, & in inſtanti per totum ſpatium porrigitur, quæ corpori plane repugnant. Alij vero fatentur argumento ex diuerſitate luminis non poſſe colligi diſtinctionem aſtrorum (Sole excepto) à propriis orbibus: exiſtimant enim, quidquid luminis ſingulæ ſtellæ habent, id totum à Sole haurire, quod alij ad Lunam reſtringunt. Horum tamen ſententia falſa eſt. Quamuis enim contra Auicenam, & Macrobium verum iudicemus, omnes ſtellas tam fixas, quam planetas lumen à Sole mutuari, id quod de Luna fatentur omnes, & luce clarius eſt, cum pro vario ad Solem aſpectu varie illuſtretur, diuerſaſque induat figuras, vnde idem infertur de reliquis aſtris. Et confirmatur, quia planetæ, quo magis Soli propinquiores ſunt, eo cæteris paribus magis lucent, vt in Marte, & Venere compertum eſt. Quapropter in medio planetarum Sol videtur collocatus, vt inde tam illis, quam fixis aſtris lumen commodè diffundant. Quamuis, inquam hoc verum ſit, non minus verum puto, cum D. Thoma hic ſectione 10. poſt medium, tam ſtellas fixas, quam planetas aliquid ex ſe lucis poſſidere. Si enim alicui aſtro ignoto lux eſſet deneganda, maxime Lunæ, & ideo illi præſertim eam detraxerunt auctores citati, Anaximander, Antiphō, & Cleomedes, at Lunę nequit denegari, ergo multo minus reliquis aſtris.

Minor

Minor ex eo liquet, quod dum Ecclypſim Luna patitur, non nihil in ea lucis deprehẽditur, cum tunc etiã rubeat, & tamen à Sole tunc temporis non illuminatur. Interdum vero pars Lunæ à Sole non illuminata nobis non apparet, quia licet aliquid habeat lucis, nimio Solis ſplendore obſcuratur, ſicuti interdiu obſcurantur reliquæ ſtellæ, in quibus non deprehenditur defectus lucis, quia illuſtrationi Solis nec terra, nec aliquid aliud impedimento eſſe poteſt, & ideo omnino ſemper ab ipſo irradiantur: & ſi in Venere, & Mercurio aliquis diſceſſus lucis Solis contingit, non deprehenditur, & quia valde exiguus, & quia eorum natura lux vberior eſt, quàm Lunæ: in qua etiã, maxime in plenilunio, ſecũdũ partes aliquas lucis defectus ſeu macula deprehenditur, quia ſcilicet illius partes inæqualis ſunt dẽſitatis, & denſiores plus luminis reflectunt, minus autem rariores, cum faciliorem traiectum radiis ſolariis præbeant.

Nos igitur ad prædictam minorem fatemur, denſitatem, & propriam aſtrorum lucem accidentia eſſe, ac proinde non conſtituere diuerſitatem ſpecificam illorum inter ſe, & à propriis orbibus, nec illam effectuum diſſimilitudo cauſat, contendimus tamen eam diſtinctionem ſupponi, & ex his à poſteriori deduci, non quia lux, & denſitas vnius aſtri non ſit eiuſdem ſpeciei cum denſitate, & luce alterius, aut ipſius orbis, immo, & cum ſublunaribus, vt bene D. Thom. cum aliis, in 4. diſtinct. 44. quæſt. 2. artic. 4. nullum enim extat ſpecifici diſcriminis fundamẽtum, cum eiuſdem prorſus rationis in ſe formaliter omnia lumina appareant. Immo contrarium conuincitur ex eo, quod lumen reliquorum aſtrorum, & inferiorum etiam corporum intenditur à lumine Solis, quæ vero ſe intendunt, in eandem coeunt entitatem, & rationem, vt

per ſe

per ſe patet. Illam ergo diſtinctionem aſtrorum inter ſe, & cum orbibus colligimus ex eo, quod aſtra ſingula ex natura ſua ſpecialia exigunt accidentia, ſeu ſpecialem accidentium intenſionem, & modum, & ſpeciales effectus diuerſæ etiam ſpeciei, quæ illorum orbibus non conueniunt ex natura ſua, quod ſufficientiſſimum ſignum diſtinctionis eſt (etſi alia ſupradicta non extarent) præſertim in corporibus ſimplicibus, quale eſt cælum. Hoc enim ſolo fundamento diuerſitatis accidentium, aut intenſionis illorum naturalis, ab omnibus diſtinguuntur ſpecie elementa, licet aliter forte contingat, in partibus corporis mixti. Quod vero additur de diuerſis accidentibus, & effectibus aquæ, friuolum eſt, quia illa diuerſitas non prouenit aquæ à natura, & propria forma, ſed ab extrinſeco, ſecus quam in præſenti. Ex quibus conſtat: ad ſecundam partem ſecundæ opinionis. Ad fundamentum primæ reſpondetur, diuerſitatem illam ſituum eſſe ſignum diſtinctionis, præcipuam tamen eſſe à nobis aſſignatam, deſumptam ex accidentibus, & effectibus propriis.

QVÆSTIO II.

Vtrum calor à luce, vel motu ortum ducat.

AD enodandam mentem Ariſtotelis in hoc capite hanc difficultatem verſant illius interpretes hoc loco. Ex cuius ſolutione conſtabit ad argumentum pro priori ſententia factum quæſt. 3. prioris tractatus in caput 3. libri ſecundi. Et circa priorem quæſtionis partem, Durandus in 2. diſtin. 14. quæſt. 1. ſingulariter exiſtimauit, lucem ſua vi non poſſe calorem producere. Cuius placitum hoc modo firmari poteſt, quia

quia calor eſt prima qualitas, igitur ortum non ducit ab alia qualitate maxime cum non appareat, quomodo in virtute lucis contineatur; & alias omnia corpora lucida calefacerent, cuius oppoſitum conſtat in aliquibus aſtris, quibus virtus infrigidandi tribuitur, & in aliquibus corporibus ſublunaribus, vt Geminis, & ſimilibus.

Oppoſita tamen ſententia in ſchola recepta communi calculo Doctorum cum Ariſt. 1. Meteororum cap. 3. & ſæpe alibi, & D. Thoma hic, & aliis locis, & quotidianis experimentis euidenter ſuadetur. Nullus enim non eſt expertus, inferiora corpora Solis luce cæleſieri, & ideo illius acceſſu, & receſſu, æſtatem, & hyemem cõtingere. Reflexione item radiorum Solarium magis incaleſcit hæc infima aeris regio, & alia corpora opaca, quæ vt impediunt radiorum transiectionem, ſic eos ſupra ſeipſos retorquendo, occaſionem intenſioris caloris præbent, vſque adeo, vt aliquando ex radiorum coitu ignis euadat, quod tunc præſertim euenit, cum per lineas magis rectas radij retorquentur, magiſque vniuntur. Et eadem caloris productio in aliis luminoſis experimento conſtat, vt videre eſt in lumine iaculato à Luna. Propter quod Ariſtoteles 4. de partibus animalium, cap. 5. aſſeruit, noctes plenilunij tepidiores eſſe, eo quod Luna tunc vberiorem ex ſe lucem refundit. Et 4. de generatione cap. 2. dixit, ſicut Sol per annum acceſſu, & diſceſſu, æſtatem, hyememque facit, ita Luna per menſem incremento, & decremento luminis, inde ſcilicet intenſiori, & minus intẽſo calore producto. Quod equidẽ naturæ valde conſentaneum fuit vt præſtantiſſima qualitas primi corporis, hoc eſt cæli, vim haberet producendi qualitatem nobiliſſimam inter ſenſibiles corporibus alterabilibus propriam. Nullum enim eſt incon

inconueniens, quod prima qualitas corruptibilium corporum, à qua aliæ ſecundæ oriuntur, ab alia qualitate propria corporis perfectiſſimi, & incorruptibilis ortum ducat, & in eius virtute eminenter contineatur, & per hoc conſtat ad argumentum pro Durando factum. Ad illud vero, quod tanquam abſurdum infertur, fatemur ingenue, omnia, quæ lucẽ obtinent, habere, quantum ex ſe eſt, vim aliquid caloris imprimendi in ea corpora, ad quæ lumen tranſmittunt : verum id ſæpe non deprehenditur, aut præ ſua tenuitate, quia lumen etiam perexiguum eſt, aut quia ſimul per alias virtutes frigus, ſeu humorem in eiſdem corporibus producunt, vt de corporibus cæleſtibus aſſerit perſpicue D.Thom. hic lectio. 1. verſus finem, his verbis: *Dicendum eſt ergo, quod omnia corpora caleſtia ſecundum communem virtutem luminis habent calefacere, ſed ſecundum alias proprias virtutes ſingulis corporibus attributas, habent non ſolum calefacere, & infrigidare, ſed etiam omnes alios effectus corporales efficere in iſtis inferioribus.*

Maior difficultas eſt in ſecunda quæſtionis parte definiẽda, quamuis enim conſtitutum ſit, & ſenſu exploratum, corpora motu locali incaleſcere, huius tamen nodum enodare, & rationem reddere adeo eſt difficile, vt in duodecim ſententias Philoſophorum agmen diſtraxerit. Itaque rem ipſam tradit Academica ſchola cum Platone, in theæteto, peripatetica cum Ariſtotele hoc cap. 7. textu 42. 1. Metereorum, cap. 3. Sectione 5. problematum quæſt. 13. & Diuo Thoma, lectione 10. cum communi ſcholaſticorum aſſenſu, id quod quotidianis experimentis notum eſt. Videmus enim tritu duorum lapidum, & ferri, ac ſilicis conflictu, ignem elici. Item globos plumbeos è tormentis exploſos per aerem incaleſcere, & interdum

lique

liquefieri, ſagittas, molas farinarias, curruum axes, equorum ſoleas, & aerem celeri raptu percuſſum, calefieri, ſplendere & igniri. Denique ipſa aqua maris ſuapte natura frigida crebro ventorum flatu agitata intepeſcit, & animalium membra latione mota, calorem concipiunt. Si quando vero per motum localem frigus conciliamus. Id ex accidenti eueniet, aut quia calidi extrinſeci præſentiam, ſeu reflexionem radiorum hac via vitamus, aut quia aer ambiēs à nobis calefactus diſcutitur, alio frigidiori ſuccedenti, vt in reſpiratione v.g. aut denique, quia motione vapor calidus exhalatur & diſſipatur, & natiua frigiditas, aut ambientis corporis inualeſcit. Semper igitur ex ſe motus localis eſt aliquo modo cauſa caloris, licet formaliter non ſit calefactio cum formaliter tendat ad præſentiam, & inde ſpeciem ſumat; ac proinde ſpecie diſtinguuntur, ſicut termini ipſi calor, & præſentia. Quod conſtat ex Ariſtotele in Anteprædicamentis, & 5. Phyſicorum capite 1. & 2. & ex omnibus aliis ibidem, qui omnes ſtatuunt, lationem non eſſe per ſe cauſam caloris, quia vtpote entitas imperfectiſſima, nequit continere illum formaliter, aut eminenter in ſe, neque in proprio termino, qui etiam eſt entitas modalis imperfecta, & nullius rei efficienter actiua.

Circa rationem vero aſſignandam huius manifeſti experimenti, miſſis pluribus ſententiis, quæ longe ab ſcopo veritatis aberrant, & eas percurrere operoſum nimis, & inutile eſſet, prima earum, quæ magis ad veritatem accedunt, aſſerit, calorem motu editum oriri à calore virtuali, inhærente corporibus, quæ fricantur. Ita philoſophatur Durandus in 2. diſtinctione 15. quæſtione 3. cum aliis quibuſdam maximè è recentioribus. Verum hæc ſententia non eſt vniuer-

ſim vera. Quamuis enim aliqua ſublunaria corpora huiuſmodi calorem virtualem contineant, quæ motu quaſi excitata calefiant, in omnibus tamen corporibus ſub Lunæ orbe contentis, illum calorem conſtituere, fundamento rationis caret, immo rationi aduerſatur, cum aliqua ſint corpora ſolida, aquea, vel terrea, ac proinde eximie frigida, ex quorum attritu calor oritur. Oportebat etiam oſtendere, quomodo calor ille latens, & virtualis per lationem excitetur, vel augeatur, quod Durandus non explicat, & ideo quæſiti rationem non aſſequutus. Quam vt inueniat Thomas Garbius 2. libro ſuæ ſummæ, tractatu 2. quæſt. 6. in quolibet mixto partes diſſimiles agnoſcit, alias quidē ſubtiliores, & calidiores, igneas ſcilicet, & aereas, & alias vero magis denſas, ac frigidas, plus terræ, & aquæ retinentes. Hoc autem poſito exiſtimat, mutua corporum colliſione partes illas igneas, & aereas, à centro ad circunferentiā corporis euocari, & per diſtractionem, & rarefactionem quaſi diuelli à partibus frigidis, & ſic ipſas calidiores apparere, & ad alia corpora contigua calorem fundere. Sed nec hæc poſitio placere omnino poteſt, quia inſufficienter rem explicat, & falſa quædam aſſumit. Nam in primis nequit cum fundamento aſſignari in quibuſlibet mixtis, vt in cryſtallo, & ſimilibus, ea partium diſſimilitudo, quæ ad hoc ſufficiat. Libere enim omnino, & contra rationem ſupponitur, omnia mixta plus caloris habere in partibus abditioribus, quam in extimis. Et quidem Garbius videtur ſentire, formas elementorum actu latere in mixto contra Ariſtotelem, & communem ſententiam à nobis corroboratam in libris de generatione. Denique licet admitteremus in qualibet re mixta partes illas diſſimilares ab hac ſentētia excogitatas, &

ex

ex eis abditiores eſſe calidiores, nequit intelligi, qua ratione internæ partes ſolidorum corporum non viuentium (de fluidis namque, & viuentibus alia eſt ratio) exteriorum attritu, è centro ad circumferentiam euoluantur, cum aliis extimis continuæ ſint, & eas non poſſint penetrare; neque ſicut fluidæ propriam in corpore poſitionem cum aliis mutare: adhuc ergo ſupereſt, adæquatam huius effectus cauſam aſſignare.

Albertus Magnus 1. Meteororum tractatu 1. capite 15. & Zimara in ſuis Theorematibus propoſitione 45. eiuſdem rei cauſam inueſtigantes, eam reddidere, quia ſcilicet partes corporum, quæ colliduntur, rareſiunt, & media rarefactione excitatur calor, ad quem præuia diſpoſitio eſt raritas. Verum neque hi Doctores quæſiti cauſam attigerunt, non enim apparet qua ratione inducatur raritas per motum localem in corporibus ſolidis, nec minori hoc indiget explicatione, quàm id, quod inueſtigamus, & ſaltem non introducitur tanta raritas, quæ ad hoc ſufficiat cum ſenſu non deprehendatur in his corporibus ſtatim poſt colliſionem. Et ideo Patres Conimbricenſes in hoc cap. 7. quęſt. 6. artic. 2. cum aliis, quos ipſi citant, quibus ſententia Alberti arridet, addiderunt, per motum non ſolum raritatem induci in corporibus ſolidis ſe percutientibus, ſed etiam, & maximè, in aere intercepto, & alliſo, quam raritatem calor conſequitur. Sed tamen hoc modo, licet aſſignetur maior raritas, nondum oſtenditur ſufficiens cauſa illius, nedum caloris excitati per lationem, quam quærimus, quia adhuc difficile, & inexplicatum relinquitur, quæ nam ſit cauſa raritatis. Præterea, licet raritas aſſecla ſit caloris, tamen non ipſam calor, ſed calorem ipſa conſequitur iuxta communem ſenſum, vt pote

qualitas ſecunda ex permixtione caloris, & aliarum primarum qualitatum ortum ducens, quæ vt pote qualitas ſecunda ſpecie diſtincta à calore, ex eo longè imperfectior, nequit illum producere, nec formaliter, aut eminenter continere, vt conſtat ex Ariſt. 4. Phyſi. tex. 87. Etſi dicatur cum Patribus Conimb. non ſequi calorem ex raritate, vt ex cauſa, ſed vt ex comite: igitur adhuc eſt ſuperaſſignanda cauſa caloris, quæ tamen ab his non aſſignatur. Et vlterius calor non ſolum eſt comes raritatis, ſed illius cauſa, vel potius habens ſe ex parte cauſæ, vt diſpoſitio præuia, igitur non poteſt eſſe effectus raritas, aut comes præuius, alia ergo cauſa inueſtiganda ſupereſt.

Denique D. Thomas hoc loco lect. 10. aſſerit, ideo motum localem eam habere prærogatiuam, vt calorem efficiat, quia eſt omnium motuum primus & auctore Ariſt. 10. Metaphy. capit. 4. primum in vnoquoque genere eſt cauſa reliquorum. Hæc tamen Angelici Doctoris coniectura, ſeu congruentia veriſſima eſt, etſi Theorema illud Ariſtotelis, vt alibi diximus, intelligi debeat de primo in aliquo genere cauſalitatis, ſupereſt tamen explicandum, qua ratione id contingat, & ideo alia verba inferius ſubiunxit Diuus Thomas, quæ in veriori huius rei explicatione expendemus. In qua facilius ſane eſt, quid alij dixerint impugnare, & quæ non ſit adæquata ratio oſtendere, quàm proprium ſenſum, & perſpicuam huius rei rationem demonſtrare. Vt autem vtrumque, quantū fieri poteſt, delucide aſſequamur, aliquot ſunt concluſiones ſubiiciendæ.

Prima concluſio: motus localis in animalibus, peculiari ratione, eſt cauſa caloris, quatenus occaſione lationis, maior ſpirituum vitalium, & animalium copia, ad externas animantium partes aduentat. Id quod duplici

duplici de cauſa videtur contingere : primo, quia facultas motrix huiuſmodi ſpirituum miniſterio vtitur ad motionem exequendam, & ideo vberiorem ſpirituum copiam tunc temporis attrahit. Secundo mediante motu locali, animantium pori protrahuntur, & liberiorem ſpiritibus aditum relinquũt: ex quo fit, vt prolixiori motu animalia defatigentur, ob ſpirituum ſcilicet diſpendium. Cum igitur huiuſmodi ſpiritus calidiſſimi ſint, hinc prouenit, vt eorum interuentu partes animalis incaleſcant. Accedit, quod etiam ad has partes, dum mouentur, plus ſanguinis, & ſpirituum vitalium in ſe recepit, quæ vt in ſe multum caloris habent, in partes ſibi proximas tranſmittunt.

Secunda concluſio : ex mutua corporum ſublunarium colliſione, tanquam ex conditione, raritas ortum ducit. Hanc concluſionem ſupponunt communiter Doctores, vt vidimus, referentes varias ſententias, & probat experimentum ipſum. Conſtat enim corporum partes aëris præſertim, mutua attritione, nonnihil inter ſe diſtrahi, & maius occupare locum, quod aliter, quàm per rarefactionem contingere nequit, cum id eueniat ſine additione quantitatis : id quod ex ſequenti aſſertione amplius intelligetur, & roborabitur : Dixi, tanquam ex conditione, quia ſicut non poteſt latio eſſe cauſa, ſeu cauſatio propria caloris, ſic neque raritatis, cum per ſe ſolum tendat ad vbi, tanquam ad proprium terminum qui ſpecie, vel genere à raritate diſſidet. Quia igitur motu locali varie agitantur partes mobilis, & maxime corporis medij, ratione cuius agitationis diuerſimode diſponuntur in ordine ad primas qualitates, ex quibus raritas pullulat, hinc fit, vt medio motu locali, tanquam conditione conſurgat raritas : ex quo fit,

priorem eſſe productionem caloris, quàm raritatis, vt diximus, tantum abeſt, vt raritas ſit cauſa, aut præuia conditio ad effectionem caloris.

Tertia concluſio: motus localis dicitur cauſa caloris, eo quod medio motu partes minus calidæ, & ſiccæ diſtrahuntur, relictis calidioribus, & ſicciori-bus, in quibus proinde intenſior calor deprehenditur, & producitur & per quas in corpus contiguum tranſmittitur. Quæ concluſio prius explicanda eſt, deinde probanda. Pro cuius elucidatione in memoriam reuocandum eſt id, quod 2. libro de generatione, diximus aërem elementarem eſſe calidum, fere in ſummo gradu, & valde rarum, quamuis continua vaporum, exhalationumque terreſtrium permixtione, frigiditatis & denſitatis multum imbibat. Præterea, cùm ex occurſu duorum corporum calor, ſeu ignis conſurgit, aër intercipitur, & attenuatur, quod verum eſt, ſiue corpora ſint diſtincta ab aëre, ſiue ſint partes eiuſdem aëris ſolidiores, quæ mediis tenuioribus ſe per motum offendunt. In corporibus item ſolidis communiter ſunt duo genera partium, aliæ craſſiores, in quibus viget frigiditas terrea, aliæ minus craſſæ, & magis diſſecatæ, in quibus calor, & ſiccitas, illius aſſecla pollent. Licet hoc non eodem modo in omnibus corporibus mixtis reperiatur, & ideo aliqua corpora dicuntur terrea, vel aquea, alia ignea, vel aërea: non quia in illis elementorum formæ maneant, vt aliqui decepti putarunt; ſed quia alicuius elementi qualitates propriæ in aliquibus mixtis, aut in quibuſdam eorum partibus magis relucent, in aliis vero proprietates elementi alterius.

His igitur prælibatis noſtra cõcluſio probatur hac ratione: motus localis eſt cauſa caloris; at hoc non poteſt

poteſt haberi vllo ex his modis, quo id explicant relate ſententiæ, bene tamen in ſenſu noſtræ concluſionis: igitur iuxta illam ſolum verum habere poteſt propoſitio illa ab omnibus recepta. Minor quo ad priorem partem liquido conſtat, ex refutatione aliorum modorum explicandi prædictum axioma. Quoad poſteriorem vero probatur primo, quia nulla alia probabilis via ſupereſt, hoc explicandi, deinde roboratur, ex ipſa rei natura, quia quoties duo corpora ſolida ſibi inuicem occurrunt media latione, quo magis approximantur, magis atteritur aër interceptus (in hoc enim contingit, motum eſſe cauſam caloris, vel in hoc maxime) hoc eſt, magis ſegregantur, & expelluntur partes illius craſſiores, & aduentitiæ, terreæ ſcilicet, & aqueæ, & peregrinæ impreſſiones, quæ omnes vt pote magis denſæ, magis impediunt occurſum illorum corporum, & fortius ab illis impelluntur, & detrudūtur, relictis interim prioribus & deſecatioribus partibus aëris, ſed in his partibus aeris viget calor prope ſummus, natura ſua, & ſi aliquid caloris ab extrinſecis impreſſionibus ſublatum fuerit, illis remotis in ſtatum priſtinum à propria forma per naturalem emanationem ſe reducunt: igitur ablatis impedimentis, intenſe percipietur calor in his partibus purioribus; ac in corporibus ipſis localiter motis ſimilis calor in paulo minori intenſione ab aere producetur, & idem eſt de ſiccitate calori congenea, & aſſecla raritate: quibus mediis accedente contriorum remotione forma ignis nonnunquam introducitur in ipſa præſertim materia aeris, qui frequenti exhalationum ſiccarum appulſu, & commixtione, ab ingenita ſumma humiditate, qua igni poſſet reſiſtere, detruditur, & ſic in flammam non-

nunquam conuertitur, quæ frequentius verus ignis non eſt, ſed particulæ aeris nimis raræ & ſiccæ. Quæ quaſi ſegregatio, & euolutio partium optime poteſt in aere contingere, cum fluidus ſit fluxui, & refluxui obnoxius, cuius aliquæ partes præſertim extraneis infectæ, habitibus facile reſiliant, & à corporibus ſolidis diſcedunt. In aliis autem corporibus non ita facile id euenit, vt cuique videre eſt: contingit autem facilius caloris immo & flammæ generatio ex perſecutione aliquorũ corporum, vt chalybis, & ſilicis v. g. quia ea aptiora ſunt ob ingenitam duritiem, & angulorum diſtinctionem, ad prædictam aeris perſecutionem, & attritionem, ſeu attenuationem in puriores, & minores partes. Accedit, quod aliquando ipſa corpora non parum caloris habent in partibus minus craſſis, licet immixtum cum nimia denſitate, & frigiditate in partibus craſſioribus: attritu autem alterius corporis hæ partes hebetiores ex parte diuiduntur, cum in illas vt quæ magis illi contrariantur, fortius agat corpus durũ, occurrens, manentibus aliis, quę & in ſe ſunt calidiores, & ad calorem ſuſcipiendum magis aptæ; quæ diſtractio, & diuiſio partium laxiori, & in propria ſignificatione videtur appellari nonnunquam à Doctoribus raritas, ſeu rarefactio. In quo ſenſu poſſunt benigne interpretari aliqui ex Doctoribus relatis ſupra, & hanc viam exponendi commune illud axioma manifeſte videntur ingreſſi Ariſtoteles, & Diuus Thomas, ille in hoc capit. 7. illis verbis: *Caliditas ab ipſis (id eſt, Stellis) lumenque adeo fit, quia aer ab illarum motione fricatur, ſeu attrito aëre ab eorum latione.* Diuus vero Thomas ibidem dicit, hoc contingere per contritionem, compreſſionem, ſiue confricationem aeris, non ita

vt

vt calefactio ſagittarum v. g. ſit cauſa calefactionis aeris,ſed è contrario,vt Alexander expoſuit Ariſtotelem,cuius rationem reddit ſanctus Doctor, quia ſcilicet aer eſt propinquior naturæ ignis: igitur ex eo apertè putant motum eſſe cauſam caloris in aere, quia per illum magis relinquitur aer ſuæ naturæ viciniori igni, quod non poteſt aliter euenire, niſi modo à nobis explicato,& ſatis indicato à D.Thoma & Ariſtotele. Et quod non proueniat calor ex præcedenti aliqua raritate tradit ſanctus Thomas eadem lectione his verbis: *Alteratio autem ſecundum omnes alias qualitates cauſatur ex alteratione primarum quatuor qualitatum,inter quas duæ actiuæ ſcilicet,calidum,& frigidum,ſunt priores.* Motus igitur localis eſt cauſa caloris vniuerſaliter,per accidens,& vt applicans cauſam per ſe, quoties per ipsũ partes aeris medij attenuantur,& magis ab extraneis,& craſſioribus purgantur intimius applicatis, vt explicuimus, & medio calore in cauſa eſt raritatis: in animalibus vero alia præterea eſt via concipiendi calorem, vt explicuimus;& hanc rationem explicandi communẽ doctrinã de calore orto ex motu locali ſubodorati ſunt aliqui Doctores ex relatis,etſi nullus id,quod mẽte cõcepit,plane expreſſerit.

CAPVT VIII.

Textus Ariſtotelis.

Cum autem & ſtellæ transferre videantur,& totum cælum,&c.

Breuis expoſitio textus.

IN hoc capite agitat Ariſtoteles alteram quæſtionem ad ſtellas pertinentem,& ſtatuit, eas non mo-

ueri per ſe,ſed motu ſuorum orbium circumuehi , id quod tribus rationibus concludit. Et hæc eſt totius capitis ſumma. Prima ratio eſt , ſtellæ,& cælum circumuoluuntur perpetua conuerſione,ſed hoc nequit contingere,ſtella , & orbe quieſcentibus , cum id aduerſetur manifeſtæ experientiæ ; neque vtroque motum ſubeunte,quia alias ſtella , æqua velocitate moueretur cum orbe cui coniuncta eſt,quod probat eſſe abſurdum,quia in naturalibus,quo vnumquodque maius eſt,eo velocius motu proprio mouetur , vt in pergrandi ſaxo comparatione lapilli conſtat. Deinde hæc æqualitas nequit prouenire neceſſitate naturæ, quia ſi ſtella minoris orbis in maiori ponatur , velocior erit,& è contrario:neque euenire poteſt fortuito,quia ſic non in omnibus circulis eodem modo ſe res haberet,& quæ caſu eueniunt , ſunt præter naturæ ordinem.Neque denique rationi congruit, vt orbes quieſcant , & moueantur ſtellæ , quod ex eiſdem abſurdis probat , & quia cælum diſſecarent : conſequens ergo fit,ſtellas non cieri proprio motu , ſed infixas ſuis orbibus ab eis circunduci.

Secunda ratio ſic procedit ; ſi ſtellæ proprio motu cierentur,cum ſint rotundæ,& globoſæ figuræ,vt aſpectu ipſo apparet,& omnes concedunt,aut is motus eſſet conuerſio,hoc eſt,in eadem parte, in eodemque loco;ſeu volutatio , id eſt , in orbem cum mutatione ſitus totius mobilis , & alternata facie , at neuter eſt, quia per conuerſionem nunquam alio transferentur contra experientiam , per volutationem non ſemper eadem facies appareret,cum tamen aliter contingat. Quæ ratio ſolum contendit,non moueri ſtellas orbibus totalibus immotis,non tamen obſtat, quominus in ſuis epicyclis motu diſtincto à totali orbe deferantur.Deniq; nō mouentur aſtra motu progreſſiuo,

cum

cum eis ad eum motum organa neceſſaria non tribuerit natura, cum tamen in neceſſariis non deficiat, & ad eundem inutilis ſit figura globoſa, qua præditæ ſunt ſtellæ. Supereſt ergo, vt ſtellæ ſuo orbi ſint continuæ, & motu illius ferantur.

CAPVT IX.

Textus Ariſtotelis.

Ex his autem patet id, quod dictum eſt à quibuſdam, &c.

Breuis expoſitio textus.

OStendit Ariſtoteles in hoc capite aſtrorum latione concentum aliquem non effici. Diuiditur caput in duas partes: in priori Pythagoreorum dogma cum ſuis fundamentis refert: in poſteriori illud confutat. Placuit itaque Pythagoreis aſtrorum motu ſonum temperatum, & concentum quendam effici; quia apud nos is ſonus euenit ex corporibus motis, & eò maior, quò plura ſunt corpora grandiora, & celerius mota: igitur id eueniet in orbibus cæleſtibus, licèt huiuſmodi concentus à nobis non percipiatur, ob aſſuetudinem, illi enim ab ipſo ortu aſſuefacti ſumus: ſicuti accidit artificibus æris ſonum malleorum non diſtinguentibus. Verum inquit Ariſtoteles, hoc concinnè & muſicè dictum eſt, non tamen verè & Philoſophicè, quia præterquam quod abſurdum eſt aſſerere, non eiuſmodi ſonum non percepturos, non poſſet non hæc inferiora vehementer lædere; ſiquidem minor ſonus tonitrui nō ſolum animantia, ſed & duriſſima ſaxa interdum frangit. Secundo id ipſum coarguit,

[illegible] non moue- [illegible] [illegible] ergo [illegible], ſi autem, vel [illegible] Ad naturæ tamen prouidentiam ſpectat, ne detur talis ſtrepitus, qui non poſſit non omnia apud nos turbare.

CAPVT X.

Textus Ariſtotelis.

De ordine vero ipſarum, quomodo quæque diſpoſita eſt, &c.

Breuis expoſitio textus.

Acturus Ariſtoteles de ſtellarum, planetarum præſertim, ordine, ſitu, & diſtantia, ad Aſtrologos horum conſiderationem remittit, quorum partes ſunt, non Philoſophi, magnitudines, portiones & diſtantiam ſcrutari. Subiungit breuiter id, quod ad Philoſophum ſpectat, ſcilicet, quanto Planeta altior eſt, & primæ ſphæræ propinquior, tanto proprium ipſius motum tardiorem eſſe, minus verò, quo magis diſtat, inuerſo tamen ordine contingit in motu, quo à prima ſphæra rapiuntur.

* * *

CAPVT

CAPVT XI.

Textus Ariſtotelis.

At, qui figuram vniuſcuiuſque ſtellarum rotundam,&c.

Breuis expoſitio textus.

INtendit Ariſtoteles hoc capite probare, ſingulorum ſyderum figuram eſſe rotundam, id quod ex dictis ſatis liquebat, cum eadem ſyderum, & ſphærarum ſit natura, ac proinde eadem affectio, & figura. Id vero probatur duplici ratione. Prima, natura nihil fruſtra facit; igitur cum ſtellæ haud aptæ ſint moueri per ſe, eam illis figuram tribuit, quæ minus apta ſit ad motum progreſſiuum, hæc autem eſt rotunda cum nulla organa admittat, in quo non committit circulum vitioſum Ariſtotelis, quia vt aduertit Diuus Thomas hic, antea non probauit Ariſtoteles, ſtellas non moueri præciſe, ex eo, quod habeant rotundam figuram, ſed aliis etiam rationibus. Secunda ratio: eadem eſt figuræ ratio in Luna, & in reliquis aſtris, atqui Luna eſt rotunda, quia cum creſcit, & decreſcit arcus ſimilitudinem refert, & cum Sol Lunæ interpoſitione obſcuratur, concauus apparet, igitur omnia aſtra rotunda ſunt.

* * *

CAPVT XII.

Textus Ariſtotelis.

Cum autem duæ ſint dubitationes, de quibus quiuis, &c.

Expoſitio textus.

IN præſenti capite duas proponit Ariſtoteles quæſtiones diſcutiendas, quod in duas præcipuas partes diuiditur. In priori temeritatis, & arrogantiæ deprecata ſuſpicione proponit dubitationes, difficileſque reddit, in poſteriori eaſdem diſſoluit. Ad primam igitur accedendo partem, quærit Ariſtoteles, quare errantes ſtellæ non eo pluribus motibus cientur, quo magis à primo orbe diſtant, cum hoc videatur rationi conſonum, vt cum prima ſphæra vna tantum motione feratur, proxima inferior rapiatur duplici motu, & alia triplici, ac ita reliquæ deinceps: & non potius aliqui inferiores orbes paucioribus agitentur motionibus, quàm ſuperiores nonnulli, vt Sol v. g. tribus tantum motibus fertur, & tamen alij ſitu ſuperiores planetæ quatuor cientur motibus. Deinde rurſus quæritat philoſophus, cur ſupremo orbi tam inſignis, & à nobis incomprehenſibilis aſtrorum multitudo inſideat, inferiorum vero ſingulis ſingula tantum, non ſeruata in hoc proportione debita, in ſecunda parte capitis, quæſtionibus iam ſatisfacit, & prius priori, cuius reſponſio, multis obſcurè ſatis prælibatis ſic breuiter formari poteſt. Corpora cæleſtia, vt pote vniuerſales rerum omnium cauſæ, in eum finem agitantur, vt ſublunaris mundi effectus in lucem edant, & tueantur: igitur ex hoc fine & non ex ſitus ordine, plures

plures,pauciores ve motus ſortiri debent:ac proinde loci dignitate non obſtante vnuſquiſque globus iis motibus exigit circumagi, quos influendi efflagitat ratio,qui pro ſingulis ſphæris ab aſtronomis numerantur. Poſterioris quæſiti triplicem ratione aſſignat Ariſtoteles:prima deſumitur ab excellentia primi orbis proueniente à perfectiori intelligentia motrice,& à cauſalitate in inferiora vniuerſaliori; ſecunda eſt, quia voluit natura ſtellarum multitudine compenſare motuum multiplicitatem,quam inferioribus ſphęris præ omnium prima contulit.Tertia denique,quia ſi in orbibus inferioribus eſſent plures ſtellæ, non eſſet proportionata virtus, & impulſus primi motoris communi lege primo mobili impreſſus,pro tam perfectis orbibus ſecum rapiendis.

QVÆSTIO I.

Quomodo aſtra moueantur.

EX iis,quæ Ariſtoteles, his quinque proximis capitibus tractat,aliqua adeo perſpicua ſunt, vt altiori diſcuſſione non indigeant:alia ex ſuperius dictis liquido conſtat,non pauca ad Aſtronomos ſpectant, ipſo Ariſtotele teſtante. Reliqua autem vnica hac quæſtione quantum ſatis fuerit,perſtringemus, prius examinantes,an ſtellæ moueantur,deinde de iis,quæ motui aſtrorum accidunt,diſſeremus.

Et circa priorem partem, non defuerunt, qui exiſtimauerint, omnia aſtra in orbem peragi immoto cælo. Conſtat enim vel ipſis oculis aſtra moueri, ſecus de orbe ipſo, quod contingere poteſt, ſicut immota aqua euenit motus piſcium in mari. Dicendum tamen eſt primo,orbes cæleſtes ſimul cum aſtris moueri

ueri. Hic eſt communis ſenſus Doctorum vtriuſque ſcholæ, Philoſophicæ, & Aſtronomicæ, & ideo nullum in ſpeciali referre oportet. Cuius aſſerti efficaciſſimum fundamentum eſt, quia ſi ſtellæ immoto orbe illum per lationem peragrarent plane ſequeretur, cælum eſſe corruptioni obnoxium aduerſus ſupra dicta ex communi ſenſu: ergo non ita contingit. Illuſtratur ſequela, quia ſtellæ nequeunt orbem permeare per penetrationem, cum vtrumque ſit corpus quantum, cuius naturalis affectio eſt impenetrabilitas: igitur facta ipſius orbis diuiſione, & deſecatione, vt infert Ariſtoteles, cap. 8. quæ plane incorruptibilitati repugnat, cui non minus aduerſatur, nunc orbem cæleſtem rareſcere, nunc denſari: vtrumque enim in ſola corpora corruptioni obnoxia conuenit, & quantumuis rarefiat, non poteſt aſtro aditus, ſeu tranſitus patere, ſine penetratione, aut ſciſſione partium, vt per ſe conſtat. At confinget non nemo, in cælo quoſdam quaſi canales, quibus illabantur aſtra. Verum hoc figmentum facilè falſitatis conuincitur, nam & ſine vllo fundamento hanc cæli peregrinam conſtructionem mente architectaretur, cum altiori alia cælum conſtet, & contra rationem: nam vel canales illi eſſent oppleti aliquo corpore, vel ſecus: ſi hoc detur, dabitur & vacuum naturaliter contra naturæ ordinem, & communem ſenſum: ſi aliud; aut illud corpus eſſet ſublunaris naturæ, aut cæleſtis, non primum, quia iam eſſet in cælo corruptibile aliquid, & violentum, quod proinde nō poſſet ibi perpetuo conſeruari, ſpatium relinqueret: non poſterius, quia cum illud corpus eſſet eiuſdem naturæ cæleſtis, cum orbibus, qui ſolidi ſunt, vt ſupra probauimus, ſolidæ etiam naturæ erit, ac proinde inutile ad ſpatium per fluxum replendum. Accedit, quod cum aſtra non ſemper eadem

dem incedant via, ſed diuerſa valde, vt aſtrologi admonent, totum orbem infinitis pene riuulis intercidi neceſſe foret, quod ſoliditatem, ac per conſequēs incorruptibilitatem cæli de medio tollit. Ex quibus fundamentum partis oppoſitæ ſolo manet æquatum.

Dicendum eſt ſecundo, aſtra firmamenti non alio, quàm motu proprij orbis moueri, & idem eſt de planetis, reſpectu orbium partialium, quibus inſident. Hoc aſſertum quoad primam partem probauit Ariſtoteles ex inſtituto capite 8. præcedenti. Et confirmant Aſtronomi ex eo, quod ſtellæ firmamenti eundem omnino inter ſe ſeruant ſitum, quod certe non contingeret, ſi propriis motibus agitarentur, & non eſſent orbi infixæ, vt nodi tabulæ. Et certe huius rei argumentum efficaciſſimum eſt, quod nullum extet priuati motus fundamentum, ſiquidem nihil in ſtellis apparet, quod in motum propriæ ſphæræ reduci non poſſet, aut etiam in conditionem, ſeu diuerſitatem medij, per quod viſuntur, quæ etiam probant de motu errantium ſyderum, relato ad peculiares orbes eà differentes, qui ecentrici nuncupantur, vt conſideranti patebit. Nec vllum eſt argumentum diſtinctionis motuum, cum eo præciſe hæ ſphærulæ ecentricæ diſtinctæ conſtituantur, vt diuerſæ, aſpectus planetarum, & diſtantiæ inter ſe, & à terra, cum motu ſuorum orbium ſtare poſſint: (loquor de motibus circularibus planetarum, an vero eorum aliqui vlterius cieantur cum ſuo epicylo, Aſtronomis diſcutiendum relinquimus) Hoc tamen diſcriminis verſatur, inter aſtra firmamenti, & errantia ſydera, quod illa eodem, quo totalis orbis circumaguntur motu. Planetæ vero, licet latione partialis ſphæræ circumferantur, diuerſa tamen à latione orbis totalis: propter quam nunc ma-

Digitized by Google

gis,nunc minus à fixis ſtellis,& terra diſtant,& errantia nuncupantur.

Hic tamen animaduertendum eſt, cum Ariſtoteles capite 8. citato, etſi vnquam alibi aſſeruit, ſtellas eſſe orbibus propriis continuas, non loqui de continuitate ſtrictè ſumpta, quæ repetitur inter ea, quorum vltima ſunt vnum, ſed laxe pro coniunctione, & ſimultate inſeparabilii, etiam ſine vnione. Colligit enim illam ex eo, quod non mouentur ſtellæ motu diſtincto à ſuis orbibus, ad quod proculdubio ſufficit inſeparabilis coniunctio ſine vnione propria, nec alia inde infertur, & ſupra probauimus omnia aſtra à ſuis ſphæris diſtingui ſpecie, ac proinde non continuari.

Ex dictis conſtat Pythagoræ, & ipſius auditorum dogma,de ſono, ſeu concentu aſtrorum, figmentum eſſe, & vt ait Baſilius homilia 1. Hexameron, impoſturam, veteratoriam, & ruinoſa carie perflaccidam: nam præterquam quod incredibile prorſus eſt, tam aerem aſtrorum ſonum à nobis non audiri, vt argumentatur Ariſtoteles, cap. 9. corpus,quod non per ſe, ſed omnino infixum alteri mouetur, qualiter aſtra moueri probauimus, implicat edere ſonum, vt ipſe proſequitur Ariſtoteles, cuius doctrina veriſſima eſt, non ſolum de motu aſtrorum, ſed etiam ipſorum orbium,quæ præter primam rationem probatur à priori, quia vt ex Ariſtotele diximus, 2. de anima in caput 8. quæſtione 2. productio ſoni exigit tria corpora realiter diſtincta, & ſi non ſemper diſcontinua, quorum duo ſe percutiant, reſiliente altero, fit enim tantummodo ſonus vel violenta percuſſione, vel diuiſione violenta, vt omnes fatentur, & inter cæleſtes ſphæras, non eſt tertium corpus, quod reſiliat, Nec contingere poteſt diuiſio, ſeu percuſſio violenta,

ta, cum inter ſe ſint omnino contiguæ, leues, & bene cohærentes:igitur fictitius omnino eſt huiuſmodi concentus cæleſtis, licet alium concentum cælo non inficiemur. De quo Iob capite 38. dixit: *Concentum cæli, quis dormire faciet?* hoc eſt, vt Hieronymus ibi interpretatur, harmoniam, & pulchritudinem cælorum, qua Angeli, homineſque inuitantur,& alliciuntur ad Dei factoris laudem, nemo obſcurare,impedireve poteſt, qui concentus nuncupatur à Boëtio,lib. 1.muſicæ capite 3. muſica mundana, quæ ſcilicet, in nexu,conſenſu,ordine,ac proportione rerum inter ſe ſita eſt.

Circa poſteriorem quæſiti partem plura tradunt aſtrologi, quorum hæc proueniat, nonnihil tamen, pro vt inſtituti noſtri ratio poſtulat, quàm maxima breuitate ex ipſis trademus. Et primo perſpicue oſtẽdunt, primum mobile ſuam explere circuitionem ab ortu ad occaſum ſpatio vigintiquatuor horarum,quo motu incredibilis celeritatis ſecum rapit omnes inferiores globos,etſi non pari celeritate cum ipſo,& inter ſe. Saturnus vero (& quod de planetis dicimus, de ſuis differentibus ſphæris dictum puta) proprium perficit motum ab occaſu in ortum retrocedendo eo modo, quo ſupra explicuimus,annis fere triginta.Iupiter item annis fere duodecim.Mars annis fere duobus, Sol diebus tercentis ſexaginta quinque, horis quinque,minutis circiter quadraginta nouem, quod ſpatium annus ſolaris nuncupatur:Venus, & Mercurius eodem fere tempore, quo Sol ſuum circulum peragunt. Luna denique ſuum conficit motum diebus viginti ſeptem, horis fere octo. Vbi animaduertendum duxi prædictum cæleſtium orbium ordinem, & ſitum, manifeſtis Aſtrologorum obſeruationibus ratum eſſe,ita vt in dubium vocari nequeat:quamuis

Ariſtoteles, vt ex capite 12.liquet, Solem & Lunam infimo planetarum loco collocauerit,ſicuti alia etiam nonnulla eodem capite aſſeruntur ab Ariſtotele, quæ longa Aſtrologorum obſeruatione aliter ſe habere reperta ſunt. Præterea,ex ſententia Ariſtotelis, vt vidimus, capite 10. quo propinquiores ſunt orbes planetarum primo mobili, eo velocius diurno motu rapiuntur, propriam vero circuitionem tardiorem habent,quod iuxta nuper dicta accipiendum eſt, vt verum habeat. Cuius ratioñe reddit D. Thomas hic lectione 15. quia ſcilicet motus ab Oriente in Occidentem eſt cauſa ſempiternæ durationis rerum, & ideo perfectius competere debet cæleſtibus ſphæris, quo magis accedunt ad ſubſtantias ſpirituales compotes immortalitatis:alius vero motus receſſus ab occaſu in ortum generationis,& corruptionis patens eſt, teſte Ariſtotel.libr.2. de ortu, & interitu, cap.10. tex. 56.& ideo naturæ rerum conſonat, vt velocior reperiatur in eis ſphæris,quæ ad res corruptioni obnoxias magis approximantur. Et de inæqualitate motus rapti confirmari poteſt,quia cum inferiores ſphęræ à prima diurno motu rapiantur, mirum non eſt, quinimmo valde congruum, vt minus magis diſtantes impellat:minus,inquam, quo ad conſummationẽ circulationis,ſpatio vigintiquatuor horarũ,non quoad agitationem partium; nam cum ſuperiores vaſtioris molis ſint,longe maius ſpatium eodem tempore percurrunt. De inæqualitate etiam motus proprij ea poteſt eſſe congruens ratio,quia cum ſphæræ, quo inferiores ſunt ſitu,eo ſunt minoris magnitudinis,facilius poſſunt æquali impetu velocius agitari, quam maiores infra primum mobile, de hoc enim alia eſt ratio, propter conſtantem, & ratam diurnam aſtrorum reuolutionem.

De numero vero ſtellarum incurrentium non fuit eadem ſententia. Alij enim plures, & pene innumerabiles, alij pauciores agnouerunt. Aſtrologi tamen noſtri temporis pugnaciſſimè tradunt, & ſe perſpicue obſeruaſſe teſtantur in firmamento duas de viginti ſupra mille dumtaxat ſtellas, quod verum ego exiſtimo, ſi intelligatur, vt illorum aliqui intelligunt, de ſtellis, quæ facile, & quouis anni tempore notari poſſunt: de aliis enim, quæ haud facile deſignari queunt, vere docét cum aliis Patres Conimbricenſes 2. de cælo cap. 12. quæſt. 1. art. 1. muto plures inueniri. Dixit enim Ariſtot. hoc capit. 12. eſſe penè innumerabiles, quod de numero illo ſtellarum ab aſtronomis aſſignato verificari non poteſt, & libro 1. Meteororum cap. 8. aſſerit, aliqua eſſe aſtra, quæ certo ſitu deprehendi non poſſint. Et idem tradit Auguſtinus 16. de Ciuitate Dei, cap. 23. hiſce verbis: *Quanto quiſque acutius ſtellas intuetur, tanto plures videt: Vnde & acerrime cernentibus aliquas occultas eſſe merito æſtimatur, exceptis iis ſyderibus, quæ in alia parte orbis à nobis remotiſſima, oriri, & occidere prohibentur.* Deniq; vrgentius ex ſacris litteris inferri videtur innumerabilis ſtellarũ multitudo. Geneſ. 15. dixit Deus Abrahamo: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes.* Et capite 22. *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, & velut arenã, quæ eſt in littore maris,* & Pſalmo 146. tanquam ingens Dei præconium, & ſpecialis excellentia dicitur, *qui numerat multitudinem ſtellarum:* Quæ quidem omnia maiorem proculdubio aſtrorum numerum conuincunt. Et aſtronomorum in hac re autoritatem exhibent contemnendam, vt teſtatur Auguſtinus ſtatim poſt verba ſupra relata hac ratione: *Poſtremo quicumque vniuerſum ſtellarum numerum comprehendiſſe, & conſcripſiſſe iactantur, ſicut Aratus, vel Eudoxus, vel ſiqui*

alij ſunt,eos libri huius,id eſt Geneſeos,contemnit auctoritas. Quæ Auguſt.verba refert,& approbat S.Tho.in cap. 15.Geneſis,ſi eius eſt illud opus.Aſtronomi auté ſtellas firmamenti à ſe perſpectas diuidunt in quadraginta octo conſtellationes, ſeu imagines, vt ſic facilius ſtellæ per partes diſtinctæ poſſint deſignari,in quibus præcipua ſunt duodecim ſigna cæleſtia ſplendentia in Zodiaco:eſt vero conſtellatio certus ſtellarum numerus, effigiem animalis, alteriusve rei repræſentans,de quibus imaginibus quã plura Aſtronomi,& iudiciarij ſicut de ſtellarum magnitudine plura plures pronunciauerunt:quas in ſex ordines magnitudine diſcretos artificioſa notatione diſtinxere, quæ omnia libenter omitto,ne Philoſophiæ cancellos tranſgrediamur.

CAPVT XIII.

Textus Ariſtotelis.

Reſtat autem de terra dicere, vbinam iaceat, &c.

Breuis expoſitio textus.

DIſputat Ariſtoteles in hoc capite, & ſequenti de elemento terræ varias Philoſophorum ſententias, de terræ ſitu, quiete, & figura in præſenti commemorans, & explodens, vt in alio propriam de hac re ferat ſententiam,& corroboret.Præſens vero caput in tres diuiditur partes,in quarum prima poponit varia auctorum placita circa ſitum terræ, & quid momenti habeant,expendit.In ſecunda, quid alij ſenſerint de figura terræ proponit,& diſcutit.In tertia denique circa motum, & quietem terræ id ipſum præſtat,examinans præſertim plures rationes,quæ ab aliis afferuntur ad quietem terræ ſtabiliendam. Ad primam

mam igitur accedens partem, prima opinio fuit, inquit Ariſtoteles, conſtituentium mundum finitum, qui terram in medio illius collocarunt. Hi fuerunt Anaximander, Anaxagoras, Democritus, Empedocles, & Plato. Quod aſſerere non potuerunt infiniti molis aſſertores, cum infiniti medium non ſit. Secunda opinio fuit Pythagoreorum, exiſtimantium, ignem in medio mundi ſitum eſſe, vt pote perfectiorem, cui proinde perfectior locus, qualis eſt medius, & aptior ad conſeruationem, debetur. Terram vero dicebant circa medium mundi in gyrum moueri, cui aliam oppoſitam terram circa hanc in orbem motam adiungebant. Fundamento vero relatæ ſententiæ reſpondet Ariſtoteles, non ſemper medium magnitudinis eſſe perfectius, licet medium naturæ, id eſt, in quo conſeruatrix virtus totius continetur, perfectius ſit.

Quoad ſecundam partem capitis, quidam ex antiquis arbitrati ſunt terram eſſe globoſæ figuræ; alij latę potius, quaſi tympani, ex eo, quod Sol, quando oritur, aut occidit, ſecundum rectam lineam ſecatur à terra: ſi vero terra globoſa eſſet, ſecaretur proculdubio ſectione circulari, vt conſtat in Solis Ecclypſi. Cui reſpondet Ariſtoteles, hoc ita apparere ob nimiam diſtantiam licet aliter eueniat. Secundo, ipſum confirmant, quia lata figura maximè idonea eſt ad quietem, quæ terræ conuenit: ſphærica vero ad motum, quæ etiam ratio ex dicendis corruit.

Tandem circa tertiam partem prima ſententia eſt iam relata Pythagoreorum, qui ex prædicto terræ motu exiſtimabant, prouenire, vt plures ſint Lunæ Ecclypſes, quàm Solis, neque huic poſitioni obſtare aiunt, quo Orizon videatur ſecare ſemper cæleſtem ſphæram in duas partes æquales, hoc enim

viſus deceptione euenit. Verum licet huiuſmodi deceptio contingere poſſit, ſi terra parum diſtaret à medio, ſecus tamen ſi ab eo longo ſpatio ſeiuncta ſit, vt Pythagorei conſtituunt. Aliorum extitit ſententia conſtituentium terram in medio vniuerſi, ita tamen, vt in eodem ſemper circumuoluatur. Alij complures in id conſpirarunt, vt terræ quietem concederent, diuerſis ducti rationibus. Xenophanes cauſam quietis terræ eſſe dixit, infinitam eius profunditatem, radicibus in inferius ſpatium immenſum diffuſſis; quam ſententiam deriſit Empedocles. Thales Mileſius fertur ſenſiſſe, terram quieſcere, quia ab aqua ſuſtinetur, ſicut lignum aquæ innatans. Quæ ſententia confutatur primo, quia aqua eleuata deſcendit ſicut terra: ergo oportet, aſſignari aliud, quod aquam ſuſtineat, deinde grauiora naturaliter ſubſident leuioribus, terra vero grauior eſt quàm aqua. Tertio eadem eſt natura totius, ac partis: terræ autem pars, vt experimento conſtat, ſubſidet aquis: ergo & tota. Alij referente Anaximene, quietem terrę in eius latitudinem contulerunt, propter quam nequit aerem ſubiectum diſſecare, ſed eum premit, qui loco fugæ non reperto, impoſitam terram ſuſtinet. Quod refutat Ariſtoteles, primo, quia ſupponitur terra figuræ non rotundæ: item quia prædictæ ſuſtentationis non tam videtur cauſa latitudo terræ, quam magnitudo, quod idem eueniret, ſi terra eſſet globoſa: tertio, ſiqua in medio mundi eſt terræ violentia, motus ad medium non erit ei naturalis, ſed violentus, quod eſt abſurdum.

Empedocles aſſeruit, ideo terram quieſcere, quia cælum rapidiſſima ſua conuerſione eius motum non patitur. Quod ex eo refellitur, quia ſi hoc ita eſſet, cæli motu ceſſante, terra aliquo itura foret: quo

igitur

igitur? Non ſurſum, nec deorſum, vt patet, & ipſo Empedocle conſentiente, terra quieſcebat, antequam cæli mouerentur. Et contra rationem eſt, terræ propriam quietem non concedere, ſicut igni in propria ſphæra, & hoc probat motus partium terræ deorſum, ſicut motus partis ignis ſurſum. Denique alij ideo terram immotam conſiſtere aiunt, quod æqualiter diſtet ab extremis, & ad neutrum magis inclinet. Sed neque hæc ratio ſatisfacit, quia idem poſſet dici de igne, ſi in medio conſtitueretur. Præterea, partes terræ ad medium tendunt, cum tamē ſit eadem natura totius, & partis, ac proinde non tantum quieſcit in medio ob illam perplexitatem. Tandem illud locum non habet in aliis elementis, & tamen ſimilis deberet eſſe in omnibus quieſcendi ratio: Videturque ſophiſtica ratio, quę in aliis perplexitatibus fieri ſolet, & inſufficiens, cum non oſtendat, quomodo corpora moueantur ad diuerſa loca, & idem de igne in medio poſito dici poſſet, qui tamen abſque dubio mouebitur, perplexitate contempta.

CAPVT XIV.

Textus Ariſtotelis.

Nos autem primo dicamus, vtrum habeat motum, an maneat, &c.

Expoſitio textus.

IN præſenti capite iam ex propria ſententia definit Ariſtoteles quæſtiones in præcedenti poſitas de quiete, ſitu, & figura terræ. Quod caput in tres partitur partes, in quarum prima ſtatuit terram non

moueri circulariter,ſed in proprio loco quieſcere, in ſecunda docet, proprium terræ locum eſſe centrum mundi: & in tertia, figuram illius eſſe globoſam. In priori igitur parte primum probat, quia nihil violentum perpetuum eſſe poteſt. At motus ille circularis violentus foret terræ, alias terræ partibus naturaliter conueniret, quod falſum eſſe conſtat. Fieret prçterea, vt terra non vno, ſed pluribus cieretur motibus; quidquid enim in orbem fertur, prima ſphæra excepta, plures ſubit motus. Fieret deinde contra experientiam, vt non ſemper in eiſdem terræ locis, iiſdemque punctis Orizontis ſtellæ inerrantes nobis orirentur, & occiderent. Tertiò, pars terræ medium mundi, quoad fieri poteſt, ſortita, quieſcit; igitur tota in medio conſiſtens, quietē habet, mouentur autem grauia ad medium mundi per ſe, & per accidens ad medium terræ, quia hoc cum illo coniungitur. Vnde ſi terra alio in loco eſſet, adhuc grauia ad medium mundi tenderent. Quod vero grauia ad medium tendant, ex eo conſtat, quod inde violenter extracta non lineis, parallelis, ſeu æquè ab ſe diſtantibus, ſed ad pares angulos, ita vt ablato impedimento, ſibi in centro occurrerent, moueantur. Quieſcit igitur terra in medio mundi, cum nihil moueatur in loco, ad quem naturaliter tendit.

Ex quibus pro ſecunda parte capitis colligit, locum terræ eſſe centrum mundi, ſiquidem in illud ſuapte natura fertur, & quieſcit terra, & ab illo per violentiam auellitur, & alias non ita ſe haberent, quæ ab Aſtrologis circa ortus, occaſus magnitudinem, & diſtantiam ſtellarum obſeruata ſunt.

In tertia denique capitis parte probat Ariſtoteles, terram eſſe globoſæ figuræ, primò, quia quælibet terræ pars ſuo pondere in medium nititur, & conglobatur,

tur,& omnes vndecumque motæ vergunt ad angulos rectos,& ſibi paulatim appropinquant. Omnibus igitur partibus compreſſis vndique verſus centrum globoſa figura euadet, quod ſi ex aliqua parte ingentis magnitudinis pondera accreſcant, adhuc terra in globoſam ibi figuram, quia maius pondus verſus aliam partem impellit,donec ad æqualitatem omnes partes circa medium coeant. Affectat enim terra, vt ipſius medium, vniuerſi medium ſit. Confirmatur Aſtronomicis rationibus, quia Luna, cum deficit, per circularem ſectionem ſecatur, ex eo ſcilicet, quod terra, cuius interiectu obſcuratur, rotunda eſt,cum hoc ſemper eueniat,& nunquam alias. Præterea,ſi terra globoſa non eſſet,Auſtralibus incolis,& Aquilonaribus idem omnino eſſet Orizon, earundemque ſtellarum aſpectus, quod experimento manifeſto repugnat.Ex quibus euidenter colligitur,non ſolum terram eſſe figuræ ſphæricę,ſed etiam non eximiæ magnitudinis, alioqui in tam parua diſtantia locorum, non tam diuerſus accideret ſtellarum aſpectus,ambitus autem terræ, iuxta Mathematicos temporis Ariſtotelis, continere dicebatur quadraginta ſtadiorum millia, quæ moles ad quantitatem ſtellarum relata nequaquam magna eſt.

Multa Ariſtoteles in his duobus capitibus, quæ longam hic videbantur diſcuſſionem ſuo iure exigere,verum quia in tertio, & quarto huius operis libro non pauca de elementis cum ipſo Ariſtotele nobis ſunt agitanda, placuit diſputationem de elemento terræ in eum locum remittere, vt doctrinam de elementis eadem diſputationis ſerie complectamur, ne forte iterum de elementis ex inſtituto acturi, eadem referre ad faſtidium cogamur,& ideo hæc pro ſecundo libro dicta ſufficiant.

Digitized by Google

ARISTOTELIS

STAGIRITÆ, DE CÆLO, ET MVNDO

LIBER TERTIVS.

POſtquam Ariſtoteles, 1. lib. de vniuerſo, & eius attributis diſſeruit;& in ſecundo de cæli,& ſyderum figura, motibus, aliiſque affectionibus egit, aggreditur iam his duobus libris diſputationem de reliquis corporibus ſimplicibus, quatuor ſcilicet elementis, quatenus grauia & leuia ſunt, motuſque habent ad loca ſibi iuxta vniuerſi ordinem congruentia, nec non de aliis ſimplicium corporum affectionibus, eſt enim huius operis ſcopus, vt initio diximus, vniuerſum, vt ex ſimplicibus coagmentatum corporibus, & hæc ſimplicia, quatenus partes vniuerſi ſunt:horum igitur diſputationem nos quoque aggrediamur oportet. Verum, quia mens Ariſtotelis in his libris perſpicua ſatis eſt, textuũ expoſitionem preſſius,& illorum doctrinam breuius deinceps perſtringemus, niſi ad amuſſim expendere velimus, plus æquo opus excreſcat.

CAPVT I.

Textus Ariſtotelis.

De primo igitur cælo, ac partibus, & de ſtellis, quæ in ipſo feruntur, &c.

Per

Perbreuis expoſitio textus.

PRæmiſſa quadam præfatiuncula refert Ariſtoteles præſenti capite opinionem aliquorum Philoſophorum negantium,generationem,nec non alias ſententias aliorum,varie de rerum ortu, & interitu ſentientium.Præſertim recenſet Platonis placitum , exiſtimantis , omnia corpora ex figuris planis componi, & iterum in eaſdē diſſolui,& interire,in cuius refutatione,aliis interim omiſſis,totus eſt Ariſtoteles, probans non poſſe corpus ex ſuperficiebus fieri,ſicut nec ſuperficies ex lineis,nec iſtę ex punctis:& quia partes componentes corpus graue,aut leue,præditæ eſſe debent grauitate, & leuitate;ſuperficies vero , lineæ , & puncta his vacant , hæ enim elementorum affectiones ſunt , quibus corpora recta mouentur , quæ fuſius perſequitur Ariſtoteles.

CAPVT II.

Textus Ariſtotelis.

Eſſe autem neceſſarium corporibus ſimplicibus natura motum aliquem vniuerſis competere,&c.

Expoſitio textus.

INtentum Ariſtotelis in hoc capite eſt,probare omne corpus phyſicum vendicare ſibi aliquem motum naturalem.Quod probat ex eo, quod ſenſu conſtat,corpora ſimplicia moueri ; mouentur ergo naturaliter ; vel ſi violentus eſt motus ideo eſt , quia eſt contrarius motui naturali,qui vnus erit ſpecie ab vna natura,

natura, quæ principium eſt motus, & quietis. Deinde probatur ex quiete, nam vel corpus quieſcit naturaliter, vel per vim: ſi naturaliter, motus ad eum locum naturalis erit, ſi violenter, naturalis erit motus ad locum, in quem conatur. Deinde aliorum placita inter ſe comparat, & carpit, ex probatoque aſſerto colligit, omnia corpora, quæ recto motu feruntur, gaudere grauitate, aut leuitate, vt principiis motus naturalis, cum ad medium, vel à medio moueantur, & quibus motui violento reſiſtunt; ad vtrumque autem aer conducit. Denique infert Ariſtoteles ex dictis, motum eſſe, & generationem, licet aliqua ſint, quæ generari non poſſunt, ex quibus eſt mundus; quod ineſficaciter probatur ex eo, quod alias antequam mundus generaretur, exiſteret in natura vacuum.

CAPVT III.

Textus Ariſtotelis.

Reſtat autem dicere, quorum eſt corporum generatio, & quam ob cauſam eſt, &c.

Expoſitio textus.

IN hoc capite, vt generationis principium inueſtiget Ariſtot. explicat naturã elementi, & quotuplex ſit, ac in rerum natura dari oſtendit. Elementum, inquit, eſt id, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus potentia, aut actu ineſt, ipſum vero in ſpecie diuerſa eſt indiuiſibile. Dicitur: *Potentia, aut actu,* quia neutrum horum determinatur, & non diuidi in ſpecie diuerſa, ſicut heterogenea, quia homogeneum eſt.

Digitized by Google

eſt. Ex qua diffinitione infert Ariſt. dari quatuor elementa, ignem, aerem, aquam, & terram, cum illis conueniat definitio. Denique opinioni Thalis, dicentis, vnum tantum dari elementum, & Anaxagoræ admittentis alia, vt carnem, & oſſa; præfert ſententiam Empedoclis ſtatuentis, quatuor vulgata elementa eſſe principia cæterorum, quod confirmat ex motibus ſimplicibus à medio, vel ad medium, qui proprij ſunt elementorum; hæc igitur ponenda ſunt in rerum natura.

CAPVT IV.

Textus Ariſtotelis.

Conſequens autem eſt vtrum ſint finita, an infinita, &c.

Expoſitio textus.

INtentum Ariſtotelis in præſenti capite eſt, probare elementa non eſſe infinita: quod primo probat contra Anaxagoram, deinde contra alios Philoſophos: nam partes ſimilares mixtorum ſunt compoſitæ, cum reſoluantur in terram aerem, aquam, & ignem, elementum vero compoſitum non eſt, ſed ſimplex. Præterea licet partes eiuſdem rationis elementa eſſent, non ideo hæc infinita forent, cum non omnia, ex ſimilibus partibus conſtent. Vlterius elementorum differentiæ certo numero continentur, ſunt enim calidum, & frigidum, ſiccum, & humidum, ergo finita ſunt elementa ex illis conſtituta. Reprehendit deinde Leucippum, & Democritum, confingentes principia, ſeu ſimplicia corpora infinita, quorum

rum concurſu omnia procrearentur, quia omnia ex numeris componebant, & finita principia ſufficiunt: determinatęque ſunt principiorũ differentiæ, vt diximus. Conuincuntur præterea negare multa, quæ ſenſibus conſpicua ſunt, & alia admittere experientiæ contraria, vt quod detur corpus, quod diuidi nequeat. Et vlterius, quod illa corpora magnitudine, & paruitate inter ſe differant, nec non infinita eſſe, & tamen figuris diſtingui. Denique motus ſimplicis, qui proprij ſunt elementorum, certo numero comprehenduntur, nempe à medio, vel ad medium, loca etiam, quæ his motibus comparantur, igitur & elementa.

CAPVT V.

Textus Ariſtotelis.

Quoniam autem finita eſſe neceſſe eſt, conſiderare reſtat, &c.

Expoſitio textus.

DIſcutit iam Ariſtoteles in hoc capite, vtrum elementum vnum ſit, vel plura, & refert prius aliorum placita: deinde ea refellendo, quid res habeat exponit. Plures Philoſophi ex antiquis vnum tantum eſſe elementum arbitrati ſunt, alij medium quid inter aerem, & aquam ſufficiens generationis principium per raritatem, & denſitatem, quos triplici ratione refutat Ariſtoteles. Alij vnicum elementum poſuerunt, ignem, diuerſimodè tamen, quos etiam multipliciter refellit philoſophus. Omnes vero vnius elementi aſſertores, hac vniuerſali ratione redarguit: quia ſi omnia naturalia corpora ex eodem principio

eoalc

coaleſcerent, eiuſdem eſſent naturæ, eodemque naturali motu cierentur, ad eundemque locum: quod palam à veritate abhorret: plura igitur ſunt elementa ſupra enumerata.

CAPVT VI.

Textus Ariſtotelis.

Conſiderandum eſt autem primo, vtrùm ſempiterna ſint, an generentur, & corrumpantur.

Breuis expoſitio textus.

VT Elementorum numerus, & vniuscuiuſque affectiones certo conſtent, inquirit Ariſtoteles, hoc capite, num elementa generationem, & interitum ſubeant, & reſpondet non eſſe æterna, ſed reciprocis mutationibus ſecundum partes diſſolui, quæ diſſolutio infinita eſſe nequit, quia alias infinita eſſet duratione elementi conſtructio, nec finem habere poteſt, id eſt, vſque ad vltimam partem, quia hæc non eſt indiuidua ſecus elementum conflatum ex indiuiſibilibus, indiuiduum eſſet. Generantur autem elementa, non ex non corpore, neque ex alio corpore antiquiore, neutrum enim ſtare poteſt, ſed mutuo ex ſe ipſo, id eſt, vnum ex materia alterius, & è contrario.

CAPVT VII.

Textus Ariſtotelis.

Rurſus igitur conſiderandum eſt, quis nam ſit mutuæ generationis ipſorum modus, &c.

Breuis expoſitio textus.

PErgit Ariſtoteles ad inueſtigandum generationis elementaris modum, & prius aliorum placita recẽſet, & notat, expoſiturus deinde, quid verius ſit. Empedocles, & Democritus putarunt, elementa, etſi ſempiterna, alterum ex altero perſecutionem ab alio generari. Hi tamen fucatam tantum generationẽ agnouere, cum non educant formas ex materia præuiis alterationibus diſpoſita, ſed maiorem duntaxat raritatem. Reſtat igitur, vt vnum elementum per tranſmutationem ex alio fiat. Verum in hoc duplex eſt ſententia falſa, altera aſſerentium, tranſmutationem fieri ſecundum figuras, altera conſtituentium in diuiſione per plana: priores enim coguntur aſſerere, prima corpora non eſſe diuiſibilia, neque partes ſortiri naturam totius, cum figuræ hoc non habeant, poſteriores ſenſibus repugnãt, & aliqua abſurda cõcedere tenẽtur.

CAPVT VIII.

Textus Ariſtotelis.

Omnino autem enti ſimplicibus corporibus figuras tribuere, metas egreditur rationis, &c.

Breuis expoſitio textus.

TOtus eſt Ariſtoteles præſenti capite in refellenda Platonicorum opinione, varias elementis figuras

figuras attribuente: id quod variis rationibus exequitur. Prima proxima ſatis ſumitur ex figuris mathematicis, quæ ſi iuxta Platonicum placitum elementis accommodentur, plane ſequeretur inter elementa vacuum dari, cum illis nequeant vndequaque eſſe contigua. Et quòd elementa nullam præfixam vendicent figuram, ex eo conſtat, quòd eorum quodlibet vndique contingit extremitatem rei, cui iungitur, ſeſe ad illlius figuram accommodans: quòd maximè elementis congruit, cum ſint quaſi materia mixtorum, & receptaculum, & alias non poſſent elementa venire in compoſitionem mixtorum, neque in vnum continuum coaleſcere, ſi indelebiles ex ſe figuras haberent. Præterea non rectè Platonici figuras elementis aptāt, ad earum poteſtates, & motus exprimendos, quia igni tribuunt ſphæricam, vel pyramidalem, quæ motui recto ignis non congruit: terræ cubicam, quæ etiam motui terrę non deſeruit, etſi quidditas elementi in ea conſiſtat figura, cum generet ſibi ſimile, figura figuram generabit, quod abſurdum eſt, & ſi vna figura eſt propria vnius elementi, alterius contrarij contraria erit figura, cum tamen figuræ nihil poſſit eſſe contrarium. Denique contradictionis Platonicos arguit Ariſtoteles.

Tractatus de natura, numero, ſitu, & motu elementorum.

PLura in hoc tertio libro de elementis diſſerit Ariſtoteles, de quibus per otium diximus, cum eodem libro 2. de ortu & interitu, qualia ſunt quæ ad generationem & corruptionem, & ad qualitates eorum actiuas ſpectant. Et ideo illuc ſpectantibus omiſſis, ſolum in hoc tractatu agitabimus,

quæ hius loci ſunt propria, quæ videlicet ſpectant ad elementa, vt ſunt partes vniuerſi, quod, vt non ſemel monuimus, huius operis ſcopus, & adæquatum obiectum eſt.

QVÆSTIO I.

An ſint elementa, quot, & qualia.

VT ea, quæ titulus quæſt. inquirit, dilucidè enodemus, operæ pretium erit omnium firmum fundamentum iacere, quo firmius eſſe nequit, quaſi ipſiusmet elementi definitio. Hæc igitur prius elucidanda eſt, vt inde cætera ad elementa ſpectantia facilius enucleemus.

Ariſtoteles tertio capite huius libri, ſic definit: *Elementum corporum mixtorum eſt id, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus potentia ineſt, ipſum vero in ſpecie diuerſa eſt indiuiſibile.* Aſſerit Ariſtoteles ſe definire elementum corporum, quia elementum multipliciter ſumitur, & ideo laxiori ſignificatione illud definiuit 5. Metaphyſicæ, capite 3. prout etiam conuenit elementis ſcientiarum demonſtrationum, elementis literarum, & ſimilibus. Dicitur verò elementum, in quod cætera corpora diuiduntur, quia corpora mixta reſoluuntur in elementa, ſi quidem ex illis componuntur, & vnumquodque in ea diuidi, & reſolui poteſt, ex quibus componitur. Dicuntur præterea elementa manere potentia in mixtis, id eſt, virtualiter, vt explicuimus libro 2. de generatione, vbi animaduertendum eſt Ariſtotelem dixiſſe, in potentia, vel actu, quia nondum ſtabilierat, elementa ſolum manere virtualiter in mixtis, quod præſtitit poſtea in libris de generatione. Additur denique in defi-

definitione, indiuiſibile in ſpecie diuerſa, quia licet elementum diuidi poſſit, non tamen in alias partes ſpecie diuerſas, ſicut animal diuiditur in caput, pedes, &c. quia omnes elementi partes eiuſdem ſunt ſpeciei.

Ex iacto tamen fundamento poſſet inferri, nullum eſſe in rerum natura elementum, quia nullum eſt ſublunare corpus, quod non ſit diuiſibile in ſpecie diuerſa; nullum igitur erit elementum, quod in ſpecie diuerſa indiuiſibile diximus. Antecedens probatur, quia quodlibet ex quatuor corporibus ſimplicibus ſublunaribus, quibus ſi cuipiam elementi ratio congrueret, diuidi poteſt in materiam & formam, quæ inter ſe ſpecie diſſidēt: inſuper etiam in alia corpora completa, vt aer v.g. in ignem & aquam, ſiquidem ex aliqua illius parte ignis, ex altera verò aqua produci poteſt.

Ex eodem etiam fundamento videtur elici, non eſſe elementa quatuor, ſed plura, vel pauciora, vt plures antiqui relati ab Ariſtotele præcedentibus capitibus 3.4. & 5. arbitrati ſunt. Plura quidem, quia partes homogeneæ, vt caro, & os, plures, quam quatuor ſunt, & tamen elementi rationem ſortiuntur, cum in eas heterogeneæ partes diuidantur, & ipſæ in ſpecie diuerſa indiuiſibiles ſint. Præterea arguere poſſent, Eleucippus, & Democritus, hoc modo, corpora mixta coaleſcunt ex infinitorum ſimplicium concurſu, & in ea diuidūtur: cum tamen ſimplicia ipſa, ſeu atomi indiuiſibiles ſint: igitur infinita erunt elementa. Ratione non diſſimili poſſet arguere Plato, pro ſua figurarum multitudine, ex quibus, vt elementis, corpora conflari exiſtimauit. Quod pauciora ſint elementa, quàm quatuor, probare poſſunt, qui vnum tantum agnouerunt ex eo, quod vni primo

tantum definitio allata competere poſſit, & ſufficit nec plura ſimpliciter prima concedere oportet, id, quod quilibet ſuo elemento pro libito accõmodauit. Alij vero medio cuidam inter aerem, & aquam, & ſaltem quod non detur elementum ignis ad lunæ concauum, vt nonnullis placuit, ac proinde nullibi, hac via probare poſſumus: quia ex eo probat Ariſtoteles 1. Metaphyſicæ capit. 3. cæleſtia corpora non eſſe ignea, quia iam pridem reliqua contenta corpora incendio conflagraſſent. Aſt idem ſequeretur, ſi ignis prope Lunæ globum reſideret, cum inferiora omnia ſuo ambitu comprehenderet, quæ, maximè propinquior aer valde calidus, paruum admodum ſummæ ignis voracitati reſiſterent.

Præterea, ignis nequit ſine combuſtibili conſeruari, vt experimento conſtat, at ſupra aëris ſpheram hoc pabulum non extat, igitur nec ignis: maximè, quia ſi ſphæra ignis eſſet prope Lunam, omnes inferiores ignes eo tenderent, cum vnumquodque elementum in propriam ſedem feratur, quod tamen aliter contingit. Denique hæc videtur mens Ariſtotelis 1. Meteororum capit. 4. dicentis, ſupra aquam eſſe aerem, & id, quod quamuis ignem conſueuimus appellare, ignis tamen non eſt, quod quidem conſonat ſacris literis, quæ dum initio Geneſis primam rerum molitionem accurate tradant, nullam ignis mentionem faciunt. Ex quibus inferri videtur, nullum prorſus eſſe elementarem ignem, ſiquidem is, qui apud nos extat elementaris eſſe non poteſt, nec minus contineri valet in terræ centro, vt exiſtimarunt Pythagorici, teſte Ariſtotele 2. de cælo cap. 13. propter ignis leuitatem.

His tamen non obſtantibus, dicendum eſt primo, cum Ariſtotele capitul. 3. citato, & communi iam

Philo

Philoſophorum omnium conſenſu, eſſe aliqua elementa in rerum natura, id quod ex ipſa elementi definitione manifeſte infertur, quia aliqua ſunt in vniuerſo corpora, quibus omnes conditiones in definitione elementi poſitæ apprime quadrant. Igitur aliqua neceſſario concedenda ſunt elementa. Roboratur antecedens, nam in carne, aliove mixto, inſunt in potentia terra, aqua, & alia, cum ibi horum qualitates reluceant, & in ea prædicta mixta diuiduntur: abeunt enim, dum intereunt, in puluerem, humorem, ſpiritum, & in partes igneas, quæ quidem elementis reſpondent, cum tamen hæc in corpora ſpecie diuerſa nequeant diuidi, ſiquidem partes elementorum eiuſdem ſunt rationis, & in nullo naturaliter continentur qualitates, & diſpoſitiones alterius corporis mixti, aut etiam elementaris, ratione quarum dici poſſit in eo aliud potentia contineri, & hoc in illud reſolui poſſe. Confirmatur, quia elementum in vniuerſum ex Ariſtotele 5. Metaphyſicæ capit.3. eſt id, ex quo primo inſito, & in aliam ſpeciem indiuiſibili, aliquid componitur. Sed mixtum componitur ex terra, aqua, aere, & igne; tanquam ex primis corporibus, quatenus actu continet quatuor primas qualitates illorum proprias: illa vero ex aliis corporibus non componuntur, cum nullius propriæ qualitates illis inſideant; igitur ſunt proprie elementa, id quod ex ſolutione argumentorum clarius elucebit.

Dicendum eſt ſecundo cum eodem Ariſtotele ibidem, & ſequentibus, quem omnes iam comitantur Philoſophi, elementa corporum quatuor eſſe, nec plura, nec pauciora. Quæ etiam concluſio infertur ex definitione elementi, & ex dictis in priori concluſione: corpora enim ſimplicia, quæ potentia in mixtis

corporibus inſunt,& in quæ mixta reſoluuntur, cum tamen ipſa in alia corpora diuerſa ſpecie non diuidã-tur,tantum ſunt, ignis,aer,aqua,& terra; nec aliud eſt excogitabile,cui prædicta conueniant.His vero quatuor apprime quadrant, vt per ſe patet. Probatur ſecundo,quia negari non poteſt,terram eſſe,cum experimento conſtet,ipſam quieſcere in medio mundi, & idem experientia conuincit de aqua,aere, & igne. Et ex eo, quod ponatur terra , quam ponendam eſſe infert Ariſtoteles libro 2.cap.3.ex eo, quod cum cælum circulariter agitetur, eget centro immobili,quod nequit eſſe niſi terra ; ex hoc , inquam , alia tria admittenda eſſe elicit ipſe hac ratione , quia dato altero contrario in rerum natura , neceſſarium eſt dari & alterum (quod ſaltem verum eſt , & neceſſarium ſecundum naturam,& perfectionem vniuerſi)ſed ignis ratione ſui caloris naturalis,& leuitatis, contrariatur terræ valde frigidæ,& graui:igitur poſita terra,aſtruẽdus neceſſario eſt ignis : igni autem & terræ contrariantur aqua,& aer,per frigiditatem,& humiditatem, & media loca inter illa extrema vendicant : alia igitur duo ſimplicia corpora ponenda ſunt , quæ omnia elementi naturam ſortiuntur. Tertio arguit Ariſtoteles ſupra 2. libro , capite 5. quia motus localis rectus proprius eſt ſimplicium corporum ſublunarium ; ſed quatuor tantum ſunt motus recti ſimplices , bini ad locum ſuperum , & bini ad inferum: ergo quatuor tantummodo ſunt elementa. Quamuis enim non omnes iſti motus locales ſint eſſentialiter diuerſi inter ſe, ſicut nec ſumma leuitas,& leuitas ex parte , aut maior grauitas , indicant tamen diuerſitatem eſſentialem corporum , quibus ex ſe conueniunt; cum conſequantur ſpecialem rationem formæ ſubſtantialis. Et aliàs , ſi corpus , quod ſurſum

ſum tendit, non eſſet eſſentialiter diuerſum ab eo, quod mouetur deorſum, illud etiam naturaliter deorſum properaret: quaterna igitur differentia motus recti, facultatis motiuæ, & loci naturalis, quaternarium elementorum numerum plane adſtruit. Idem probatur quarto, ex quaternario numero primarum qualitatum, & quadripartita illarum inter ſe commixtione, quæ propriæ ſunt primorum, & ſimplicium corporum ſublunarium: ex quarum interſe commixtione emergunt alia corpora mixta. Id ipſum confirmat quaternarius humorum, & temperamentorum numerus, quæ omnia quatuor elementis iuxta diuerſam attemperationem reſpondent, id quod 2. de generatione fuſius elucidatur.

Ex dictis manifeſtum relinquitur, dari elementum ignis ad Lunæ concauum, & in ſpecie confirmatur, quia ſummus calor alicui corpori ſimplici debetur: prima enim qualitas corruptibilis primo corruptibilium corporum conueniat neceſſe eſt: at non conuenit aeri, qui humiditatem ſummam cum aliquo calore vendicat, nec aquæ ſummè frigidæ, & aliquantulum humidæ, nec denique terræ cum aliqua frigiditate ſumma ſiccitate præditæ: ergo igni. Cum igitur ex ſummo calore, & ſiccitate, ſumma pullulet leuitas, quæ eſt principium motus ſurſum, fit, elementum ignis ſupernum locum in ſublunari mundo ſibi vendicare. Quod confirmatur ex conatu flammæ ignis apud nos excitati ſupra aerem confeſtim aſcendentis, qui nequaquam conſtaret, niſi proprius elementaris ignis locus ſupra aerem eſſet.

Infertur etiam ex ſuperioribus, ignem, præ cæteris elementis altiorem naturæ gradum habere, id quod cum Diuo Thoma 1. parte, quæſtione 69. articulo 2. ad primum reliqui docent Philoſophi. Quamuis enim

Digitized by Google

terram multum commendet illius erga nos benefi-centia, mira cum animalibus ſimilitudo, & quaſi af-finitas, & optatæ quietis in proprio loco poſſeſſio: aquam etiam prædicet perutilis, & valde neceſſarius illius vſus; & in animalibus procreandis incredibilis fœcunditas: aerem denique plurimum extollat indi-ſpenſabilis eius ad vitam tuendam continua recipro-catione neceſſitas: & quod ipſe ſolus, vel ipſe maximè fere omnium animalium domicilium, volatilis naturæ luminis, & vocis vehiculum ſit. Quamuis, inquam, hæc ita ſint, ex his tamen maior horum elementorum præ igne intrinſeca dignitas nequaquam concludi-tur, ea enim oratorium dumtaxat calorem maiori ex parte præ ſe ferunt, cum tamē ignis in ipſamet intrin-ſeca, & ſubſtantiali perfectione cæteris elementis ab-ſque dubio præcellat: quia calor inter primas corru-ptibilium corporum qualitates præcipuū obtinet lo-cum, cū actuoſior ſit, & ad res efficiēdas vniuerſalior; ſed is debetur natura ſua igni in ſummo gradu, ſingu-lis autē aliis elemētis ſingulæ ex primis qualitatibus calore imperfectiores: igitur forma ſubſtātialis ignis, à qua exigitur calor, perfectior eſt, ac per conſequens ignis ipſe. Confirmatur, quia rectus naturæ ordo exi-git, vt quo nobiliora ſunt corpora, maxime ſimplicia, & quę pręcipuæ vniuerſi partes ſunt, eo altiorem locū obtineant, præſtantioreq; facultatem motiuā ad illum obtinendum; at ignis eminentiorem habet locum in-ter cætera elementa, nobiliſſimamq; qualitatum mo-tuum leuitatem: igitur dignitate ſuperat cætera ele-menta. Id quod etiam probare videtur de cæteris ele-mētis, in quibus etiam vim habere poteſt prior ratio, ſi aſſumatur non vna tantum qualitas, ſed coniugatio duarum vniuſcuiuſque elementi propria. Et confir-matur ex continentia inferioris elementi à ſuperiori,

quæ

quæ quidem plane denotat maiorem perfectionem continentis, vt diximus libro ſecundo capite quinto quæſtione quarta de orbibus cæleſtibus. Abſolute igitur inter elementa idem aſſignari debet ordo ſitus, & dignitas. Vbi animaduertẽdũ eſt, licet quodlibet elementum contineat, & quaſi comprehendat inferius ſibi cohærens, non tamen ſemper illud magnitudine profunditatis vincere, vt nonnulli putarunt. Nam iuxta probabiliorem Mathematicorum ſententiam, teſte Patre Clauio ad cap. 1. ſphæræ, terræ profunditas amplius 6070. milliaria continet, & tamen diameter aquę (quæ loco ſuperior eſt, vt in ſequentibus dicemus) vix ad duo, vel tria milliaria pertingit, vt à nautis compertum eſt: à nemine tamen eſt certo exploratum, an maior, vel minor terræ pars ſub aquis lateat, detecta ve ſit aeris etiam profunditas, eiſdem Mathematicis teſtantibus, circiter quinquaginta duo milliaribus continetur, vt ex aſcenſu exhalationum magna cum probabilitate ab ipſis colligitur. Qui tandem igni attribuunt profunditatem milliarium circiter centum viginti mille quingentarum ſeptuaginta octo.

Tandem in fine huius quæſtionis nonnihil dicendum eſt de figura elementorum, quam variis modis ſibi finxerunt Plato, & alij antiqui Philoſophi. Noſtri tamen Philoſophi, & Mathematici vno ore elementis globoſam tribuunt figuram, aliqua ſcilicet ex parte, non omnino perfectè, & ſimpliciter, hoc eſt, non ad normã Mathematici globi. Primũ vniuerſaliter probatur, quia totum vniuerſum globoſum eſt, & æthereus mundus: ergo idem de partibus illius primariis ſub cælis contentis, cuiuſmodi ſunt elementa, fateri neceſſe eſt. Et de igne ex parte conuexa conſtat, cum proxime cohæreat ſuperficiei concauæ lunaris ſphæræ quæ ſpeciem globi habet, ex parte tamen concauæ

ſuper

Digitized by Google

ſuperficiei bene aliqui exiſtimant,non eſſe ignem perfectè ſphæricum:quia in partibus Soli propinquioribus, & quæ velocius rapiuntur cæleſti motu, vt ſub æquinoctiali, plus aeris in ignem conuertitur, & è contrario,in remotioribus,& tardius circũactis, plus ignis in aerem commutatur, ac proinde profundior eſt ignis regio ſub ęquinoctiali,quàm ſub polis,econuerſo vero aer,vnde neutrum ex hac parte,ſuperficiei ſcilicet concauæ ignis, & conuexæ aeris, ſphæricam habet figuram,ſed oualem potius. De terra vero, & aqua probatur eſſe figurę circularis,ex eo,quod orientales prius ſurgentia ſydera vident,quam qui ad occaſum habitant, & illis prius dies illuceſcit, & nox ingruit, quàm his: ſi vero terra, & aqua plana eſſent, omnibus ſimul proculdubio aſtra orirentur:& ſimilis ſucceſſio reperitur in Lunæ,& Solis ecclypſibus;& ſimiliter ob eandem cauſam aliquæ apparent ſtellę habitantibus ad ſeptentrionem, quæ ad Auſtrum incolentibus non ſunt conſpicuę, & ècontrario, & euntibus ad Auſtrum celſitudo Auſtralium ſtellarum continue excreſcit,ſeptentrionalium decreſcit; cuius oppoſitum experiuntur,qui contra pergunt.Præterea, vmbra horum corporum circularis eſt,aſt vmbra imitatur figuram corporis,à quo editur,ergo & ipſa globoſam habent figuram.Antecedens probatur euidenter ex Ecclypſi Lunæ accidenti interiectu terræ inter Solem,& Lunam, quæ proculdubio accidit in ſpecie circuli.Denique corpora grauia,ita mouentur ad centrum,vt quo magis deſcendunt,eo inter ſe magis coniungantur,& conglobentur;ergo natura ſua exigunt, pertingere centrum,vel ſaltem centro vndique ęqualiter appropinquare.Sed nulla alia figura poſſunt fieri centro viciniora,quam ſphærica; ea igitur præditum eſt elementum graue. Quæ omnia argumenta pariter
probant

probant de elemento aquæ,& terræ, immo clarius de aqua,quatenus experimento compertum eſt, aquam ſemper ad humiliora loca defluere, nequit igitur habere partes aliquas à centro remotiores, atque adeo ſemper in orbem componitur, & perfectius longe, quàm terra, propterea quod terræ partes ob ſiccitatem,non ſemper ad inferiora dilabuntur, vt in montibus videre eſt.

Nonnulla poſſent aduerſus ſupradicta obiici, quæ quidem facilia ſunt, & cuilibet non oſcitanti peruia, & ideo breuitati ſtudens omitto. Oportet tamen argumenta in quæſtionis limine adducta ſoluere, & ad illud, quod contendebat, nullum in rebus dari elementum, negamus antecedens:& ad illius confirmationem reſpondemus,elementum in eo tantum genere eſſe indiuiſibile,in quo eſt elemẽtum;cum igitur ſit elementum corporum, debet eſſe indiuiſibile in alia corpora ſpecie diuerſa, cui nihil obeſt diuiſibilitas ſecundum partes eſſentiales:in alia vera corpora diuidi nequit aliquod ex elementis, quia licet ex materia vnius aeris v.g.educatur forma ignis,& aquæ,non dicitur aer diuidi in illa,ſicut mixtum in elementa:nam aer non habet in ſua materia diſpoſitiones aquæ, & ignis temperatas, ſicut illas habet mixtum. Et ideo, hæc non dicuntur eſſe in aere virtute,ſed in ſola radicali,& remota potentia materię,ac proinde neque aer dicitur in illa reſolui,ſicut mixtum in elementa, quorum virtutes temperatas habet; in quo propterea dicuntur virtute potentia manere.

Ex quibus conſtat ad primum eorum,quæ quaternarium elementorum numerum euertere conabantur.Eſt enim hic ſermo de elementis corporũ, quæ in ipſis virtute manent, & in quæ cætera corpora diuiduntur,quæ partibus conuenire nequit.Quę vero pro

Leucippo,

Leucippo,& Platone adduximus,inania ſunt , & ſolum indigent aſſumpti negatione, eaque per otium confutauit Ariſtoteles , hoc tertio libro:nec maioris momenti ſunt conficta ab vnius elementi aſſertoribus. Ad primum autem eorum , quæ ignem à Lunæ globo detrudere nitebantur, neganda eſt minor propoſitio,cum enim actiuitas ignis tanta non eſt in materia valde rara,qualem purus habet,tum etiam , quia illa continuo aſtrorum , Lunæ præſertim , & Saturni influxu compeſcitur, nec non humoris aerei repugnantia obtunditur,quæ in cælo, ſi igneum eſſet , locum non haberet,vt patet.

Ad ſecundum dico , ignem egere combuſtibili ad ſui conſeruationem extra propriam ſphæram , ſecus in illa,quia illic ,non hic contrariorum patet incuriis, & in materia pabuli denſiori , & ampliori ſe melius tuetur : non tamen aſcendit terreſtris ignis ad Lunæ concauum , & ſi aſcendere conetur ob contrariorum interiacentium reſiſtentiam. Ariſtoteles, autem teſte Diuo Thoma ibidem , ſolum contendit ignem elementarem non propriè ſignificari eo nomne,quo inferior ignis appellatur , quia ſcilicet eo nomine aliqua accidentia ſpecialia terreſtris ignis denotantur.

Ad vltimum tandem dicendum eſt , in prima rerum conditione omnia quatuor elementa ſimul fuiſſe in lucem edita, vt tradunt Diuus Damaſcenus ſecundo libro fidei Orthodoxæ capite quinto , Diuus Baſilius Homilia ſecunda de mundi opificio. Et Beda in libro Hexameron , ſacrum tamen ſcriptorem duo tantummodo elementa inferiora expreſſè enumeraſſe, quia hæc præ aliis rudi populo , ad cuius captum ſeſe effingebat,conſpicua ſunt.

QVÆ

QVÆSTIO II.

An terra in medio mundi ſita ſit, habeatque idem centrum magnitudinis, & grauitatis cum ipſo.

QVamuis Ariſtoteles de hac re lib.2.cap.13.& 14. ex inſtituto diſſeruerit, nos tamen illius diſcuſſionem in hunc locum reſeruauimus, propter rationem in calce illius libri allatam. Et ideo poſtquam præcedenti quæſtione de elementis in communi, ac inter ſe comparatis, non pauca dixerimus, operæ pretium duxi, ad explicandam mentem Ariſtotelis, de terra inſtituere diſputationem: de terra ſcilicet, quatenus ſitum in vniuerſo habet, de quiete enim, & motu illius agemus quęſtione quarta. Vbi miſſa facio plura, quæ de terræ magnitudine ſecundum ſe, & comparatione cæleſtium ſphærarum, nec non de illius diuiſione per otium diſſerunt Geographi, & Topographi, apud quos, vt pote quæ inſtituti noſtri metas excedunt, quærantur.

Circa priorem igitur quæſtionis partem, prætermiſſis antiquorum Philoſophorum placitis, quæ citatis locis refert, & reiicit Ariſtoteles, concors Peripateticæ ſcholæ ſententia eſt, terram in medio mundi eſſe conſtitutam. Probatur primo ratione Ariſtotelis capite illo 14. quia omnia corpora grauia vndecumque dimiſſa efficiunt in terra angulos rectos æquales ſibi paulatim appropinquando, & non per lineas parallelas, ita vt nullo exiſtente obice ſibi in centro occurrerent, ſiquidem quo magis cientur, magis ſibi appropinquant. Hoc vero nullatenus eueniret, niſi locus naturalis terræ eſſet centrum mundi, vt omnibus

eſt manifeſtum:in eo igitur proculdubio, vt in naturali loco terra ſita eſt.

Secundo idem probat, quia vt Aſtronomicis obſeruationibus compertum eſt, Ecclypſes Lunares accidunt, quoties Sol, & Luna per diametrum opponuntur, hoc eſt illis in punctis ſibi aduerſis exiſtentibus: aſt hoc contingere non poſſet, niſi terra medium vniuerſi obtineret, hoc ergo neceſſario fatendum eſt, Minor euidenter demonſtratur, quia Ecclypſis Lunaris accidit ex interiectu terræ inter Lunam, & Solem, ſed impoſſibile eſt terram ſemper intercipi inter hæc aſtra in punctis directè oppoſitis exiſtentia, niſi ipſa exiſtat in ſpatio æque diſtanti ab omnibus partibus cæleſtis ſphæræ, in hoc ergo iacere dicenda eſt, id quod naturalis ipſa rerum diſpoſitio ſuo iure exigebat, vt ſcilicet elementum infimæ ſortis infimum ſibi vendicaret locum, & maxime à cælo diſſitum, huiuſmodi autem eſt centrum mundi. Cuius ratio à priori eſt, quia grauitas eſt principium motus deorſum, & quietis in loco inferiori; igitur ſumma grauitas erit principium motus ad locum omnium infimum, & quietis in ipſo: at terra eſt ſumme grauis natura ſua, ergo ad infimum locum, qualis eſt centrum mundi, naturali pondere fertur, & in eo quieſcit. Vt enim docet Diuus Thomas 2.2.quæſt.23.art.quarto, eadem eſt cauſa, vt corpus moueatur in locũ, & in eo quieſcat. Quæ veritas exprimitur in Scriptura dum dicitur Pſalmo 103. Terra fundata ſuper ſtabilitatem ſuam, & à Deo firmari dicuntur columnæ eius, Pſalmo 74. Et terra ſuper nihilum appendi, Iob. 16. Hoc eſt, naturalis pondere terra in medio mundi conſtituitur, ſine alterius corporis adminiculo. Hoc autem intelligi debet de globo ex terra, & aqua conflato, vt rationes priores probant.

Secunda

Secunda aſſertio : idem eſt centrum vniuerſi cum centro grauitatis terræ, non tamen cum centro magnitudinis eiuſdem. Probatur concluſio quoad priorem partem , quæ communis eſt Mathematicorum præſertim , quia centrum vniuerſi eſt locus omnium infimus,& à ſuperis maximè diſtans.Eſt enim punctus à quo lineæ omnes ductæ ad circumferentiam primi mobilis ſunt æquales : ergo illud ex natura rei occupare exigit corpus graue, & quo grauius eſt, perfectius,& ideo grauiſſimũ corpus,perfectiſſimè.Si enim grauitas principiũ eſt ferẽdi deorſum, & quieſcẽdi in loco inferiori,maior grauitas perfectius principiũ erit, & maxima perfectiſſimũ. Aſt terra eſt corpus ſumma prẹditũ grauitate,vt omnes fatentur,igitur natura ſua exigit centrũ vniuerſi perfectiſſimo modo, quatenus grauis eſt,obtinere,& id re ipſa conſequitur,ſiquidem nihil naturaliter obeſt, ſed perfectiſſimus obtinendi modus eſt,vt centrum vniuerſi intime penetretur,ſeu identificetur cum centro grauitatis terræ. Hoc ergo neceſſario fatendum eſt.Minor hæc vltima probatur: quia perfectiſſimè corpus graue, & grauitas illius quieſcet, ſi æque ſecundum omnes partes grauitatis, ad centrum accedat, alias ſi verſus aliquam partem circumferentię ſit exceſſus grauitatis,ſecundum hanc partem,vt pote grauiorem conabitur deſcendere:ſed centrum grauitatis eſt pũctus medius Lunæ rectæ diuidentis corpus in partes graues æquè ; igitur tunc terra,vt pote corpus ſumme graue, propriam ſedem perfectiſſime obtinebit,cum centrum grauitatis illius idem ſit cum cẽtro totius vniuerſi.Cum ergo nullum ſit corpus,quod huic tendentiæ obeſſe poſſit, terram re ipſa hoc ſitu ſibi debito gaudere neceſſe eſt. Quæ ratio plane conuincit,non ſolum de vulgari quadam, & laxa penetratione, vt recentiores nonnulli exiſti-

Digitized by Google

marūt. Sed de ſimultate Mathematica ad amuſſim, & exactè conſiderata, falſo enim requirunt prædicti adſtrictam hanc penetrationem, quod globus ſit perfectè circularis, conſtans ex partibus ęqualis grauitatis: quamuis enim hoc neceſſarium ſit, vt idem ſit centrum magnitudinis, & grauitatis ſphæræ inter ſe, & cum centro vniuerſi, non tamen, vt ſit idem centrum vniuerſi cum centro grauitatis terræ, quia in partibus inæqualis magnitudinis poteſt reſidere æqualis grauitas, vt per ſe euidens eſt. Quæ ratio probat de centro grauitatis totius globi ex aqua, & terra conflati.

Poſterior concluſionis pars (quam contra Fernelium in ſua Coſmotheoria libro primo, capite primo, alioſque nonnullos, quibus fauent Patres Conimbricenſes ſecundo de cælo, cap. 14. quæſtione tertia, articulo ſecundo, amplectuntur aliqui recentiores) euidenter probatur, quia terra non habet propriè centrum magnitudinis: ergo nec habere poteſt illud penetratum cum centro vniuerſi. Euidens eſt conſequentia, antecedens probatur: nam centrum magnitudinis eſt punctus medius lineæ rectæ diuidentis corpus, verſus quamlibet partem, in duas magnitudines æquales: ſed in globo terræ nullus eſt punctus lineæ diuidentis illum in æquales magnitudines, ſaltem verſus quamlibet circumferentiæ partem, ita vt ex illo ad quamlibet partem circumferentiæ lineæ æquales duci poſſint. Hoc enim nequit reperiri, niſi globus ſit perfectè circularis, vt per ſe patet: quod centrum eſt terræ non conuenire propter vallium depreſſiones, & montium eminentias: nullum igitur eſt centrum magnitudinis terræ rigoroſe ſumptum. Sed nec datur centrum terræ, ſumptum pro puncto lineæ, diuidentis corpus

in

in duas æquales magnitudines verſus aliquas partes: licet enim hoc fieri poſſet, ſine fundamento tamen diceretur, in vna medietate circumferentiæ terræ eaſdem prorſus eſſe elationes, & profunditates terræ; ac in alia medietate. Præterea, etiamſi daretur centrum magnitudinis terræ, probatur concluſio, quia centrum grauitatis terræ eſt idem cum centro vniuerſi, vt probauimus: ſed centrum magnitudinis terrę non eſt idem cum centro grauitatis eiuſdem, ergo nec cum centro vniuerſi. Euidens eſt conſequentia, minor elucidatur. Nam partes terreſtris globi non ſunt æqualis grauitatis: ergo non eſt eadem proportio magnitudinis, & grauitatis earum, & totius globi. Antecedens conſtat, cum aliquæ partes terræ ſolidiores ſint aliis, & præ aliis humiditate, lapidibus, & metallibus refertæ, quæ inæqualem grauitatem præ ſe ferunt. Sine fundamento enim quis fingeret, æqua proportione ea omnia verſus omnes circumferentiæ partes eſſe diſtributa. Tandem probatur: nam vel ſermo eſt de centro magnitudinis ſolius terræ, vel de centro magnitudinis totius globi ex terra, & aqua compacti: aſt neutrum poteſt eſſe idem cum centro vniuerſi. Vera igitur omnino eſt noſtra concluſio. Maior probatur de centro ſolius terræ: nam terra ea parte, qua aquis tegitur depreſſior valde eſt, vt ex quæſtione ſequenti conſtabit: igitur minus habet profunditatis, ac proinde centrum magnitudinis illius non erit ſimul cum centro vniuerſi. De centro autem magnitudinis totius globi ſimiliter probatur. Primo, quia partes terræ, & aquæ inæqualis ſunt ponderis: ergo non poſſunt habere idem cētrum magnitudinis, & grauitatis. Cum igitur habeant idem centrum grauitatis cum centro vniuerſi, nequeunt habere idem centrum magnitudinis

gnitudinis cum ipſo. Deinde in hoc globo, vt quæſtione ſequēti probabimus, excelſior eſt terra diſcooperta, depreſſior aqua: ergo non æquè diſtat ſuperficies conuexa vtriuſque à centro vniuerſi, atque adeo non eſt idem centrum magnitudinis globi ex vtraque coaleſcentis, & vniuerſi.

Addendum tamen eſt, prædictas globi inæqualitates præ illius magnitudine parum momenti habere, atque adeo communiter non cenſeri impedire illius rotunditatem, & ideo vulgari quadam æqualitate dicuntur omnes circumferentiæ partes ad centrum vniuerſi comparari: licet enim Occeani cauitas ampliſſima ſit quoad longitudinem quoad profunditatem vero comparatione totius globi perexigua eſt, vt diximus quæſtione 1. & idem eſt de montium altitudine, & hac forte de cauſa communiter Mathematici aſſeruerunt, idem eſſe centrum magnitudinis & grauitatis, huius ſphæræ inter ſe, & cum centro vniuerſi: maximè, quia frequentius loquuntur de hoc globo, relati ad ſtellatos orbes, quorum comparatione inſtar puncti ſe habere demonſtrant. Si igitur globus integer in hac conſideratione, inſenſibilem habet magnitudinem, illius depreſſiones, & prominentiæ non poterunt alicuius momenti eſſe. Obiter tamen admonitos velim Philoſophos noſtros, ne facile moueantur quouis Mathematicorum aſſerto. Cum dicitur globus terræ, & aquæ inſtar puncti ſe habere comparatione cæli, non eſſe id accipiendum abſolutè, ſed quoad noſtrum aſpectum: abſolutè enim verum habere nequit, cum diuiſibilis ſit, & tot regionum ſpatiis longe, lateque diffuſus, & proportionem cum cælo habeat, ſiquidem aliquoties repetitus cæli magnitudinem adæquabit; quæ puncto conuenire repugnat: intelligitur ergo quo-

ad

ad noſtrum aſpectum,& adhuc non relatè ad inferiores orbes:comparatione enim orbis Veneris. Mercurij, & Lunæ fatentur Mathematici habere hunc globum notabilem magnitudinem, & ratio id demonſtrat,quia terra,vt ex Geographorum diſciplina conſtat,multo maior eſt quàm Luna. Aſt Luna comparatione ſui orbis nobis non apparet inſtar puncti, ſed ſenſibilem exhibet quantitatem:igitur id potiori iure de ſphæra terræ, & aquæ aſſerendum eſt. Quæ ratio accommodari poteſt orbibus Veneris, & Mercurij, & idem ſuo modo admittunt Mathematici de ſphæris Martis, & Solis, licet comparatione horum paruæ admodum magnitudinis globus noſter videatur. Comparatus igitur ad complexum firmamenti Iouis etiam, & Saturni inſtar puncti ſe habet, nobis non oſtentans ſenſibilem magnitudinem, quod vno conſenſu tradunt Mathematici cum Ariſtotele 1. Meteororum capite 14. vt teſtatur Pater Clauius ad caput 1. ſphæræ,pagina 149. & Patres Conimbricenſes lib.2.de cælo ad caput 14.quæſtione 2.articulo 2.Probatur,quia quælibet ſtellarum, quæ in firmamento micant,ſe habet ad noſtrum aſpectum inſtar puncti indiuiſibilis, ſed quælibet ſtella firmamẽti,quæ viſu percipi poteſt, magnitudine vincit terram, & aquam ſimul ſumptas, Aſtrologis teſtantibus:ſphæra igitur terræ, & aquæ non plus momenti habebit comparatione firmamenti, quàm punctum.Præterea ex quauis terræ parte eodem tempore eadem magnitudo,& diſtantia eiuſdem ſtellæ deprehenditur à diuerſis Aſtronomis, ſed hoc non poſſet euenire, ſi noſtri globi magnitudo alicuius momenti eſſet,comparatione cæli quoad noſtrum aſpectum,vt per ſe liquet: igitur quamuis terræ partes inter ſe diſſitæ ſint, nullam habent ſenſibilem diſtantiam, re-

ſpectu, firmamenti.

Tertio denique ex quacumque terræ, mariſque plaga, medietas cæli, & ſex ſigna Zodiaci, ſupra Orizontem apparent, ſex aliis infra abſconditis, ac proinde cælum diuiditur in duas partes æquales, quoad noſtrum aſpectum, vt obſeruant Mathematici, igitur globus terræ, & aquæ habet ſe ad circuitum firmamenti, vt quidpiam indiuiſibile; probatur conſequutio, quia ſi hæc ſphæra comparatione firmamenti aliquid haberet magnitudinis ſenſu perceptibilis, etiam ea ſphæræ portio, quæ inter eius centrum, & extimam ſuperficiem intercipitur: alicuius eſſet quantitatis, ac proinde hæc ſuperficies vltima non diuideret cælum in duas æquales partes, ſicut diuideret oculus in centro exiſtens contra manifeſtam Mathematicam obſeruationem. Concludamus ergo, globum ex terra & mari compactum inſtar puncti ſe habere, quoad noſtrum aſpectum relatè ad firmamentum; & idem eſt, ſi referatur ad ſphæram Iouis, & Saturni, ſecus comparatione aliorum orbium, vt diximus.

QVÆSTIO III.

An terra ſit altior mari, depreſſiorve.

CONueniunt Doctores Philoſophi, & Mathematici communiter ex terra, & aqua, vnum componi globum, eodem communi circulo concluſum: Quamuis enim aquæ natura ſua totam terram tegere expoſcerent, & illis prima die creationis vndique globus perfectè circularis terræ fuerit coopertus, vt tradi videtur Geneſis 1. & docet D. Damaſcenus 2. de fide, cap. 9. & 10. Pater Molina 1. par. tractatu de opere

re ſex dierum diſputatione 11.licet D. Tho.1.par.qu. 69.ad 2.oppoſitum indicet.Ob animalium tamen habitationem,hominum præſertim,in vnum locum,tertia die redactæ ſunt, ex ipſis, & terra vnica ſphæra compacta. Quod ex eo demonſtratur à Patre Clauio ad caput 1. ſphæræ, quia aqua, & terra demiſſæ per eandem lineam quam breuiſſimam ſublatis impedimentis deorſum feruntur,non minus quam duæ partes terræ, vt experimento conſtat manifeſto: at hoc nullatenus ſtare poteſt,niſi idem eſſet vtriuſque centrum, cum nequeant diuerſa centra eadem via occupari,igitur aqua,& terra idem petunt centrum,& eundem globum conſtant.

Secundo idem conuincitur, ex Lunari ecclypſi, quia eam non patitur Luna,niſi cum ex diametro Soli opponitur, & tunc vnica tantum obſcuratur vmbra,ſed ſi alius eſſet globus diſtinctus aquæ,duplex in Luna vmbra deprehenderetur,& his planetis exiſtentibus, ſine diametrali oppoſitione, ecclypſis contingeret, ſiquidem poſſet globus aquæ extra centrum mundi ſitus illis interponi: manifeſtum igitur eſt, ex vtroque iſto elemento vnum confici globum,etſi non ad Geometricam rotunditatem perfectum, eminentiæ tamen, & inæqualitatis non magni momenti. Quod ſi ſenſus globoſam figuram non diſcernit, ſed potius planam eſſe iudicat, ideo eſt, quia magnitudo huius globi ita ſenſim in tumorem ſe attollit, vt per ſenſum non diſcernatur.

Verum in hac globi inæqualitate explicanda magnum eſt inter Doctores diſſidium, quidam exiſtimant, mare eleuatius eſſe terra; hoc eſt, conuexam aquæ ſuperficiem diſtantiorem eſſe à centro mundi, propinquioremque cęlo,quàm eam ſuperficiem terrę, quæ aquis diſcooperta eſt. Ita Burgenſis ad caput 1.

Geneſis, Ibidem Catherinus, addens non putare ſe quenquam ſapientem vnquam de hoc dubitaſſe. Accedit Tullius libro 2. de natura deorum. Et fauet D. Thom.1.part.quæſt.69.art.1.ad 2. necnon Diuus Baſilius homil.4.Hexameron, quamuis non eodem modo id explicent. Probari poteſt primo hæc ſententia, ex ſacra pagina, in qua ſæpe ſignificari videtur, aquas eſſe terra altiores, & non ſine miraculo, & Dei imperio cohiberi, ne iterum operiant terram. Prius habetur Pſal.103. *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius*, id eſt terræ. *Super montes ſtabunt aquæ:* hoc eſt, eminentiores erunt montibus, & eos tegent, idem ſignificatur Pſal.68. *Veni in altitudinem maris*, & Eccleſ.39. *In verbo eius ſtetit aqua, ſicut congeries:* quæ plane indicant mare eminentius eſſe littore. Et poſterius traditur infra: *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: neque conuertentur operire terram.* Id ipſum ſumitur ex Prouer.8. *Legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Denique Ieremiæ 1. dicit Deus: *Me non timetis, qui poſui arenã terminos mari, præceptum ſempiternũ, quod non præteribit.* Si autem terra eſſet eleuatior mari, quid mirum ſi aquis non operiretur? aut in quo potentia Dei commendaretur? cum terræ altitudo naturaliter aquæ ne id faceret, impediret. Secundo probatur, quia flumina è mari ducunt originem, iuxta illud Eccleſiaſtes *Ad locum vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Igitur altius eſt mare quàm terra. Probatur conſequentia, quia flumina è montium faſtigiis frequentius effluunt, aſt aquæ natura ſua aſcendere nequeunt, vt pote graues, & quæ non plus per meatus, & venas aſcendant, quàm prius deſcenderint, vt teſtatur experientia. Igitur mare, vnde exire dicuntur, eleuatius eſt montibus, ac per conſequens vniuerſo terræ globo, id quod experientia confirmat, cõ-

ſtat

ſtat enim ſenſuum iudicio, teſte Baſilio ſupra, mare rumbrum terra altius eſſe, & in vniuerſum id nauigātes affirmant, quibus ad littus properantibus terra infra mare videtur iacere, & quo magis accedunt, eo montium vertices v. g. magis attolli videntur, quod neutiquam eueniret, niſi terra mari eſſet depreſſior.

Tertio à priori probare videtur, quia iuxta naturas rerum, corpus minus graue conſtitui debet ſupra illud, quod grauius eſt: ſed aqua minus grauis eſt, quàm terra, teſte Ariſtotele primo de cælo capite octauo, & Diuo Thoma ibidem, communique ſenſu: igitur natura ſua ſuapra terram quieſcere exigit. Sic ergo à natura, naturæve auctore conſtitutum eſt, cum fieri potuerit: & alias neutrum elementum in naturali ſede reſideret, ſed perpetuo eſſent violentia, cum neceſſario ad hoc fuerit, terræ partes attollere, vt aquæ in earum cauitatibus exciperentur, ac proinde fruſtra eſſet aquę inclinatio conceſſa, vt ſupra terram ſiſteret, & terræ, vt ſupponeretur aquis. Quarto denique hæc ſententia corroboratur. quia, vt quæſtione pręcedenti diximus, centrum grauitatis huius globi ex terra, & aqua compacti, debet eſſe ſimul cum centro vniuerſi, ſed hoc fieri nequit, niſi aqua elatior ſit terra, hoc igitur fatēdum eſt. Minor, in quo tota eſt difficultas elucidatur, quia cum globus conſtet partibus inæqualis grauitatis, ita vt verſus aliquam partem circumferentiæ partes grauiores exiſtant, verſus aliam minus graues, implicat, idem eſſe centrum magnitudinis illius globi, & grauitatis eiuſdem, vt ex dictis ſupra conſtat. At partes aquæ minus graues ſunt, quam partes terrę, igitur ſecundum illam partem circumferentiæ, qua eſt aqua, eleuatior eſt globus iſte, vt ſic partium multitudine compenſetur defectus grauitatis, & huius centrum cum centro vniuerſi penetretur.

Quamuis relata ſententia probabilis ſatis ſit, veriſimilior tamen nobis apparet oppoſita, quæ ſcilicet tenet, aquas maris non eſſe eminentiores, ſed depreſſiores potius ea parte terræ, quæ aquis diſcooperta eſt. Hanc ſententiam amplectuntur Lyppomanus, Caietan. & Honcala ad caput 1. Geneſis. Ægidius libro 2. Hexameron, cap. 27 Contarenus lib. 2. de elementis. Pater Clauius ad caput 1. ſphæræ, pag. 528. PP. Conimbricenſes 2. de cælo, cap. 14. quæſt. 4. art. 1. Pereira in opere tertię diei, circa illa verba, *Congregentur aquæ*, & præ omnibus P. Moli. 1. par. tract. de opere ſex dierum, diſputatione 11. cum pluribus recentioribus, & quod plus eſt, eam tuentur D. Hieronym. in illud Pſal. 32. *Congregans, ſicut in vtre aquas maris.* Diuus Chryſoſtomus Homilia 9. ad populum Antiochenũ, D. Aug. in Pſal. 135. & idē videtur ſentire D. Damaſ. lib. 2. fidei orthodoxæ c. 9. & 10. Quæ ſententia probatur primo ex ſacris literis, quæ teſtantur, Deum ſuper aquas conſtituiſſe orbem terrarum, quod in alio ſenſu non poteſt aptè accipi, Pſalmo 23. *Ipſe ſuper maria fundauit eum.* Et Pſalmo 135. *Qui firmauit terram ſuper aquas.* Dicuntur etiam ibidem qui nauigationi ſe tradunt, deſcendere, Pſalmo 106. *Qui deſcendunt mare in nauibus*, & id ipſum comprobant plura loca allata pro priori ſententia: & illud Pſalmi 32. *Congregans ſicut in vtre aquas maris.* Hoc eſt, in cauitatibus terræ. Idem habetur Iob 26. & 38. vbi dicitur Deus circumdediſſe mare terminis, oſtijs, & vectibus, quæ intelligi nequeunt, niſi de terra, mari eleuatiori. Probatur præterea noſtra ſententia duplici experimento, nam manifeſte à nautis deprehenſum eſt, cum nauis è portu ſoluit, æquali vento, velocius ferri, quam cum portum petit. Præterea, qui è veteri nauigant in nouam Hiſpaniam, quindecim gradibus trãs-

actis

actis obſeruant, vna hora citiùs oriri, & occidere Solem Luſitaniæ incolis, ſed neutrum contingere poſſet, niſi mare depreſſius eſſet terra, hoc igitur neceſſario aſſerendum eſt. Minor probatur, quia nauis æquali ventorum flatu velocius pergit, cum deſcendit ipſo naturali pondere deorſum impellente, ſegnius vero, cum aſcendit eodem pondere reluctante: at ſi mare in tumorem ſupra terram eleuaretur, nauis, cum ſe in altum dat, proculdubio aſcenderet, tardius igitur tunc moueretur contra experientiam. Altera vero pars minoris ex eo liquet, quia exiſtentibus in locis ſublimioribus, etiamſi ab oriente longius abſint, citius Sol apparet, vt in montium faſtigiis conſtat. Igitur, ſi mare ſupra terram eleuaretur, non poſterius, ſed prius nauigantibus Sol oriretur, contra quod experimento compertum eſt. Deinde probatur ratione quia in medio maris plures viſuntur inſulæ ſupra aquas eleuatæ, ergo in vniuerſum terra diſcooperta ſublimior eſt mari. Probatur conſequentia, nam ſi aqua eſſet altior terra, & in tumorem globoſum coiret, medium maris proculdubio eleuatius eſſet: ergo ſi in ipſo maris medio, partes terræ eminent, falſum omnino eſt, mare eſſe terra ſuperius, ſed oppoſitum fatendum eſt. Vlterius probatur, quia flumina omnia prono curſu intrant in mare: ſed fieri hoc nequit, niſi mare ipſum depreſſiori loco iaceat; hoc igitur aſſerēdum eſt. Maior, præterquam quod expreſſa eſt, in ſacris litteris, nulli non ad ſenſum patet. Minor probatur, quia fluuiales aquæ naturaliter mouentur ab inſita grauitate, ergo mouentur motu deorſum; alias aſcendere dicerentur, non ſine violentia: igitur mare, in quod tendunt, depreſſius terra eſt, vnde deſcendunt. Maxime cum non moueantur flumina, per cacumina montium, ſed frequentius per inferiores valles.

Vltimo

Vltimo tandem à priori probatur, quia aquæ poſtquam redactæ ſunt in vnum locum eiuſdem prorſus naturæ, & inclinationis naturalis ſunt, ac in triduo, antequam congregarentur, cum eadem ſemper perſtiterit ſubſtãtialis forma, eadẽ ſemper motrix facultas. Sed ante collectionem earum inclinabant ad centrum vniuerſi, ad exiſtendum videlicet, quo viciniores poſſent, centro, ſalua conſiſtentia terræ circa illud ad decliuiora ſemper fluentes, alioqui tunc temporis violenter detentæ eſſent aquæ tegentes terram; igitur ad idem modo etiam propendent. Quod etiam confirmat euidenter aquæ motus naturalis, quo ſublatis impedimentis per eandem omnino lineam, qua terra, quam breuiſſime in centrum vniuerſi tendit: igitur fieri nequit naturæ viribus vt aqua ſuper terram in tumorem eleuetur, ſed inferior ſemper exiſtet. Probatur hæc vltima conſequentia, quia nullum habet impedimentum, quominus deorſum profluat: ruet igitur & terram operiet, vel ſaltem ſemper aqua niteretur terram obruere, & ab eo conatu inhibita perpetuam vim pateretur, Deo indeſinenter miraculum patrante.

Nec ſatisfacit Caietanus, reſpondens, ideo aquas non deſcendere ad operiendam terram, etſi eleuatiores ſint, nec violenter detineri. quia in figuram circularem natura ſua effinguntur, nam in primis inde fieret, aquas in prima conditione violenter terram vniuerſam operuiſſe, & ideo productas non fuiſſe in ſtatu naturali; quod abſurdum eſt, & contra Auguſtinum lib. 7. de ciuitate Dei c. 30. & idem dicẽdum eſſet de tempore diluuij, vnde tunc duplex contigiſſet miraculum; immo ſuperflueret ruptio cataractarum cæli, cum ad id ſufficeret, mare terra eminentius ſupra ipſam deſcẽdere. Prætcrea ex eo quod aqua deſcende-

ret,

ret,& operiret terram, non admitteret circularem figuram,ſed eam haberet, ſicut habuit in prima conditione,denique licet modica aqua figuram efficiat circularem,vt à contrariis tuetur,eam tamen nequit retinere in magna quantitate acceſſu grauitatis appetitum illud longe ſuperante,vt experimento liquet, & alias flumina in mare non laberentur nec defluerent aquæ ad terram depreſſiorem operiendam,ſed in circularem figuram ſuper terram extollerentur. Et contra reſponſum, & doctrinam Caietani manifeſte reuincitur ex motu aquæ ad centrum vniuerſi per lineam rectam.

Et aquam non extolli ſupra terram in figuram globoſam demonſtrant etiam duæ rationes initio allatæ ad oſtendendum ex terra, & aqua vnum effici globum. Quamuis igitur initio temporum aquæ vt natura elementorum poſtulabat, vndique operirent ſuperficiem terræ omni ex parte rotundæ, teſte Damaſceno ſupra tertio iam creationis die in vnum locum ſegregatę ſunt,terra diſcooperta maxima ex parte relicta, id naturali fine in quem condita eſt exigēte,vt ſcilicet, apta redderetur,ad hominū,terreſtriumque animalium,ac volatilium habitationem,& procreationem, nec non ad frugum, plantarumque generationem.Id quod in hunc modum rerum conditor Deus effecit,extulit quibuſdam ex partibus terram,ita vt ſuper aquas emineret, manerentque cauitates maximæ inter terram hinc inde variis in locis eleuatam, & tunc naturali motu aquæ defluxerunt ad cauitates interceptas,quibus vt alueis continerentur, & per varios anfractus terram ferme totam permearent, quo etiam ipſis elementis prouiſum eſt, vt ſic terræ partes magis inter ſe humore aqueo cohærerēt & fructus inferaciores redderentur. Aquę etiā conti-

nua

nua aeris incluſi in terreſtribus cauernis conuerſione iacturam ex Solis,& aſtrorum virtute prouenientem indeſinenter reſarcirent. Quomodo omnia quidem recte conſtant,iuxta ipſarum rerum naturas, & inditam exigentiam,quod amplius ex argumentorum ſolutione conſtabit.

Ad quorum primum deſumptum ex variis Scripturæ locis reſpondetur, ex doctrina Caietani ibidem, Pſalmo illo 103.vſque ad illa verba,*ab increpatione tua fugient*, loqui Vatem Regium de terra, & aquis, vt erant à principio, antequam tertia die ſepararentur in vnum locum;vt pendenti Pſalmum illud fiet manifeſtum,in ſequentibus vero,de ipſarum congregatione, & de termino illis poſito. Sumitur autem futurum, ſtabunt, & fugient, pro præterito imperfecto, teſte Eugubino, ibidem, quia illo carent Hebræi, dicitur,ſuper montes,hoc eſt ſuper terram, quæ nunc in montes extollitur. Præterea dicitur altitudo maris profunditas illius,non quia ſit terra eminentius: cum vero aqua ſtetiſſe dicitur,vt congeries:intelligitur bene à Lyrano de aqua Iordanis,& maris Rubri,in tranſitu filiorum Iſrael, vnde nihil contra nos colligitur. Et licet intelligeretur de prima illa congregatione aquarum in vnum locum, pro nobis locus ſtaret, ſtatim enim additur:*ſicut exceptoria aquarum*,id eſt, cauitates extiterunt,in quibus aquæ congregatæ ſunt.Poſteriora Scripturæ loca noſtram confirmant ſententiam,ſiquidem in illis dicitur;Deus terram, vt terminum aquis poſuiſſe, ad quod eleuatior eſſe debuit: commendatur tamen diuina potētia, in eo,quod cum natura elementorum exigat, vt aqua terram operiat, Deus ſua potentia in terræ cauitatibus aquam incluſerit,terram ſuper aquas eleuando, quam fluctus maris intumeſcentis non tranſgrediantur.

Ad

Ad ſecundum argumentum multi multipliciter reſpondent : aliqui fatentur flumina proxima , & per ſe ex mari oriri ; & ideo altius eſſe mare his terræ partibus,in quibus fontes , & flumina naſcuntur. Abſolute tam eſſe depreſſius,quia non effluent ex partibus terræ : quæ propè mare diſcoopertæ ſunt, verum hæc ſolutio ab omnibus fere refellitur , & merito quidem : cum enim ex terra,& aqua vnicus conficiatur globus , vt diximus ſi terra ſecundum partes diſcoopertas prope ipſum mare , & flumina altior eſt aqua , reliquæ omnes partes terræ , eadem cum illis ſuperficie contentæ , propinquiores erunt cælo , & à centro mundi diſtantiores , quàm aqua , ac proinde non poterit in illas aqua maioris erumpere , niſi aſcendendo. Et ideo reſpondet Diuus Thomas in ſecundo , diſtinctione 14. quæſtione prima , articulo primo ad quartum cum aliis , aquam fluuiorum è mari ſurſum trahi virtute corporum cæleſtium;communis boni gratia , quæ reſponſio difficilis apparet ex eo , quòd ad virtutem occultam , vt ad aſylum confugit , non apparet , cur cælorum influxu in hoc potius , quam in alio loco continuo erumpant aquæ , ſurſumque euocentur , maxime cum influendi ratio pro diuerſitate cæleſtis motus , acceſſus , & receſſus ſtellarum , reſpectu eiuſdem loci paſſim diuerſificetur. Quapropter recentiores nonnulli doctiſſimi in huius ſolutionis explicationem addiderunt , licet verum ſit , aquam non plus natura ſua poſſe aſcendere , quàm deſcenderit cæteris partibus , ratione tamen extrinſeci impellentis optime id poſſe contingere & hac de cauſa fontes , & flumina è mari oriuntur in partibus terræ eminentioribus,quia ſcilicet dum aqua maris per terræ criptas,& cauernas deſcendit,& quaſi

tran

tranſcollatur, ſubtilior fit,& minus grauis, depoſita terreſtrium concretionum admixtione, vnde ex amara, & ſalſa redditur dulcis:cū igitur pars aquæ præcedens deſecatior, & leuior ſit poſteriore,illi cedit, & locum relinquit,& quoties aliunde non paret aditus, ſurſum aſcendit per terræ cauitates,impellente poſteriori ratione ſuæ grauitatis, & denſitatis,id quod in fontibus arte factis non ſemel vidimus, & quia in montibus maiores eſſe ſolent terræ anfractus, & foramina,hinc prouenit,vt ex illis facilius flumina prærumpant.Quæ ſolutio mihi valde arridet, & non videtur aptior alia excogitari poſſe, in doctrina ſancti Thomæ, exiſtimantis flumina, & perennes fontes copioſos è mari proxime oriri, quæ quidem multum conſonat, & ſacris litteris, & rationi: incredibile enim videtur, tam ingentem & perennem aquæ copiam è mari non egredi, ſed aliunde perpetuo generari.

Si autem amplectamur ſententiā Ariſt.1.Meteororum c.13.quam profitetur ſchola Pariſienſium,& cum aliis pluribus Pater Molina ſupra,aſſerentem,flumina non immediate à mari ortum ducere,nullius momenti eſſet argumentum factum. Quæ quidem ſententia congruenter ſatis,& magna comprobabilitate defendi poteſt hac ratione: terra, vtpote ſicca, vim habet attrahendi ad ſe humorem,eum quaſi ſugendo, vt in aliis rebus ſiccis,ſpongia v.g.videre eſt,quæ virtus in aliquibus terræ partibus magis vigere poteſt, ratione cuius humiditatis, & vaporum, qui virtute Solis in aliquibus terræ cauernis, excitantur & aggregantur, aer, ibidē incluſus in aquā cōtinuo conuertitur,& foras erumpit,ad quod plurimum iuuat pluuialis aqua, tum quia in eiſdem cauernis recipitur, vnde paulatim illabitur,& ad orificium fontis accurrit, & etiam per terræ

terræ ſuperficiem vndique ad fluuiorum alueos profluit. Tum quia inde maior vaporum copia, quæ in aquam conuertatur, extat: tum denique, quia terra pluuialibus aquis madefacta, minus conſumit aquæ pluuialis, & ex vaporibus, & aeris condenſati intra ipſam genitæ, potentiorque euadit, ad maiorem aeris copiam condenſandam, & in aquam conuertendam: quoniam verò tam aqua pluuialis, quam ſubterranea ex vaporibus, & humore, ac frigiditate aquea ortum ducit, ideo merito dicuntur fontes & flumina ex mari exire, ad quod iterum reuertuntur. Vno igitur, aut alio philoſophemur modo, nihil probat argumentum. Ad experimenta vero in illius confirmationem adducta reſpondeo, neganda prius, & pari ratione negari poſſet poſterius, verum vtroque dato reſpondendum eſt, plane decipi ſenſum, cuius deceptionis cauſa ea eſt, quia terra comparatione maris, atra fere videtur, qui color iuxta candidiorem poſitus profundior, & depreſſior apparet, ob quod pictores putei, aut alterius rei, profunditatem colore atro depingunt, circumpoſito candido, ſeu ad candorem magis accedenti.

Ad tertium reſpondetur, integrum ſyllogiſmum probare de elementis, iuxta propriæ naturæ exigentiam, & de triduo creationis, non deinceps: licet enim aqua natura ſua terram regere poſtularet, in eum finem, quem diximus, in vnum locum terræ terminis incluſa redacta eſt, & ideo vtrumque elementum non remanſit ex toto in ſua natiua ſede, neutrum tamen violentiam patitur, quia terra non nititur aquæ, nec hæc habet ſupra ſe, niſi aerem, ſicut in puteis, neque aqua inferior, neque ſuperior terra circumdans concauum putei violenta eſt, quia ſcilicet hæc non aquæ, ſed terræ inferiori exiſtenti perpendiculariter verſus

centrum innititur, & aqua ſolum ſupra ſe aerem habet: neque ideo fruſtra eſt inclinatio aquæ, vt terram tegat, cum initio, & diluuij tempore eam ambierit, maximè, quia aqua non exigit per ſe primo terram circumdare, ſed verſus centrum moueri, & prope illud quam proxime poſſit, quieſcere, nullo corpore minus leui interiecto, & ideo ſi terra ſubtraheretur, & via aquæ ad centrum pateret, illuc vſque naturaliter moueretur, in eoque naturaliter quieſceret, ſolum igitur contra naturam vtriuſque elementi eſſet, ſi grauius, nempe terra, ab aqua minus graui ſuſtentaretur, quod nullatenus hic accidit, ideoque argumentũ non vrget.

Ad quartum reſpondetur, maiori admiſſa, negando minorem, & ad illius confirmationem dicendum eſt, maiorem illam veram eſſe, ſi aliunde illa maior grauitas non compenſetur, vt in præſenti contingit, partes enim terræ, quæ aquis ſubiacent, ratione humoris aquei, abſente, etiam ventorum afflatu, & Solis ardore plus habent denſitatis, & grauitatis, quàm ſicciores aliæ, quæ ſupereminent, vt per ſe conſtat, & ideo licet minoris ſint profunditatis, & aqua tegens minus grauis, quam terra, vtraque ſimul æqualis grauitatis eſt, cum alia circumferẽtia terræ aquis diſcooperta, ideoque optimè poteſt eſſe idem centrũ grauitatis huius globi, & vniuerſi, quamuis terra eleuatior ſit aqua.

Si verò aliquis nobis obiiciat, quòd, præter morem noſtrum amplexi ſimus opinionem contrariam S. Thom. & D. Baſilio, huic facilè reſpondemus, quamuis S. Doctor oppoſitam inſinuauerit, non tamen ex inſtituto docuiſſe, ſed ad ſoluendum quoddam argumentum, ad quod eligi ſæpè ſolet. Et ſufficit opinio tantum probabilis, & ideo ipſius commentator Caietanus ſupra noſtram tradidit ſententiam, exiſtimans ſine dubio, in hoc S. Thom. non contrariari. Baſilius autem

autem non de re ipſa,ſed de eo, quod ſenſibus apparet,loquutus videtur.Cum tamen plures Patres ſupra citati noſtram ſententiam perſpicuè tradiderint.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm terra in medio mundi quieſcat, vel aliquo modo moueatur.

QVamuis ex ſuperius dictis breui poſſit hæc controuerſia definiri: tamen vt clarius eius ſenſus innoteſcat,operæpretium erit,diuerſa auctorum placita circa ipſam referre,quæ quidem tot ferè extitere, quot capita. Fuit enim de hac re magnum apud auctores antiquiores præſertim diſſidium,vt apertè cōſtat ex Ariſtotele ſupra libr.2. cap.13. & 14. Nicheas enim Syracuſius exiſtimauit, terrā ſumma velocitate volui,cui addidit Philolaus in gyrum verti inſtar Solis & Lunæ,circum ignem tamen. Ponticus Heraclides,& Lephantus iudicarunt,terram velut rotam agi circa ipſius centrum ab oriente in occidentem. Aliqui vero ex Mathematicis recentioribus non dubitarunt pronunciare,terram circulariter cieri ab occaſu in ortum corporibus cæleſtibus omnino immotis. Democritus ipſam à prima origine aberrantem poſuit ob exiguitatem, leuitatemque.Thales denique credidit, terram aquis more nauigij vehi. Quorum omnium fundamentum ex aliquibus obſeruationibus deſumptum videtur.

Alij vero ex oppoſito aſſeruerunt, terram omnino immotam ſemper perſiſtere,ex diuerſo tamen principio,vt ex Ariſtotele lib.2.cap.13.retulimus,vbi diuerſæ huiuſce rei explicationes, & earum refutationes videri poſſunt, neque enim hoc loco repetere fas eſt.

Hanc ſententiam multi hoc tempore indiſcriminatim amplectuntur, amplexique ſunt à tempore Ariſtotelis omnes fere Philoſophi, & Mathematici; quæ probari ſolet multis argumentis. Et quod non moueatur motu circulari demonſtratur primo ex Scriptura Eccleſiaſt. cap. 1. *Terra autem in æternum ſtat, oritur Sol, & occidit, & ad locũ ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem:* Et de eodem Sole dicitur Pſal. 12. *Exultauit vt Gigas ad currẽdam viam, &c.* Quod verum nullatenus eſſet, ſi Sole quieſcente terra in orbem circumuolueretur, quo certè ad rem præſentem confirmandam nil clarius dici potuit. Ratione id ipſum probatur primo, quia nequit terra circulariter moueri naturaliter, nec mouetur vi ab extrinſeco impreſſa; nullo ergo modo. Antecedens oſtenditur, Terra enim natura, virtute, & pondere deorſum fertur, vt conſtat ex partibus terræ à loco ſuperiori demiſſis, & tamen eadem eſt inclinatio totius ſimplicis, & elementaris, ac partium illius: ergo natura ſua & à virtute propria nequit terra circulariter volui; cum nequeat eidem corpori ſimplici duplex motus naturalis à principio intrinſeco conuenire; ſed neque terra mouetur in gyrum ab extrinſeco, tum quia nullum eſt mouẽs, à quo hoc motu moueatur tota terra, tum quia talis motus eſſet violentus, cum eueniret ab extrinſeco reluctante propria grauitate, & nullum violentum perpetuitatem patitur. Prꝗterea probatur, quia ſi terra circulariter moueretur, à Septentrione ad Meridiem, aut econuerſo, fieret inde contra id, quod experimur, vrbes horis ſingulis mutare diſtantiam ad polos, & nunc nos Articum intueri, poſtmodum Antarcticum: ſi verò ab occaſu in ortum, vel è contrario, ſequeretur ſingulis noctibus eaſdem ſtellas nobis diuerſo tempore occidere, & naſci: nec certo poſſe ab

aſtrono

aſtronomis obſeruari ſolis & lunæ eclypſis, ſiquidem pro hemiſphæriorum diuerſitate, planetarum, & ſyderum aſpectus quo ad nos variari neceſſe eſt, quibus ſanè manifeſtum experimentum aduerſatur. Denique nullum corpus inanimatum à propria virtute mouetur circulariter in proprio loco, nec à motore extrinſeco in ordine ad propriam perfectionem; cum hæc potius ſita ſit in permanentia in loco naturali, ſed neque eſt finis extrinſecus, in quem motus circularis terræ ordinari poſſit, ſicut contingit in motu cæleſti, igitur terreſtris globus nulla ratione in orbem cietur, id quod ex dicendis amplius conſtabit. In vniuerſum tamen, quod terra in medio mundi nulla ratione moueatur, probari poteſt primo ex ſacris literis, quæ omnimodam terræ immobilitatem videntur planè commendare. De ea enim dicitur Pſal. 74. *Ego confirmaui columnas eius*, Iob 26. *Qui appendit terram ſuper nihilum*. Sed expreſſius Pſal. 92. *Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur*. Idem habetur Pſal. 103. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi*. Et Paralypom. cap. 16. *Deus fundauit orbem immobilẽ*. Quid expreſſius pro præſenti inſtituto? Ratione probatur de motu recto: nam aut terra moueretur in medio mundi motu recto per propriam virtutem, vel ab extrinſeco motore: neutrum dici poteſt, quieſcit igitur omnino. Antecedens probatur, quia virtus motiua naturalis terræ eſt ſola grauitas, ſed hæc ſolũ poteſt eſſe principiũ motus deorſum, ergo per eã nequit terra ſurſum aſcẽdere. Aſt ſi terra in cẽtro mundi moueretur per lineam rectam, plane aſcenderet, ſiquidem à centro mundi omnium locorum infimo recederet, accederetque ad locum cælo propinquiorem ac eleuatiorem: proinde igitur repugnat naturæ viribus in centro terram motu recto moueri à proprio

pondere, & tamen illi non conuenit alia vis motrix, cum vni corpori ſimplici vne motiua facultas, vnuſque naturalis motus tantum competere poſſit, ſicut conſtat, partibus ipſius terræ cõuenire. Quod autē ab extrinſeco terra in centro nõ cietur, ex eo liquet primo, quia talis motus eſſet violētus, vt pote ab extrinſeco impreſſus, terra ipſa proprio pondere reluctante, ac per conſequens nequiret eſſet diuturnus. Deinde non apparet, à quo terra extrinſece impelleretur, cum nõn ſit aliud corpus grauius, quod eam cogat, locum infimum deſerere, nec à cælo is motus prouenire poteſt; ſi enim cælum raperet terram non linea recta, ſed in orbem ſecum ferret. Denique hanc partem efficaciſſime ſuadent experimenta illa Mathematicorum in ſecundo argumento adducto ad motum circularem terræ relegandam.

Hæc ſecunda ſententia communis Philoſophorum veriſſima eſt, terræ ſiquidem immobilitatem, & natiua eius grauitas, & inclinatio perſuadent, & experientia indicant, & relata Scripturæ teſtimonia ita confirmant, vt prædictum à terra motum excludere neceſſe videatur, vnde, quæ de motu trepidationis ab aliquibus Philoſophis dicta magis oſtendunt, diſputantium acumen, & arguentium exercent ingenia, quam fidem mereantur, & terræ trepidationem ſtabiliant.

Et probatur primo, ſi enim terra cuiuſuis ponderis acceſſu aliquo modo trepidaret, quo maior fieret additio, maior reſultaret motus, qui nullo modo ſenſibus poſſet occultari, & cum tam multiplex ſit indequaque in variis terræ partibus ponderis additio, vt dum copioſiſſimi exercitus inter ſe præliantur, aut magnis ventorum flatibus, turres, aut cacumina montium concutiuntur, aut terra paulo ante ſicca pluuialibus

libus aquis madida ſe ipſa grauior exiſtit, tam multiplex, variaque eſſet terræ trepidatio, vt non minus illa trepidationis motu, quàm ventorum flatibus vnda maris hinc inde agitaretur: at terra nec trepidare, nec contremiſcere ſentitur: quis enim ex his, qui hoc aſtruunt huiuſmodi trepidationem expertus eſt, quo ſolum argumento Pythagoricum illum cæleſtium orbium concentum reiicit Ariſt.

Probatur ſecundo ex ſolitis terrę motibus, qui per vim terræ ſolent accedere ex ingenti copia exhalationum terræ cauernis incluſa, ſiue ibi genita, ſiue aliũde delata, quæ Solis ardore, & maxime ratione antiperiſtaſis introrſus collecta nimis rareſit: quapropter ſurſum aſcendere conatur, occluſo tamen exitu, nec patentibus meatibus ſuperpoſitam terrę partem magno impetu, nec ſine ingenti ſtrepitu interdum concutit, agitat, ſurſumque aſcendere cogit; de quibus ex inſtituto diſſerit Ariſt. 2. Meteororum, c. 7. & experientia patet cum aer terræ incluſus conatur erumpere ſæpe concuſſis montium fundamentis, & euulſa magna terræ parte, etiam vrbibus excidio eſt, ſolum illam partem terræ, quam ſua commotione concutit, & eruptione labefactat, contremiſcere; reliquas vero etiamſi propinquæ ſint, omnino quieſcere, nullusque eſt huiuſmodi violentus motus, qui non percipiatur. Quis ergo dicat minutiſſimi ponderis additione, hanc terrę bilancem in alteram partem vergere: tanta vero erumpentis aeris concuſſione eiuſdem terræ motum non poſſe ſentiri.

Probatur tertio, ex doctrina Ariſtotelis qui lib. 2. de cælo in fine docet, contra rationem eſſe, terræ propriam quietem non concedere, ſicut igni in propria ſphæra, & cap. 3. eiuſdem lib. docet, ex eo quod cælum circulariter mouetur, egere centro immobili, &

lib.4.c.5.docet,terram in ſuperum locum non tendere. Teſtimoniis autem eiuſdem Ariſtotelis, quæ in cõtrarium citari ſolent facillime poteſt ſatisfieri, de impulſu enim virtuali,& de propenſione natiua terræ ad ſuum centrum accipienda ſunt,vt legenti aperte conſtabit. Illis enim Philoſophus terræ propriã quietem potius probat, quam aliquem ipſius motum ſtabiliat.

Probatur quarto, quia globus ex terra, marique compactus(vt altitudines montium, valliumque depreſſiones manifeſtant)non mathematice,ſed phyſicè conſiderandus eſt,quamuis ergo addito,aut detracto quolibet pondere centrum terræ mathematicè ſumptum variari concedamus, & ita cenſeatur terra ponderibus librata ſuis, ex mathematica conſideratione motus phyſicus eliciendus non eſt,ſicut ex non diſſimili argumentatione malè inferebat Zenon, 3. Phyſ. impoſſibilitatem motus per continuum ob infinitatem partium & punctorum,quę redderet ſpatium impertranſibile,quem Ariſtoteles confutauit,& nos,noſtra, ipſiuſque experientia facillime confutamus, qua experimur nos moueri,& ſpatium quodcumque pertranſire, ita adſtruentes, talem trepidationem noſtra & ipſorum quiete conuincemus.

Natiua ergo grauitas terræ (cum maxima ſit) efficit,vt ea locum maxime à cælo remotum,hoc eſt,medium mundi appetat,& naturali nutu eo feratur, ibique fixa conquieſcat, ne aliorſum, niſi per vim educi poſſit:ſiquidem oporteret illam,quocumque motu vel trepidatione è centro vergeret,contra naturam ascendere.

ARIS

ARISTOTELIS STAGIRITÆ, DE CÆLO, ET MVNDO

LIBER QVARTVS.

PRoſequitur Philoſophus in hoc libro 4. eandem ſimplicium corporum diſputationem, de eorum præſertim facultatibus motiuis, grauitate ſcilicet, & leuitate accurate tractans, nec non de locis, ad quæ his virtutibus feruntur, & hic eſt præſentis libri ſcopus, qui proinde longiori non indiget præfatiuncula.

CAPVT I.

Textus Ariſtotelis.

De graui autem atque leui, quid eſt vtrumque, & & quænam eſt natura ipſorum, conſideremus oportet, &c.

Breuis expoſitio textus.

POſtquam Philoſophus in capitis limine demonſtrauit diſputationem de elementis quatenus grauia, & leuia ſunt, ad naturalem Philoſophum propria pertinere, cum ad motum ordinentur, cuius conſideratio, ad illum ſpectat; docet graue, & leue non comparatè ſolũ accipi debere, vt antiqui vſuparunt, ſed et-

iam abſolute,pro eo ſcilicet, quod naturaliter tendit in medium,& quod à medio ſurſum fertur. Sine fundamento enim antiquiores aliqui inficiati ſunt, dari locum ſurſum,& deorſum: extremitas namque, quæ eſt ad concauum cæleſtis ſphæræ, plane ſurſum exiſtit, deorſum vero, quod illi reſpondet in medio vniuerſi.

CAPVT II.

Textus Ariſtotelis.

Eorum igitur, qui prius ad horum conſiderationem venerunt, &c.

Expoſitio textus.

REfert Ariſtoteles in hoc capite aliorum Philoſophorum placita circa corpora grauia, & leuia, qui quidem non expoſuerunt,quid graue, aut leue ſit abſolute,ſed comparate ad alia. Plato in Timæo aſſeruit, grauius id eſſe, quod ex pluribus partibus eiuſdem generis conſtat; leuius, quod ex paucioribus: quod ex eo coarguit Ariſt.quia nullam facit mẽtionẽ de corpore ſimpliciter graui, & leui;cũ tamen iſta ceteris natura priora ſint: deinde, quia ex eo ſequeretur, quod maior ignis plus grauitatis haberet, minor plus leuitatis:immo & maior portio aeris grauior eſſet,quàm minor aquæ,quod patet eſſe falſum,& ideo Democritus, & Leucippus propius ad veritatem accedentes,arbitrati ſunt;cauſam grauitatis, & leuitatis eſſe ſolida in aliorum compoſitionem venientia, ita tamen vt grauitas à pleno corporum proueniat, leuitas vero à vacuo corporibus intercepto. Quod vt

in

inſufficiens refutat Ariſtoteles. Poteſt enim eſſe maius ſolidum cum maiori vacui copia, & in magno igne tot poſſunt eſſe partes ſolidę,quot in exigua terræ portione:cum tamen hæc grauior ſit, vel ipſo teſtante experimento,nonnulli, qui vacuum negarunt, aut grauitatis, & leuitatis non meminerunt, aut illorum cauſas non attigere.

CAPVT III.

Textus Ariſtotelis.

Nos autem primum id definiamus oportet, &c.

Explanatio textus.

Accedit iam Ariſtoteles ad propriam ſententiam explanandam,& prius ſupponit lationem, ſicut alij motus verſari inter contraria, & non è quouis in quoduis tendere,& lationis ſurſum,& deorſum; non omnia corpora capacia naturaliter eſſe, ſed grauia dumtaxat,& leuia,quæ ad hos motus, & illorum terminos, dicuntur eſſe in potentia, & ideo per illos perfici, dum à generante mouentur, quia proprius locus propria corporis perfectio eſt, continens enim habet rationem actus; & perfectionis: grauia igitur & leuia deorſum feruntur, & ſurſum, quia ad talem motum facultatem naturalem grauitatis, & leuitatis ſortita ſunt,& quidē valde perfectam,& ideo latio abſolutiſſimus motus eſt,vt pote ortus à re ſuam perfectionęm,abſolutionemque obtinente. Ratione ergo harum facultatum corpora in loco inferiori, vel ſupero, conſiſtunt, aut ad illa tendunt, nullo exiſtente impedimento; & quia hæ virtutes cum ſubſtantialibus formis à progenitoribus conceſſæ ſunt, ideo

ideo motus grauis & leuis à generanti prouenire dicuntur.

CAPVT IV.

Textus Ariſtotelis.

Differentias autem, & ea quæ, accidunt circa ipſa, nunc dicamus oportet, &c.

Explanatio textus.

ASſignat Ariſtoteles diſcrimen ſimplicium corporum inter ſe, prout grauia, & leuia ſunt, quorum aliqua, terra ſcilicet, & ignis, ſimpliciter grauia, & leuia exiſtunt: alia vero, vt aer, & ignis talia ſunt comparate, leuia ſcilicet, collata ad terram, & grauia comparatione ignis, quas affectiones mixta participāt pro diuerſitate ſimpliciū, ex quibus cōſtant. Quod autē ignis ſit leuis ſimpliciter, & terra ſimpliciter grauis, ex eo probat Ariſt. quia ille ſuper omnia corpora naturæ impetu fertur: hęc vero ad mediū vniuerſi omnium infimum, vnde nec ignis aliquid grauitatis, nec terra leuitatis quidpiam continet: ſed hæc ſumme grauis, ſumme leuis ille cenſeri debet, ſiquidem ad extrema loca oppoſita pergunt, quæ determinata exiſtere compertum eſt; tum quia nequit corpus in infinitū, & in indeterminatum tēdere, tum quia quo magis leuia aſcēdūt, & deſcēdūt grauia, minus inter ſe diſtāt, per æquales angulos ſibi appropinquando, ac proinde coniungi in aliquo puncto remoto obice neceſſe eſt. Inter extrema autem pugnantia medium dari oportet, quod vtriuſque naturam ſapiat, huiuſmodi eſt graue, & leue comparatè, aer ſcilicet, & aqua: inter

quæ

quæ ſimplicia corpora is ſeruatur ordo, vt ſuperius, & perfectius rationem ſortiatur formæ, vt pote continens, ac terminans, quod eorum materiis ſuo modo conuenit, pro vt diuerſas elementorum formas in potentia habent, etſi ſecundum ſe eiuſdem naturæ ſint.

CAPVT V.

Textus Ariſtotelis.

Id igitur, quod talem materiam habet leue eſt, ſemperque ſurſum fertur, &c.

Breuis expoſitio textus.

EX Superius dictis infert Philoſophus, quaternarium elemẽtorum numerum, quia corpus habens materiam perfecte diſpoſitam ad leuitatem eſt ſimpliciter leue, & omnia ſupereminet, quod vero contrariam habet affectionem graue eſt ſimpliciter, omnibusque ſubſtat. Oportet autem duo alia intermedia eſſe, quę medio modo ſe habeant, & extremorũ naturam participent, ac proinde grauia & leuia ſint cõparate: & totidem ſunt materiæ affectæ quadruplici diſpoſitione, non ſolum primarum qualitatum, ſed grauitatis etiam & leuitatis. Ex elementis media, inquit Ariſt. in propriis locis grauitãt, ſi enim inferiora elementa ſubtrahantur, rẽdunt deorſum, vt aqua in locũ terrę, & in locũ aquę aer: cũ tamẽ ſurſum nõ aſcendãt, niſi ad ſupplendum vacuum, habent enim materiam in hoc ſimilem terræ: terra vero in ſuperum locum non tendit, neque ignis in inferiorem, quia nec illa in proprio loco leuitat, vt pote ſummè grauis, nec hic

gra

grauitat, quippe ſummè leuis quatuor igitur ſunt differentiæ qualitatum motricium, & totidem materiæ, ſecundæ videlicet quadruplici vi motiua affectæ.

CAPVT VI.

Textus Ariſtotelis.

Figuræ autem cauſæ non ſunt, vt aut ſurſum, aut deorſum abſolutè ferantur, &c.

Expoſitio textus.

Aliquorum ſententia reiecta, duplicem dubitationem Ariſtotelis proponit, & ſoluit in hoc capite. Falſo itaque exiſtimarunt nonnulli, figuras in cauſa eſſe, cur alia ſurſum, deorſum alia ferantur. Licèt enim figuræ multum conferant ad motuum celeritatem, & tarditatem, ipſos tamē motus per ſe haudquaquam efficiunt. In dubium deinde vocat Philoſophus cur graue corpus latæ figuræ aquis innatet, cum tamen aliud minus graue rotunda, ſeu oblonga figura præditum ſubmergitur? Cur item particulæ grauium corporum in aere ſuſpenſæ volitent? Quibus dubiis reſpondet Ariſtoteles reiecta ſolutione Democriti, id reducentis ad atomos calidas ab aqua emiſſas vtriuſque rationem eſſe, inquiens, quia vt corpus per aerem, vel aquam deſcendat, ea diuidit, & rumpit, ſed corpus latæ figuræ difficilius diuidit elementum ſubiectum, quam alia aliis figuris prædita, cum ſua latitudine multum de ſubiecto corpore comprehendat, quod proinde magis ſectioni reſiſtit: minutiſſimum etiam corpus in aere ſuſpenſum minoris virtutis eſt ad diſrumpendum aerem, vel aquam, quam hæc, vt diui

diuiſioni repugnent. Mirum ergo non eſt, ſi ſuſpenſa ſuſtineantur.

QVÆSTIO I.

De natura grauitatis, & leuitatis ſimplicium corporum.

OMnia, quæ his ſex præcedentibus capitibus tradit Ariſtoteles, duplici quæſtione examinanda ſunt, ita vt nihil eorum, quæ ad naturam facultatum motricium elementorum enodandam ſpectent, miſſum faciamus; & in hac quæſtione breuiter explananda eſt natura grauitatis, & leuitatis. Quid ſcilicet grauitas, & leuitas ſint, & quomodo inter ſe, & ab aliis differant, circa quod communis ſententia eſt, grauitatem, & leuitatem eſſe qualitates ſecundæ ſpeciei realiter, & ſpecie diſtinctas inter ſe, & à ſubſtantia. Primum probatur, quia iſtæ virtutes ſunt principia immediata lationis à medio, & ad medium. Aſt omnis facultas, quæ eſt principium proximum operationis, ſpectat ad ſecundam qualitatis ſpeciem, cum potentia ſit, vel in potentia, ad eam igitur pertinet grauitas, & leuitas. Quod vero realiter diſtinguantur à ſubſtantia, & inter ſe, demonſtrat mutua ſeparatio experimento comperta. Eſt enim leuitas in vno ſubiecto, & grauitas in altero, & vtraque deperditur, aut remittitur, eadem perſiſtente ſubſtantia aquæ v.g. vel aeris: imo è contrario etiam euenit, vt videre eſt in ſpeciebus conſecratis, in quibus grauitas, & leuitas percipitur, cum tamen ſubſtantia panis, & vini iam euanuerit. Cuius ratio à priori eſt, quia grauitas, & leuitas teſte Ariſtotele ſecundo de partibus animalium, cap. 1. totaque annuente ſchola Philoſophorum, cōſequuntur

qua

qualitates actiuas elementorum. At hæ ſeparari optimè queunt ab illorum ſubſtantiis, & inter ſe naturæ viribus, & ſeparatæ exiſtere abſoluta factoris lege: igitur, & facultates iſtæ motiuæ vtrunque habere poſſunt, ac proinde realiter à ſubſtantia, & inter ſe diſtinguuntur, vt res à re: hoc enim euidenter conuincit mutua extremorum ſeparatio. Denique quod grauitas, & leuitas ſpecie inter ſe differant, probatur (à ſubſtantia enim non modo ſpecie, ſed & prædicamento diſſidere nullus iam ambigit) primo ex Ariſtotele qui id expreſſè docuit 5. Phyſicorum cap. 6. lib. 8. cap. 8. & lib. 1. de cælo, cap. 2. & 3. vbi D. Thom. & cum illis omnes alij Doctores. Deinde ratione, quia hę facultates conſequuntur per ſe corpora eſſentialiter diuerſa, & diuerſam ſemper exigunt primarum qualitatum temperiem in ordine ad diuerſum motum locumque diuerſum, & oppoſitum occupandum: eſſentialiter ergo inter ſe differunt. Ex principiis enim adeo diuerſis in ordine ad fines, & effectus etiam diuerſos, nequit per ſe eadem vis ortum ducere. Idque confirmatur ex diuerſitate motuum ſurſum, & deorſum, quorum ſunt principia: vel enim, vt 5. Phyſicorum quęſt. 1. probauimus, hi motus differunt ſpecie, vel ſaltem modus adeo diuerſus cauſandi illos ſufficiens eſt ad diſtinctionem ſpecificam principiorum inter ſe inducendam, aut inferendam.

Rogabit fortaſſe quiſpiam, an grauitas terræ; & aquæ ſpecie inter ſe differant, & ſimiliter leuitas ignis & aeris: & affirmantem partem multis probant recentiores aliqui, quorum præcipuum fundamentum eſt, quia grauitas terræ, & aquæ (& idem eſt de leuitate ignis, & aeris) à diuerſis principiis eſſentialibus, & à diuerſa primarum qualitatum temperie, per ſe dimanant, ac in diuerſa loca natura ſua inclinant, nempe gra

grauitas terræ ad centrum vniuerſi, grauitas vero aquæ ad ſuperficiem conuexam terræ: igitur ſpecie inter ſe differunt, ob hanc enim rationem ſpecie diſtinguitur grauitas à leuitate. Confirmatur, quia grauitas aquæ, & leuitas aeris non ſunt ſimplices facultates, ſed mixtæ; grauitas verò terræ, & leuitas ignis ſimplices ſunt. Aſt facultas ſimplex, & mixta nequeunt eſſe eiuſdem ſpeciei, vt in aliis omnibus per ſe patet, igitur nec grauitas terræ, & aquæ, aut leuitas ignis, & aeris eiuſdem ſunt ſpeciei. Maior videtur expreſſa ab Ariſt. cap. 4. & 5. proximè præcedentibus, aſſerente aerem, & aquam partim eſſe grauia, partim leuia, & extremorum naturam participare, quæ quidem elementa extrema ſimpliciter talia ſunt; id quod ex eo etiam conſtat, quod aqua à loco terræ aſcendit, & aer à loco ignis deſcendit: facultas ergo motrix cuiuſlibet elementi medij principium eſt motus ſurſum, & deorſum, ac proinde mixta, & ſpecie diſtincta à facultate cognomina elementi extremi.

Mihi tamen probabilior ſemper eſt viſa oppoſita ſententia, quam tradit Philop. vt refert Simplicius 2. huius operis commentario 11. & communiter recipiunt recentiores. Ratio verò, quæ me ad hoc aſſerendum impellit, ſic efformatur. Nefas eſt multiplicare entitates, perfectionesve eſſentiales, nulla vrgente neceſſitate; aſt neceſſitas nulla cogit conſtituere duas grauitandi, aut leuitandi potentias ſpecie diſtinctas, fas igitur non eſt, eas diſtinguere. Minor in qua tota poſita eſt difficultas elucidatur, quia grauitas, teſte Ariſt. cap. 1. huius libri, & ſequentibus, cui omnes cóſentiunt, eſt principium motus deorſum, ſeu ad medium, & leuitas principium motus ſurſum, ſeu à medio: grauitas terræ, & aquæ ſunt principia motus deorſum eodem modo, & leuitas aeris & ignis, motus

ſurſum; ergo non ſunt ponenda principia ſpecie diuerſa. Minor proxime præcedens demonſtratur, quia pars aquæ è ſuperiori loco dilapſa innato pondere ſeorſum fertur per eandem omnino lineam, qua deſcenderet terra indidem emiſſa, ſolo intercedente diſcrimine maioris, vel minoris velocitatis, quod certum eſt non ſufficere ad diſtinctionem ſpecificam principiorum inferendam. Confirmatur, quia grauitas aquæ non ſolum eſt principium naturale motus deorſum, ſed etiam motus ad centrum vniuerſi, quantum eſt ex ſe, ſi grauius aliud corpus non ſupponatur: igitur natura ſua eſt cauſa motus deorſum in eundem locum, & eodem modo, ac grauitas terræ, ac proinde eiuſdem ſpeciei cum illa. Illuſtratur antecedēs, nam ſi terra ſuperna vi à loco inferiori extraheretur, vel corrumperetur, aut in ea foramen aliquod ad centrum vſque mundi conſtitueretur proculdubio aqua ſuæ relicta naturæ, ea, qua pollet grauitate, ad centrum occupandum deſcenderet; ex quo euidenter inferri videtur, grauitatem aquæ, & terræ eiuſdem eſſe ſpeciei, & ſolum accidentaliter differre penes maiorem vel minorem intenſionem, & idem prorſus eſt de leuitate ignis, & aeris, id quod ex ſolutione fundamenti oppoſitæ ſententiæ conſtabit clarius: cuius prior antecedentis pars diſtinguenda eſt: principium enim grauitatis terræ, & aquæ tam remotum quàm proximum diuerſum eſſentialiter eſt ſecundum ſe, & quaſi materialiter, non tamē formaliter, & in ratione principij illius: eſt enim ſubſtantia aquæ, & propria primarum qualitatum coniugatio grauitatis principium in ordine ad motum deorſum eiuſdem omnino rationis cum motu naturali terræ, ac proinde in ratione formali principij vtraq; conuenit. Quod autem additur de locorū diuerſitate, ex dictis conſtat, eſſe intelligendum

gendum ex ſuppoſitione, quod terra grauior in centro vniuerſi conſtituatur ſecus verò ſi inde extrahatur aut locus detur aquæ deſcendẽti,tunc enim ad centrũ vſque aqua pertingeret,quod aliter accidit in corpore leui,& graui,vt per ſe conſtat,& ideo grauitas, & leuitas ſpecie inter ſe diſſidẽt,vt diximus.Ad confirmationem verò neganda eſt prior pars maioris propoſitionis,quod ſcilicet grauitas, & leuitas aquæ,& aeris mixtæ ſint,quin potius ſunt omnino ſimplices, vt cõtra Niphium, & alios docet Marſil.2.de generatione qu.7.Albert.de Saxonia lib.3.de cælo quæſt.1.& ſupponit D.Tho.lib.1. huius operis lectione 4.& amplectuntur recentiores.Probarique poteſt,tum quia qualitas mixta ſecunda eſt propria corporis mixti,ſupponẽs mixtionem primarum qualitatum contrariarum, tum, quia auctore Ariſt. 1. de cælo c.2. corpori ſimplici,quale eſt quodlibet elementum,conuenit motus ſimplex: de huius autem ratione eſt, ab vna ſimplici potentia prouenire. Ariſt. verò in confirmationem maioris adductus ſolum contendit, aquam non eſſe ſimpliciter grauem,& aerem ſimpliciter leuem comparatione extremorum,hoc eſt aquam non eſſe maximè grauem, ſed comparatione terræ leuem reputari, nõ quia in ſe aliquid leuitatis habeat,ſed quia minori grauitate quàm terra prædita eſt. Eo modo,quo in prædicamento qualitatis potentiam debilem comparatione potentiæ perfectioris impotentiam appellauit.Cum igitur aqua à loco terræ aſcendit,& deſcendit aer ab ignis loco, non à propriis virtutibus motiuis id euenit,ſed ab extrinſeco impellente, terra ſcilicet,aut igne,ratione maioris grauitatis,vel leuitatis: neque aliud principium confingere neceſſarium eſt; cum aſſignatum ſufficiat, maximè cum grauitas non ſit principium contrariorum motuum, & idem eſt de

leuitate. Aſcenſus tamen aquæ v.g.à loco terræ verè contrariatur deſcenſui eiuſdem ad eundem locum, immo ab eo differt ſpecie, vt 5. Phyſicorum probauimus, igitur nequeunt prouenire ab eadem grauitate, vel ab eadem leuitate, in quo nobis non probatur ſententia Patrum Conimbricenſiũ hic quæſt.2.art.2.

Quinimo in vniuerſum mihi verum videtur, nullam grauitatem, aut leuitatem, etiam mixtorum corporum propriè mixtam eſſe, ſed ſimplicem, ac proinde omnes grauitates inter ſe eſſe eiuſdem ſpeciei, & omnes inter ſe leuitates. Probatur aſſumptum, quia licet grauitas, & leuitas poſſint ſimul eodem mixto corpori ſecundũ diuerſas partes, aut etiam ſecundum eandem in gradibus remiſſis, conuenire, & ex mixtione quatuor primarum qualitatum ortum ducere; nũquam tamen grauitas ſecundum ſe dicitur propriè mixta leuitati, neque leuitas grauitati, neque hoc fieri poteſt, ſicut, neque quod calor ſecundum ſe miſceatur frigori, vtpote, quæ diuerſæ qualitates ſint, & contrariæ ad effectus contrarios inclinantes. Quod autem ſubiectum mixtum ſit, ac mixtione primarum qualitatum affectum extrinſecum eſt grauitati, & leuitati, & quod earum naturas, & entitates intrinſece nõ immutat: atque adeo grauitas, & leuitas ſecundum ſe ſemper ſunt qualitates ſimplices, ſicut calor, & frigus; ac proinde grauitas quælibet quantumuis remiſſa, & ſimul exiſtens in ſubiecto cum leuitate, ſemper eſt eiuſdem ſpeciei, & leuitas ſimiliter. Quamuis verum ſit, has facultates extrinſece dici poſſe aliquomodo mixtas, ſcilicet ratione ſubiecti mixti, & mixtionis primarum qualitatum, etſi in ſe maneant eiuſdem rationis ſemper, ſubiectum tamen vtranque participãs, aut virtus motiua illius, quatenus grauitatem, & leuitatem complectitur, proprius rationem mixti ſortiuntur.

Digitized by Google

tur. Ex quibus conſtat, ea quæ diximus de grauitate, & leuitate ſimplicium corporum optimè adaptari poſſe grauitati, & leuitati mixtorum ſecundum ſe, quę ex illis coaleſcunt.

QVÆSTIO II.

Quomodo elementis facultas motrix conueniat, & an in naturalibus ſedibus grauitent, vel leuitent.

CIrca priorem propoſitæ quæſtionis partem, paucis ſtatuamus oportet id, quod communi Doctorum calculo cum Ariſt. cap. 4. proxime præcedentis recipitur, videlicet ex elementis duo eſſe leuia, duo grauia, alterum ſumme & ſimpliciter leue, alterum ſumme & ſimpliciter graue, id quod hac ratione demonſtrari poteſt. Nam illud corpus dicitur graue, vt etiam tradit Ariſtoteles 1. huius operis capitul. 3. quod ad medium mouetur, & aliis naturaliter ſubeſt; leue vero, quod mouetur à medio, & aliis ſupereminet: ſed terra, & aqua ad medium feruntur, aerique, & igni ſubeſſe exigunt, aer, & ignis tientur à medio, & aliis naturæ lege præeminent: illa igitur grauia, leuia hæc aſſeramus oportet. Præterea ex eodem Ariſtotele ſupra, grauiſſimum corpus, ſeu quod idem eſt, graue ſimpliciter, eſt quod aliis omnibus ſubſtat, leuiſſimum vero, aut leue ſimpliciter, quod ſupereminet omnibus, quæ ſurſum feruntur: aſt illud tantum conuenit terræ, hoc igni, vt per ſe cõſtat, cum illa ad centrum vniuerſi, hic ad Lunæ concauum ſponte propria feratur: igitur elementum terræ ſumme graue, ignis vero ſumme leue neceſſario exiſtit; hoc autem intelligendum eſt de elementis ſuæ natu-

ræ relictis, aut in ſua puritate, ſic enim nihil terra grauius, aut igne leuius reperietur, cũ eorum beneficio mixta grauia, & leuia exiſtant. Secus eſt, ſi viciniorum elementorum concretione permixta ſint, & ideo plumbum, aurum, argentum, & quædam alia grauiora ſunt terra, quæ apud nos eſt, non tamen terra prope centrum obliteſcente: terreſtris etiam ignis, ad concauum Lunæ non aſcendit, & propter contrariorum obſiſtentiam, & ob exhalationem terreſtrium per mixtionem.

Prærerea animaduertendum eſt, duo elementa media non excludi à ratione ſummæ grauitatis, & ſummæ leuitatis, ex eo quod aqua aliquid habeat leuitatis, & aer aliquid grauitatis: hoc enim plane falſum eſt, alioqui non conueniret illis motus ſimplex, cum hic à virtute motrici ſimplici effici debeat, vt ſupra ex Ariſtotele tradidimus, & hæc elementa non ſimplicia corpora, ſed mixta potius eſſent appellanda: nec ad vnum tantum locum per vnam ſimplicem lineam nata eſſent moueri, quæ plane abſurda ſunt, & naturæ corporis ſimplici manifeſte contraria. Dicuntur igitur elementa media, & non ſumme, aut ſimpliciter grauia, nec leuia, quia medium ſua natura exigunt locum, & non ſubeſſe omnibus, aut præminere: ob quam tantum rationem appellantur ab Ariſtotele capit.4. leuia, vel grauia comparate, quia ſedes elementi medij reſpectu inferioris ſuperior, reſpectu ſuperioris inferior merito dicitur, vnde virtus motiua aquæ comparatione terræ quodammodo leuitas apparet, quia ad locum ſupra terram inclinat, relate tamen ad ignem, vel aerem grauitas nuncupatur, quia ad inferiorem locum ducit, & idem eſt de facultate motrice aeris, ſi conferatur ad extrema elementa, vt patet: ſecundum

ſe

ſe tamen, ac ſimpliciter terra grauis eſt, leuis aer, vt diximus.

Ex dictis inferre licet, qui nam motus naturalis ſint elemẽtis, qui violenti, qui præter naturam: in vniuerſum enim quoties elementum graue deſcendit proprio pondere naturaliter mouetur, vtpote innata facultate, idem eſt, quoties leue aſcendit: cum tamen graue ſurſum, deorſum leue tendit, per vim id accedit, niſi forte ad ſupplendum vacuum id contingat, ſi quidem in eo caſu motus euenit à principio extrinſeco paſſo proprio pondere actiue renitente, quod verum habet de quolibet aſcẽſu grauis, & deſcenſu leuis, etiam ſi aqua à loco terræ aſcendat, deſcendat aer ab ignis ſphæra, ſemper enim eiuſmodi motus erunt contra internum impetum propriæ grauitatis, vel leuitatis, quæ determinate ſurſum inclinat, aut deorſum, vt diximus qu. 1. ſi vero motus eueniat circa proprium elementi locum, ita vt nec ſit aſcenſus, nec deſcenſus, ſed partes cum eadem prorſus diſtantia inter ſe, & ad centrum, qua relictæ quieſcerent omnino, in orbem moueantur, vt contingit in motu, quo ignis rapitur ab orbe lunæ, eiuſmodi motus, nec naturalis, nec violentus dicendus eſt, ſed præter naturam, quia nec à principio intrinſeco actiuo, nec paſſiuo, cum ad id elementum nullatenus inclinetur, nec ab extrinſeco cum reluctantia paſſi, cum nec ſit contra virtutem motricem elementi propriam, neque alia virtus obſiſtens apareat. Supereſt igitur, illum motum futurum præter naturam elementi, hoc eſt nec natura ipſa exigente, neque renitente. Ex quibus principiis haud difficile erit, iudicium ferre in ſpecie de ſingulis elementorum motibus, quos ſigillatim recenſere, & operoſum & inutile cenſeo.

Circa poſteriorem quæſtionis partem videtur fuiſſe ſententia Ariſt. hic cap.4. & 5. aſſerentis, aerem, & aquam in propriis locis grauitare, deorſumque propendere,id quod hiſce probat argumentis:Quia vtres aere pleni grauiores ſunt,magiſque deorſum propendent,quàm ipſi ſine aere,quod quidem aliunde prouenire nequit niſi ex eo, quod aer grauitet in proprio loco. Præterea lignum centum librarum velocius per aerem deſcendit, quam plumbi libra, cum tamen plumbum vnius libræ celerius per aquam deſcendat, quàm lignum eiuſdem ponderis. Aſt hoc nequit euenire, niſi quia lignum plus aeris in poris continet, quam plumbum, qui quidem in propria regione deorſum tédat,& ideo plus aeris velocius corpus vehit, minus autem impellit in aqua, & ideo per eam plumbum celerius deſcendit,quia minus aeris continet,& melius à grauitate aquæ deorſum conantis impellitur:igitur aer,& aqua in propriis locis grauitant. Hæc adduxit Ariſtoteles ca.4. confirmat id ipſum ca. 5.ex eo quod,vt experimento compertum eſt,aer ſubſtracta aqua naturaliter deſcendit,& ſimiliter aqua,ſi terra ei extrahatur: fateamur ergo neceſſe eſt, elementa media in ſuis locis ſemper grauitare, atque deorſum niti.

Communis tamen,& vera ſententia tenet,nullum elementum in naturali ſede grauitare, leuitaréve. Ita ſentiunt Mathematici fere omnes cum Archimede, & Ptolomæo, & fere omnes Philoſophi Peripatetici cum Simplicio,Themiſtio, Syriano,& Alexandro hic, ita vt iam vt commune circumferatur axioma,elementa in propriis locis nec grauitant,nec leuitant. Vnum legi Villalpandum, qui oppoſitam tueri ſententiam tentauerit 4.de cælo c.5.ſed adeo rationis momento, & robore eam deſtitutam comperit, vt

coactus

coactus fuerit, liberam cuique facultatem concedere tutandi quam maluerit. Probatur ergo hæc communis ſententia experimento, & ratione: experimento quidem, quia nullus non expertus eſt aerem non degrauare noſtra capita,& qui ſub aquis natant,aquæ pondus non experiuntur: ſi vero aer, & aqua in regione propria grauitarent,& deorſum niterentur,non poſſent non ſubiecti homines onus magnum ſentire, ſicut ſentiunt, qui terram, vel aquam à proprio loco extractam ſuſtinent. Probatur ratione, & primo de elementis extremis certa apud omnes videtur concluſio, quia neque ignis habet quo vlterius aſcendat, neque terra quo plus deſcendat. Igitur neutrum eorum in propria ſede aſcēdere vel deſcendere conatur, eſſet enim fruſtra talis conatus, & ad terminum naturaliter impoſſibilem. In vniuerſum tamen probatur,quia ſingula elementa mouentur ad propria loca tanquam ad propriam perfectionem, vt illis optata fruantur quiete,& illis adeptis quieſcunt:igitur virtus motiua naturalis illorum ad hunc ſolum terminum propendet,& inclinat:hoc ergo adepto non erit principium vltra tendendi,atque adeo repugnat, quod ſi elementa in propria ſede perfecte conſtituta ſint, vlterius cieri naturaliter nitantur grauitando, aut leuitando, alias aut illa non eſſet propria elementi ſedes, vt ſupponimus, aut elementum haberet naturalem virtutem deſcendendi à proprio loco, & tendendi in extraneum:quod plane eſt abſurdum, cum elementis ſolum ſit conceſſa motrix facultas ad proprium locum, quæ eſt grauitas, vel leuitas. Dixi ſi in propria ſede perfectè collocentur, ſi enim aliqua ex parte à proprio loco extrahantur, ita vt aliqua pars ponderis, aut leuitatis non æquè diſtet à proprio centro, propriave ſphæra, grauitabunt proculdubio, aut le-

uitabunt. Experimur namque grauia vbicunque ſint ſuperiorem locum leuibus, aut minus grauibus concedere, & è contrario, vt conſtat in terra ſupra aquam, aut aerem, ignemve poſita, & in aqua, aere, & igne terræ meatibus compreſſis: quod quidem non aliter euenit, quam mutuo grauium deſcendentium, leuiumque aſcendentium conatu, & motu, id quod etiam in mixtis videre eſt, vt in liquoribus, quorum aliqui, quia leuiores grauioribus innatant, grauiores vero aliis ſubſidunt. Cuius experimenti ratio eſt, quia natura grauitatis iure ſuo exigit ad centrum, quo proximius poſſit, accedere, vſque quieſcere naturaliter poteſt, donec id aſſequitur perfectè, ita vt centrum grauitatis ſimul, cum centro vniuerſi exiſtat, & grauitatis partes æque ab ipſo diſtent, proportione ſeruata grauioris cum minus graui, & idem prorſus eſt de leuitate in ordine ad locum ſurſum: ita tamen, vt ſi ſubſtraheretur grauior pars, aut leuior, minus grauis, & minus leuis à propria virtute mouerentur, donec illa centrum vniuerſi, hæc Lunæ concauum pertingeret, vt ſupra monuimus.

Supereſt, ſatisfaciamus argumentis in contrarium adductis, quæ quidem parum negotij faceſſunt. Ad primum enim dicimus, idcirco vtres aere plenos grauiores exiſtere, quia aer circa terram degens impurus eſt, terreſtribus ſcatens halitibus, & corpuſculis, vt in Solis radio videre eſt, ſecus vero contingeret, ſi puro ac elementari aere adimplerentur. Ad ſecundum vtrumque fatemur experimentum, inficiamur tamen, cauſam illius eſſe rationem, quæ in argumento aſſignatur, quin potius ideo huiuſmodi lignum velocius per aerem deſcendit, quam plumbi libra, qua grauitas ligni excedit grauitatem plumbi

bi multitudine materiæ, atque pluralitate partium extenſionis, quæ ad perfectiorem operationem, conducunt. Leuitas item aerea ligno exiſtens non retardat deſcenſum grauitatis, quia aer in propria ſphæra non leuitat, per aquam tamen velocius deſcendit plum, tum quia minus aereæ leuitatis continet, quæ ipſum detinere poſſit, ne deorſum labatur: tum quia pauciores aquæ partes comprehendit, & diuidit, quæ proinde minus diuiſioni reſiſtunt. Ad vltimum Patres Conimbricenſes hic quæſtione ſecunda articulo ſecundo cum aliquibus recentioribus negant, aquam ſubſtracta terra, nec aerem extracta aqua deſcenſurum proprio pondere, niſi vacui periculum immineat. Mihi tamen, vt ſupra dixi, verius apparet, aquam inſita grauitate deſcenſuram ad centrum vſque vniuerſi, ſi terra inde extraheretur, ſaltem ex parte, ita vt foramen aliquod vſque ad centrum conſtitueretur, grauitas enim quælibet eſt naturale principium motus deorſum, donec vniuerſi centrum perfecte obtineat, aut per ſe ipſum, aut per centrum grauitatis corporis, in quo eſt, ita vt ſub ſe leue aliquid, aut minus graue non patiatur: fatemur ergo argumento, in eo caſu, aquam deſcenſuram naturaliter à propria virtute, aerem vero, ſolum ad ſupplendum vacuum vniuerſali virtute, ex ſe enim vt pote leue ſolum ferri poteſt ſurſum, inde tamen nequaquam infertur, aliquod ex his elementis in propria ſede, quando grauius ſupponitur, & eminet leuius, grauitare, aut leuitare, cum graue deſcendere nō nitatur, niſi cum infimum locum non occupat, aut grauius non ſubiicitur, nec leue aſcendere, niſi diſtans à loco ſupero, aut leuiori non ſupra poſito. Quod ad mentē Ariſt. attinet, plane in hac re illi aduerſari profitentur vniuerſi fere eius expo-

ſitores

ſitores cum Mathematicis. Mihi tamen ſatis probabiliter intelligi poſſe videtur, de elementis mediis non in ſua puritate, ſed vt apud nos ſunt, cum ea, corporum, & halituum permixtione, qua ratione plane grauitare videntur. Et hoc probant argumenta Ariſtotelis; vt expendenti conſtabit: & ideo hæc cenſenda eſt mens Ariſtotelis.

Et hæc de cælo & mundo dixiſſe ſufficiat: vtinam Deo accepta, & ſtudioſis noſtris vtilia; cedantque in Dei gloriam, Virginis Deiparæ, Angelicique Doctoris Sancti Thomæ.

***

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

...d by Google